56,002/C

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3041524x

PAULI VALCARENGHI CREMONENSIS

IN REGIA TICINENSI UNIVERSITATE
MEDICINAE RATIONALIS PRIMARII
PROFESSORIS,

Nec non Celeberrimae Bononienſis Academiae
Socii.

CONTINUATIO

Epidemicarum Cremonenſium Conſtitutionum Annorum
1737. 1738. 1739. 1740.

ALIIS ADDENDA.

Agitur hic praecipue de Morbis Hepatis, atque de aliis
per tranſennam.

ACCESSIT

DISSERTATIO
DE VERA PRAXI

MEDICIS NECESSARIA, ET AEGROTIS UTILI,

Una cum Tribus Obſervationibus

DE AORTAE ANEURYSMATE.

CREMONAE MDCCXLII. Apud Petrum Ricchini.
SUPERIORUM PERMISSU.

B. Luigi Zangrandi

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLUSTRISSIMIS CLARISSIMISQUE VIRIS CELEBERRIMI BONONIENSIS INSTITUTI ACADEMICIS SODALIBUS ORNATISSIMIS

PAULUS VALCARENGUS S. P. D.



CUm primum Medicas alias Diſſertationes meas, typis jam editas, quae tranſactas proxime Conſtitutiones Epidemicas Cremonenſes complectuntur, quamplurimis Artis noſtrae Clariſs. Viris acceptas non parum evaſiſſe intellexi, praetermodum oblectatus fui, eoque vehementius, cum aliquam etiam apud Vos, Praeclariſſimi Sodales, laudem me hoc titulo conſecutum fuiſſe gloriabar. Summum ta-

men, illudque honorificentiſſimum tenuiſſimis hiſce laboribus meis praemium tunc utique acceſſiſſe novi, cum, pro ſpeciali humanitate, me Illuſtriſſimo Coetui Veſtro cooptatum illico eſſe voluiſtis: hocque praeſtantiſſimi Franciſci Mariae Zanotti humaniſſimis litteris, idibus Junii anni 1738. *inſcriptis, atque nomine Veſtro ad me traditis, teſtatum habui. Quamobrem, ut debitas cumulatiſſimaſque grates Vobis publice redderem, meumque obſequium maximum luculentius aliquo argumento patefacerem, ſpecialem Diſſertationem, Vobis vovendam, exarare ſtatim decreveram. Verum indeſinentibus praxeos curis detentus, ac praecipue cum, ob occurrentes mihi identidem morbos, valetudinariam utplurimum vitam tunc degerem, haud ſatis unquam ocii conſequi potui, ut hoc pro votis praeſtarem. Interea, inſtituto meo attendens, ſubſecutarum hic deinceps conſtitutionum Hiſtoriam aliis addendam continuare non omiſi, quae juxta peculiares a me tunc habitas obſervationes, Morbos Hepatis ſpecialiter deſcribit, una cum aliis non infimae notae animadverſionibus, quae per tranſennam de aliquibus aliis etiam quoquo modo me agere coegerunt. Ideo, dum nulla alia mihi in praeſens completa ſuppetit Diſſertatio, illam, quaecunque ea ſit, Vobis dicare humiliter ſtatui, eo praecipue conſilio ductus, ut, ſi debito meo pro dignitate non ſatiſfaciam, pro voluntate ſaltem non omnimode deficiam. Equidem non ignoro, mea haec tenuia revera omnifariam eſſe; praeſertim quia ſublimes admodum Clariſſimorum Virorum lucubrationes numeris omnibus abſolutiſſimae Vobis merito competunt, praeſtoque ſemper ſunt.*

Nihilo-

Nihilominus haec haud omnino ſpernenda Vobis evadent, cum ſciatis me Clinicum Medicum continue agentem, non in alio equidem commodius, quam in obſervationibus laborare quomodocunque poſſe; quas ſi inconcinne, ſi erudite minus exaraverim, occupationibus meis tribuetis, ſpero, tenuitatemque meam excuſando, animum non contemnetis. Si haec autem interea non ingrata penitus Vobis evaſiſſe cognovero, alia etiam inpoſterum offerre Vobis audebo, dum Aegrotorum ſemper negocium agens, ſedulo obſervationibus, pro viribus meis incumbere, donec vixero, ſatagam.

Valete Praeſtantiſſimi Viri totiuſque Litterariae Reipublicae bonis, ut facitis, ſapientiſſime ſemper conſulite.

Cremonae XII. Kal. Mart. 1740.

Die

Die prima Junii 1742.

EXcellentiſſimus D. Julius Caeſar Porri Advocatus Reorum S. Officii Cremonae videat, & referat, Librum cui titulus — *Pauli Valcarenghi Cremonenſis in Regia Ticinenſi Univerſitate Medicinae Rationalis primarii Profeſſoris &c. Continuatio Epidemicarum Cremonenſium Conſtitutionum &c. Acceſſit Diſſertatio de Vera Praxi Medicis neceſſaria, & Aegrotis utili &c.*

Fr. Hermenegildus Todeſchini S. Theologiae Magiſter Ord. Praedic. Inquiſit. Gener. Cremonae.

CUm de mandato Reverendiſs. P. Magiſt. Hermenegildi Todeſchini Ordinis Praedicatorum Generalis Cremonae Inquiſitoris, Librum hunc, cui titulus: (*Pauli Valcarenghi Cremonenſis, in Regia Ticinenſi Univerſitate, Medicinae Rationalis, primarii Profeſſoris &c. Continuatio Epidemicarum Cremonenſium Conſtitutionum &c. — Acceſſit Diſſertatio de Vera Praxi Medicis neceſſaria, & Aegrotis utili &c.*) attente, ut decet, legiſſem, & nil in eo ab vera Fide diſſonum, vel a rectis moribus alienum, imo, caſtigato undequaque ſtylo, numeris omnibus abſolutum inveniſſem, jamque praeſto eſſem, in hos ſenſus, meum qualecumque judicium proferre, ſe mihi legendum forte obtulit Diploma Senatus Excellentiſſimi Mediolani diei 28. Maii nuperrime elapſi, quo, ſpontanea ſanctione, motuque proprio, ipſi Ordini Excellentiſs., praefatum D. Phyſicum Paulum Valcarengum, alteri Anteceſſori honeſta miſſione donato, in eadem Paleſtra, placuit ſufficere. Quia vero cauſae impulſivae in Diplomate enarratae, multum urgent, ut judicii hujus mei veritas comprobata compareat, illas hic recenſere, operae pretium cenſui. Sic igitur de D. Valcarengo cantant praelibatae Ampliſſimi Tribunalis Litterae patentes, ubi de gratia D. Phyſico Valcarengo collata ratio exprimitur. — *Ad hanc rem, animum noſtrum appulerunt tum ſingularis illius peritia ad omnem curationis rationem, pro corporum morbique varietate, variam, domi foriſque ſpectata, tum clinicae animadverſiones publica luce ab eodem donatae in Libro, cui titulus:* Medicina Rationalis, ad Recentiorum mentem, obſervationibus adaucta, *quas judicii acumine, eruditionis copia, multoque Styli nitore, accuratiſſime digeſtas, nec non ab Exteris plurimum commendatas, perſpeximus, tum denique* Obſervationes de Aortae Aneuryſmate, *recens vulgatae, aliaque graviora ſtudia, quae in perdifficili hac facultate, & ad Reipublicae utilitatem magis magiſque promovendam, in dies molitur; quamobrem licet aetate juvenis, maturae tamen, ſeniliſque ſapientiae, pragmaticaeque prudentiae, ſe clarum exhibet cum Patriae tum Exteris Regionibus &c.*

Quocirca, in re, praeclariſſimo hoc teſtimonio adeo perſpicua, quid eſt, quod amplius deſiderari valeat, ut lucis uſura dignus reputandus ſit iſte D. Med. Valcarenghi doctiſſimus & utiliſſimus Liber? Eà igitur, ad commune beneficium, frui pergat ipſe etiam, quemadmodum alii benemeriti Authoris, ubi caeterum Reverendiſſimo P. Inquiſitori placuerit.

Dabam Cremonae hac die ultima Junii 1742.

Julius Caeſar Porri Jur. Utriuſq; Doctor, Reorum S. Officii Advocatus &c.

Die 20. Julii 1742.
Attenta ſupradicta atteſtatione
IMPRIMATUR
F. Hermenegildus Todeſchini S. Theol. Mag. Inquiſitor. Gener. Cremonae.

Die 20. Julii 1742. Cremonae
IMPRIMATUR
Clariſſimi Viri Opus
Caſtillioneus Praetor &c.

INDEX

INDEX
SECTIONUM, ET CAPITUM.

SECTIO I.
Conſtitutio Epidemica Anni 1737.

CAP. I. *Obſervationes variae pag.* 1.
Agitur praeſertim de Apoplexia.

CAP. II. *De Tertiana febre & praecipue pernicioſa pag.* 9.
Agitur de illarum peculiaribus ſymptomatibus, & ſpecialibus criſibus: de earum ſolutione, ope Chinae Chinae, aut ope purgantium, quorum utilitas praeſertim oſtenditur; ad quod Rhabarbarum caeteris praeferendum eſſe demonſtratur. Solvitur hic quaeſtio, circa uſum purgantium cum China China immiſcendorum, ad avertendas tutius recidivas.

SECTIO II.
De Morbis Hepatis.

CAP. I. *De Morbis Hepatis in genere, ubi ſpecialis abſceſſus ejuſdem Viſceris Hiſtoria proponitur pag.* 19.

CAP. II. *De Hepatis Phlegmonibus pag.* 29.
Oſtenditur cur tam facile in hoc Viſcere Phlegmones fiant, & Tertianas contumaciores pernicioſas ſaepe ſubſequantur: a quibus cauſis fiant: quae ſigna adferant: agitur de eorundem varia mole & ſitu, unde diverſa ſuboriuntur ſymptomata, ſive in Gibba, ſive in Cava iſtius Viſceris parte eveniant: id ſpecialia oſtendunt ſigna: quomodo aut reſolutione, aut ſuppuratione ſolvantur, unde variam curationis Methodum poſcunt. Si fiat ſuppuratio, quibus criſibus, & per quas vias ſolvi ſoleat: quid tunc agere debeat Medicus, ut Naturae motus ſequatur. Praeterea agitur de Hepatis Eryſipelate, Tuberculis, Cyſticis tumoribus, Empyemate, & conſumptione. Quid agendum ſi Hepatis Phlegmones extra ſe produnt, ideoque Chirurgicam expetunt operam. Demum explicantur Abſceſſus illi, qui, ob gravia Capitis vulnera, in Hepate fiunt, & qua ratione tunc eveniant, & cognoſcantur.

CAP. III. *De Polychroniis Hepatis Morbis pag.* 70.
Agitur de ſcirrhoſis tumoribus, qui inflammationem ſequuntur; aut ſecus dum a Tuberculis originem habent. Eorundem ſigna & ſymptomata deſcribuntur, addita curationis ratione congrua, juxta ſpeciales Criſes ipſis familiares & utiles.

CAP. IV. *De calida Hepatis intemperie pag.* 79.
Quos Morbos adferat, & quibus ſignis cognoſci poſſit: quomodo ab acriore aeſtuante bile, ejuſdemque nimia copia ortum habeat. Cur hinc Tertianae contumaciores pernicioſae ſuboriantur, ſicuti & Hydrops ſiccus Hippocratis, aliique Hydropes, Colicae bilioſae. Inſuper agitur de Ictero, de calculis cyſticis aut pori biliarii, variiſque eorum ſignis & ſymptomatibus: obiter

ctiam

etiam ſpeciales proponuntur Morbi, quibus Amathyſtorum Operarii Cremonenſes obnoxii ſunt. Horum omnium curationis ratio perpenditur, agiturque maxime de epicratica purgatione, & uſu Olei amygdalarum dulcium.

CAP. V. *De Intemperie Hepatis frigida pag.* 103.

Proponitur ejuſdem differentia ab intemperie calida. Fit ob deffectum congruae bilis ſeparationis: id quod varia ratione evenire poſſe oſtenditur. Agitur de commercio Hepatis cum Liene, & utrorumque Viſcerum Morbis. Qua ratione prava ſanguinis ſcorbutica diatheſis hinc procedat, ac praecipue Tibiarum, aliarumve partium ulcera, puſtulae, Morphea rubra &c. Quid de peculiaribus aliis Hepatis tumoribus ſentiendum ſit: Atheromate videlicet, Scheatomate, & Meliceride, de Hydatidibus, & Scirrhis, unde Hydrops proficiſcitur. In hiſce omnibus curationis congruae ratio exhibetur, praecipuaque ſymptomata explicantur.

CAP. VI. *De cruentis morboſis excretionibus pag.* 119.

Generalis earundem idea proponitur, una cum ſpecialibus ipſarum differentiis & ſignis, & varia curativa ratione. Agitur de Dyſenteria venoſa, Hepatica, atrabilaria, ſolitaria, acuta ab Hepatis apoſtemate: tum & de cruentis quibuslibet fluxibus ob aliorum Viſcerum labem ſubortis. Quomodo diſtinguenda ſit Inteſtinalis Dyſenteria ab aliis praedictis. Quomodo ſingulis, & qua ratione opitulari Medicus debeat: quam caute adſtringentia uſurpare opus ſit: quando ypecaquana conveniat, aut Tettucianae aquae uſus.

Agitur obiter de Haemorrhagia narium, ob Hepatis Lieniſve Vitium ſuborta, de Haemorrhoidalibus fluxibus, de cruentis vomitibus &c.

SECTIO III.

CAPUT Unicum *pag.* 141.

Conſtitutio epidemica annorum 1738. 1739. 1740. *Agitur hic iterum de Chinae Chinae uſu in Tertianis: de Pulmonum tuberculis, atque ab iiſdem proveniente Phthyſi, ibidemque ſpecialis Variolarum confluentium conſtitutio tunc habita exhibetur.*

Acceſſit

Diſſertatio de Vera Praxi Medicis neceſſaria & Aegrotis utili pag. V.

Item.

De Aortae Aneuryſmate Obſervationes tres pag. LIII.

SEC-

SECTIO PRIMA

Conſtitutio Epidemica Anni 1737.

CAPUT PRIMUM

Obſervationes variae.

I. AB hyemali Solſtitio Anni 1736. uſque ad initium Februarii Anni 1737. mitis admodum evaſit Aeris conſtitutio: cum raro brumales occurrerent rigores, quos quidem Auſtrales ſaepiſſime flantes Venti compeſcere ſatis poterant. Poſthac autem creberrima denſaque nive Tellus obduci undique coepit; indeque ſereno plerumq; evadente Coelo, Aquilonarium Ventorum frequentem moleſtiſſimamqueTyrannnidem paſſi fuimus: quare, frigida admodum ſubſequente tempeſtate, denſiſſimo diuque permanente gelu Solum undecunque horrebat. Brumales ejuſmodi rigores eouſque perdurarunt, donec, prope Vernale Aequinoctium, copioſis perſaepe pluviis Coelum ſcatuit, Auſtralibus quoque comitantibus Ventis. Mitior ideo poſtea, atque utplurimum varius evaſit Aer: cum aliquando pluviis, nivibuſve obduceretur Tellus: modo ſiccum, humidumve evaderet Coelum, diverſis ad hoc conferentibus Ventis promiſcue flantibus, qui varias hujuſcemodi Hyemis viciſſitudines toto etiam Aprili menſe attulerunt. Accedente Majo, ac praecipue ſub Vergiliarum Ortum, levis prodiit calor, ob ſubſequentes aliquando pluvias, haud diu perdurans.

II. Dum hyemales hujuſcemodi, maximeque variae Aeris conſtitutiones vigebant, mirum utique fuit, quod perpauci dominarentur morbi, ac fere dixerim nulli, ſi Pleuritides varias excipias, quae Plebejos paſſim, Ruſticoſque, rariuſque Cives, ac Nobiles corripiebant: idque ob plurimas cauſas, quas in tranſactis conſtitutionibus aliis propoſuimus, ubi fuſius de Pectoris hiſce, aliiſque morbis ſermo fuit. Quamobrem de iiſdem denuo agere ſupervacaneum hic penitus arbitror: Maxime cum nihil novi prorſus mihi poſtea contigerit, obſervatu adeo dignum, ut ſpecialem hic Lectoris animadverſionem mereri poſſit.

III. Verum non abſre erit peculiarem hic addere obſervationem acutiſſimae ſanguineae, ac fere dixerim, doloſae *Pleuritidis*, qua Nobiliſs. D. Marchio Nicolaus Lauda Eques Melitenſis inopinato correptus fuit, propter quam ſeptima

morbi die, maximo omnium moerore, occubuit. Praeſtantiſſimus enim Eques iſte ſeptima Januarii die Anni 1737. (cum antehac proſpera ſatis frueretur valetudine, *lymphaticis* tantum, ut ajunt, univerſalibus, ac praecipue Pectoris levibus morbis identidem obnoxius) media circiter nocte rigore ſubito captus, dolere maxime coepit in latere coſtarum dextero prope mediam Thoracis partem, una cum difficili reſpiratione, Febre, & tuſſi. Sequenti mane ſanguis illico ex Brachio eductus fuit, qui nullas *Pleuritici* conſueti corticis notas obtulit. Lympha ſimplex & ſpumoſa per exſcreatum prodibat, ſanguineis tantummodo filamentis aliquando inſperſa; dolor non *punctorius*, ſed *gravativus*, ut dicimus, potius erat. Secunda die melius ſe habere viſus eſt, licet Febris acutam adhuc praeſeferret indolem; noctu enim ſatis & placide dormiit. Seminum Lini Oleum aſſumpſit: Pectorales, ut ajunt, potiones conſuetas praeſcripſimus, tepidas porro, & frequenter ſumendas, juxta Saniorum methodum: iterumque Vena ex Pede ſecta fuit. Hinc facilior evaſit reſpiratio, nullaque gravia patiebatur *ſymptomata*, de *pleuritico* tantum conſueto dolore conquerens, qui eo magis torquere poſtea ipſum coepit, una cum moleſtiſſimo caloris ponderiſque ſenſu in affecta parte. Idem prorſus fuit morbi ſtatus uſque ad quartam. Noctu tamen placide dormiebat: interdiu tranquillus & hilaris erat, & mitis Febris: tuſſi raro & tunc ſolum detinebatur, cum *lymphatica* exſcerneret ſputa. Tunc autem modicus & univerſalis identidem apparere coepit ſudor, qui fauſtum morbi praeſagium afferre poſſe perperam credebatur, cum inde aliquantulum imminueretur Febris. Quinta declinante morbi die vehementius urgebat dolor: noctu Febris adaucta eſt, multoque magis ſexta die, una cum Corporis jactatione, vigiliis, reſpirationis anxietate maxima, & pulſus inaequali frequentia. *Vomica* paulo poſtea rumpi viſa eſt, ſemiputridis apparentibus ſputis: ſed nullo cum levamine. Omnia enim in pejus vergebant. Gravis in Pectore acceſſit ſtrepitus; copioſior frigiduſque evaſit ſudor, prolapſa tempora, vox demiſſa & rauca. Nihilominus ſui compos ſemper fuit uſque ad ſequentem ſeptimae diei noctem, tunc cum, ſuppreſſo derepente exſcreatu, univerſali perfuſus ſudore deliravit, ac ſequenti mane aeternum quievit.

IV. Fruſtranea cuipiam fortaſſe videbitur haec obſervatio, ad morborum hujuſcemodi Pectoris *Aetiologiam* ultro ſtatuendam, maxime cum, de hiſce ſatis ſuperque in aliis conſtitutionibus agentes, tum noſtras tum aliorum obſervationes ejuſmodi plurimas propoſuerimus. Nihilo tamen ſecius hanc quoque hic addere opportunum exiſtimavi, ut ipſa cum aliis Tyrones inſtruere illos praecipue poſſit, qui paſſim in hiſce morbis, dum initio bona plerumque attendunt ſigna, doloſam ipſorum indolem haud ſatis perſpicientes, tam in *diagnoſi* quam in

pro-

prognoſi facile errare comperiuntur. Mirum enim profecto eſt, atque ſpeciali animadverſione dignum, quod morbi iſti vario utplurimum incedere paſſu ſoleant: ſive id ob affectorum Corporum diverſas temperies atque diſpoſitiones, ſive ob variam morbi ſedem in extimis modo Pectoris partibus, modo in internis diverſimode firmatam, ſive ob aliorum quorumvis morborum comitatum eveniat; quae quidem omnia, aliaque etiam plurima (ut alibi monuimus fuſius) ad id maxime, variaque paſſim ratione conferre, nemo inficiabitur. Siquidem ex praegreſſa obſervatione conſtat, *Pleuritidem* hanc, quae initio mitis admodum, atque fauſti, pene dixerim, ominis videbatur; immutata poſtea derepente facie, ob gravia ſubſequentia *ſymptomata*, lethalem evaſiſſe. Aliae autem e contrario occurrunt obſervationes, e quibus ſatis evincitur, *Pleuritides* ſaepe tam gravibus initio *ſymptomatibus* ſtipari, ut nullam fere ſalutis ſpem praeſeferant: licet paulo poſtea benignam magis nactae indolem, fauſtis ſuccedentibus ſignis, omnem Medici timorem deludant. Id equidem ex eo plerumque fit, quod tempeſtive magis tardiuſve appareant ſputa, eaque talia excernantur, qualia ſpeciali ipſius morbi naturae, ſeu praegreſſae in Pectore *ſtaſi* adamuſſim conveniant, aut non. Ad ſputa ideo magis, quam ad alia ſedulo in hiſce morbis attendat Medicus, eaque ſaniore judicio perpendat, ut veram ipſorum *diagnoſim*, & *prognoſim* citius tutiuſque aſſequatur; cum haud aliter melius, quam per exſcreatum iſtorum morborum *criſes* perfici plerumque ſoleant. In hoc maxime vergit *prognoſtica* Divini Senis noſtri doctrina, dum de hiſce morbis agit: prout alias adnotavimus. Non hinc tamen inficias unquam iverim, congruum ſatis, nec omnino ſpernendum ab aliis ſignis lumen petendum eſſe: a Pulſu nempe, reſpiratione, febri, ſiti, delirio &c. dummodo ſputa primum ſpectentur. Aſt ad alia tranſeamus: de hiſce enim fuſius iterum diſſerere non vacat, donec aliae mihi ſuppetant obſervationes, quae habita olim de iiſdem ratiocinia noſtra illuſtrare magis, aut confirmare valeant.

V. Poſt Vergiliarum ortum, ineunte Vere, magnus inopinato calor invaluit, praeſertim initio Junii, quem aliquantulum compeſcere identidem poterant ingruentes plus ſolito Procellae. Copioſis autem ſuccedentibus pluviis, extemporaneum poſtea frigus eodem menſe ſuccrevit, quod ſub ejuſdem finem vehemens denuo excepit calor. Initio Julii frigidus iterum evaſit Aer, pauloque poſtea maximis etiam ardoribus ferbuit. Ob viciſſitudinariam hanc, variamque admodum Aeris conſtitutionem tam brevi temporis intervallo dominantem, quis non videt, quomodo nam, quantumque laudabilis Corporum noſtrorum temperies pati, & labefactari utique deberet? Etenim qui *Sanctorianas* ſtaticae leges ſatis calleat primo vix intuitu noſcet, qua nam ratione ſanguis (qui caeteroquin, ob praehabitam paulo antea hyemalem

tempeſtatem, majore in copia vigebat) poſtea maxime rarefactus congruum ſibi per cutis meatus aditum, ad perſpirabiles eliminandos humores, quaereret, laxatis nempe tunc fibris, ſummo vigente aeſtu: ſecus vero, ſuccedente illico frigore, atque neceſſaria occluſa cutis ſemita, intima Viſcerum quorumlibet vaſa eo magis repleret, majoreque momento diſtenderet, utpote mole magis, magiſque undique adauctus; debita nempe habita ratione praepeditae identidem maxime perſpirationis, praecipue poſt humorum ſpecialem rarefactionem, ipſorumque maximos inde genitos tumultus.

VI. Inconſtans ideo haec tempeſtatum ratio variis plurimiſque, & gravibus ſuſcitandis morbis anſam praebuit, qui plerumque, juxta Corporum peculiares diſpoſitiones, & *inconſtantes*, *&* *difficiles judicatu* ex Hippocratis mente (1) evadebant. Quapropter *Ephemerae* tunc febres, & *Synocchae* ardentes ob praedictas cauſas ſaepe graſſabantur, atque frequentius *Haemorrhagiae* narium in *Athleticis* praecipue Corporibus, in quibus ſanguineae quoque Pectoris *ſtaſes* fiebant, aliquando *Lymphaticae*; tum & *Coryzae*, faucium dolores, ardores, Capitis gravamina, aliaque quamplurima hujuſce indolis mala ab Hippocrate ipſo in conſtitutionibus ſimilibus indicata.

VII. Non abſimili ratione, ob exuberantem ſanguineae totius maſſae copiam, & tumultus, *Apoplexiae* quoque graves ſubortae ſunt, quarum unam praeſertim in Adm. Reverendo Patre Breſſiano Cremonenſi Auguſtiniani Ordinis Priore obſervavi, qui poſt paucos dies interiit: Alteram in Reverenda Matre Pavarella Cancellaria Coenobii Virginum Divi Joannis Novi, quae fortis adeo fuit, ut ipſam eadem die jugulaverit. In utriſque autem Aegrotis hiſce (ut alios ſileam non paucos eodem morbo tunc correptos) lethalis *Apoplectici* inſultus originem ab exuberante ſanguinis copia ſpecialiter petendam fuiſſe, ratio ipſa merito ſuadebat. Siquidem Reverendus Pater Prior *plethorico* admodum, ac, fere dixerim, *Athletico* Corporis habitu praeditus erat, una cum intenſo, & permanente ſemper totius faciei rubore, in *Adnata* ipſa Oculorum tunica maxime conſpicuo: unde Veris praeſertim tempore ſummum Capitis gravamen, cum *Vertiginoſis* affectibus, quotannis antehac paſſus fuerat, quibus ſola ſanguinis copioſa emiſſio cito tutoque proſpiciebat. Nihilo tamen ſecius incaſſum tunc ſanguis, & ſi liberaliter admodum, iteratiſque vicibus eductus poſtea ipſi fuit, pro forti hac ſolvenda *Apoplexia;* ideo quia exuberans plus aequo, ob praegreſſas cauſas, ſanguis, aut lympha ſaltem ab eodem proveniens, non ſolum, ſibi ipſi repagulum ad motum, prae craſſitie etiam praeſtans, confinia Cerebro Vaſa nimium diſtenderat, verum & forta ſſe laceraverat: unde & effuſio, & congeſtio ſucceſſerat. Id enim rubicundus

(1) *Hippoc. Sect. 3. Aphor. 8.*

bicundus faciei tumor ad livorem vergens, ſopor profundus, oculorum rubedo major, & nitor, veluti in Ebriis fit, aliaque hujuſcemodi in ſummo morbi ſtatu obſervata teſtari optime poterant. Quod ſi, praeterea ob Vaſorum *turgentiam*, eorundem quoque fatalem *diſruptionem* non illico factam fuiſſe, credendum jure fuit in Reverendo hoc Patre, qui aliquibus diebus poſt primum morbi inſultum ſuperſtes *Lethargicus* evaſit: hanc gravius citiuſque eveniſſe aperte novimus in praedicta Reverenda Religioſa. Etenim ipſa, cum praegreſſa die inſolito maximoque Capitis gravamine, acutiſſimoque dolore laboraſſet, ſequenti mane tam forti *Apoplexia* correpta derepente fuit, ut poſt paucas horas extremum compleverit diem, vehementi praevio Pectoris anhelitu & ſtertore, cum frequenti ſtridore dentium, tumore faciei ſummo, ac rubore. Quamobrem prope Agonem tum ex Naribus, tum ex Ore ſanguis ipſi fruſtra effluxit, irritaque prorſus evaſere ſaniora quaeque praeſidia medica, quae in hujuſcemodi circumſtantiis; pro imminuenda ſanguinis copia, ejuſdemque facta effuſione quoquo modo ſolvenda, ſive *revulſionis*, ut ajunt, ſive *derivationis* gratia, uſurpari ſolent: quae ſingillatim hic enarrare nihil propemodum refert.

VIII. Quod ob vaſorum *ſanguiferorum*, aut *lymphaticorum*, aut utrorumque *diſruptionem*, atque inde genitam liquorum effuſionem in Cerebri anfractibus, aut in meningum interſtitiis (praeter vaſorum ſimplicem diſtenſionem nimiam, ac proinde nervorum fortem compreſſionem, quam ſaepe huic morbo anſam praebere non ignoro) forti *Apoplexia* Aegroti corripiantur; ideo ſatis patere mihi videtur, quia ejuſcemodi infortunia illis ſpecialiter faciliuſque eveniunt, qui craſſo nimis, copioſove ſcatent ſanguine, nimiumque laxis, ſtrictioribuſve ditantur vaſis; prout videre eſt in *Plethoricis*, qui conſueta quavis ſanguinis evacuatione careant, aut meraciori vino liberalius indulgeant: quo quidem nihil aptius eſt ad rarefaciendos magis humores, ejuſdemque furibundos excitandos motus. Non ignoro tamen, morbum hunc pluries a *praecordiis* originem quoquo modo trahere; quoties nempe quiſpiam organica quavis labe in corde ipſo, ejuſdemve confiniis laborans, praepedito derepente ſanguinis congruo motu, *Apoplecticus* fit: quem ideo *ſyncope* potius, aut *ſyncopali*, ſi mavis, *Apoplexia* captum ſatius dixerim: pro ut fuſius in binis a me nuper editis obſervationibus de *Aortae Aneuryſmate*, ſaniorum Medicorum ratiociniis innixus demonſtravi. Quotieſcunque ideo ob nimium ſanguinis aeſtum, aut copiam, ut diximus, *Apoplexiae* eveniunt, praecipuum tutiuſque praeſidium ab emiſſione ſanguinis petendum eſſe rationabiliter exiſtimo: dum alia, paſſim uſurpata, ſpirituoſa remedia ad concitatiores ſanguinis excitandos motus, nocua potius evaſiſſe novi, atque evadere ſemper merito debere puto: utpote quae morbi cauſam fovere, & augere potius apta nata

ſint in hujuſcemodi circumſtantiis.

IX. Verum haud unquam inficias iverim, volatilia eaque potentiora haec remedia, e Chimico etiam penu deprompta *Apoplecticis* quandoque opem omnem adferre (prout ego ipſe toties expertus fui) ſicuti & frictiones univerſales fortes, atque alia quaeque hujuſce cenſus adminicula convenire, quae ſanguinem diſſolvunt, ejuſdemque motum concitatiorem reddunt. Talia equidem tunc toties ſummopere laudo, atque uſurpanda jure eſſe arbitror, tanquam rationi ipſi conformia; quoties *Apoplexiam* non ab effuſione, humorum, ſed ab eorundem craſſitie, & retardato motu (qui ad *ſtaſim* liquida quam proxime diſponit) in propriis vaſis, aut aliis *lateralibus* derivari, credendum ſit. Hoc autem Juvenibus raro accidit (ſi *cachecticos*, ut dicimus, quoslibet, aut *hypochondriacos* excipiamus) plerumque vero Senibus, in quibus tum ſolidorum fibrae ad *oſcillatorios* excitandos motus inertes magis ſunt; tum fluidorum moleculae parum mobiles: cum *lymphatico* tenaciore, ſive dicam, *catarrhoſo* glutine ſtrictius devinciantur, atque inſuper aſperae magis, minuſque mobiles evadant. Hinc videre eſt, quod *Apoplexiae* magis fortes derepente, & gravius Succiplenos, & *Plethoricos* Viros corripere, licet rarius ſoleant, citius eoſdem jugulando: Secus quam Senes, in quibus, & ſi magis familiares ſint praevia diu attenduntur ſigna ab Auctoribus quibuslibet, atque celeberrimo Lanciſio maxime indicata, quae Humorum lentorem, & ſolidorum inertiam praenotant: Quin imo leves in ipſis *Apoplexiae* praeire paſſim ſolent, ſub variis ſpeciebus invadentes: Ac praeterea *Apoplexia* ipſa ſaepe ſaepius ſolvi quoquo modo in iiſdem videtur, dum in *Semiparalyſim*, aut univerſalem, aut particularem tranſit, ipſique mente ſtupidi, balbutientes, inertes, aut lecto fere ſemper defixi ad Annos etiam plures vitam miſerrime traducunt: praecipue ſi identidem volatilibus, & diſſolventibus omnis generis remediis ſana methodo, juxta eorundem peculiares diſpoſitiones, utantur.

X. Non eadem itaque *Apoplecticis* quibuslibet curandi methodus convenire meo judicio videtur; licet in omnibus humorum *ſtaſis* aliqua pro generali vera, & proxima cauſa hujuſce morbi habenda rationabiliter ſit. *Staſis* enim haec, cum multiplici, imo contrario aliquando modo, & ratione fieri conſueſcat, multiplices etiam, contrariaſque Clinici Medici animadverſiones expetit, prius quam curatio inſtituatur. Porro aliud eſt, quod humores conſuetam amittant velocitatem, indeque ad *ſtaſim* plus, minuſve tendant, quia antea, concitatiores in ſuo motu quavis de cauſa facti, majuſque inde nacti momentum ad vaſorum parietes diſtrahendos nimis, a propria ſemita extra aream, ut ajunt, circulationis aberraverint, ibidemque priſtino fraudati impulſu quieverint, atque concreverint; aliud eſt, quod humorum *ſtaſes* quomodolibet fiant, quia ipſi tenaces magis, & craſſi prius redditi, atque ad

motum

motum inertiores, deficiente ſolidorum *oſcillantium* congruo adminiculo, in canalibus varia ratione conſiſtant, concreſcant, ſtrictiorumque vaſorum parietibus adhaereant. Hujuſcemodi autem animadverſiones non tantum in *Apoplexia*, verum etiam in *inflammatoriis* quibuslibet morbis attendere merito expedit, ut eorundem remotas proximaſque genuinas cauſas aſſequendo, ipſis obviam ire ſano conſilio poſſimus: quidquid in oppoſitum alii ſentiant, qui aliunde ejuſmodi morborum cauſas derivantes, alia uti methodo ſatius ducunt, quos quidem abſit quod ego inſtruere unquam quaeram, dum proprias tantum obſervationes, ſervataeque a me methodi fundamentum proponere in animo habeo.

XI. Poſt viciſſitudinariam praedictam, tamque variam Aeris conſtitutionem, dum alii *Ephemeris* febribus, *ſynocchiſque*, ut diximus, & ardentibus laborabant, ego quoque vehementi febre correptus fui die 15. Julii, eademque per duos dies detentus, cum gravamine Capitis, & faucium dolore. Hinc, congrua ſanguinis emiſſione, copioſoque ſudore convalui: id quod unicum & ſimplex praeſidium aliis quoque plerumque feliciter evaſit. Quandoque autem Alvum etiam levibus tunc *purgationibus* ſubducere fas erat: praecipue cum Oris amarities, nauſea, & Ventris murmura, aut cōſueta *ſymptomata* alia ſequebantur. Nec quidquam obſtare huic merito poſſe videbatur ſpecialis, quae in hiſce morbis per ſudorem ut plurimum perficiebatur, *criſis*, cui e directo oppoſita penitus ab Aliquibus credebatur *purgatio*. Quotieſcunque enim, ob ſtrictam magis cutis diſpoſitionem, aliaſve ob cauſas, nocuus aut inutilis humor educendus majorem ibidem reſiſtentiam reperiebat, ut congruo tempore expelli perſpirando neutiquam poſſet, tunc interiora petens, per innumeras Inteſtinorum *Peyerianas* glandulas ſibi aditum parabat: pro ut & in me ipſo fauſto quidem exitu expertus tunc fui. Animadvertat tamen hic, quaeſo, Lector, praecipue ſi ex illis ſit, qui a *purgantibus* mitioribus etiam in hiſce circumſtantiis abſtinendum penitus eſſe arbitrantur: quod non in omnibus ſemper hujuſcemodi Aegrotis Remedia haec praeſcripſi, ſed tunc ſolum cum per ſudorem ſufficiens non perficiebatur *Criſis*, qua etiam poſita, tutae atque omnimodae morbi ſolutionis ſigna nondum apparebant; A Cibis enim averſabantur Aegroti, Oris patiebantur amaritiem, cum Abdominis murmuratione frequenti: quae omnia complendae adhuc per Inteſtina *criſis* patentes utique notas proferebant. Perperam ideo judicabant illi, qui mitiora tunc haec *purgantia* negligebant, condemnabantque, ac ſi pro certo haberent, quod Natura ipſa (peculiarem intelligo Corporis cujuſvis diſpoſitionem, non rationalem potentiam, quae ſolis organis haudquaquam competit, atque in ſola Anima viget) quae per ſudorem plerumque *Criſes* illas moliendo, Aegrotos hoſce priſtinae omnimode ſanitati reſtituebat,

bat, aliam quandoque per Inteſtinales porulos *criſim* perficere non poſſet, ut priorem ſaltem aliunde deficientem compleret.

XII. *Criſium* varietates non in hiſce tantum morbis, ſed in aliis etiam paſſim obſervamus, tunc nempe cum a conſueta norma mirifice Natura aberrat. Id ipſum in morbis quoque Pectoris verum comperiri paſſim noſcimus, in quibus (tametſi veluti inconcuſſum penes omnes ſit, tutiorem completamque magis per exſcreatum *Criſim* attendi, atque promoveri ſemper debere) alias ſibi Natura ſponte vias parat: per ſudorem nempe, per urinam, atque per Alvum etiam &c. juxta ſpecialem morbi ſedem, variumque Corporum affectorum ſtatum, in quibus talia utiliter eveniunt. A ſingulari quoque laborantium quorumvis Corporum *Symetria*, tanquam a genuina peculiari cauſa, potior ratio petenda eſt, qui fiat, ut *diuretica* Remedia quandoque per ſudorem potius, quam per urinarias vias educant: *Emetica* per Alvum potius quam per ſuperiora: idem intelligendo de quibuslibet aliis, ac de *purgantibus* praecipue, quae aliquando magis, aliquando minus operantur. Haec ideo animadvertentes ſedulo Saniores Clinici Medici, dum non ſemper ex Mercuriali linimento *Salivatio* excitatur in *Aphrodiſiaca* Lue, ſed aliquando urinam, aut ſudorem, aut Alvi excretiones ſatis utiliterque ipſum promovet, idque commodius, cum conſueta non eveniant *ſymptomata*: rationi merito conſonum tutiuſque fore exiſtimarunt, quod, dum *Hydrargirum* uſurpàtur, *purgantia* quoque congrua promiſcue praeſcribantur, aut Clyſteres ſaltem, ut, eorum nempe ope omni in Inteſtinis dempta reſiſtentia, mercurio ibidem aditus pateat, ne alibi periculoſe magis vim ſuam exerat: Id quod, ſi non ſemper, pro votis utplurimum tamen ceſſiſſe, Praxis oſtendit.

SECTIO

SECTIO PRIMA

CAPUT SECUNDUM

De Tertiana Febre, & praecipue de Pernicioſa.

XIII. POſt Aeſtivum ſolſtitium *Tertianae* plurimae febres graſſabantur, & praeſertim *pernicioſae* variae, quae tamen *Chinae Chinae* uſui, juxta propoſitam in aliis conſtitutionibus noſtris methodum, facile quidem auſcultabant, & facile etiam plerumque recrudeſcebant. Poſt maximos autem Aeris aeſtus toto fere Julio perdurantes, mitior evaſit Coeli temperies ſequente Auguſto, dum modo copioſis procellis, modo ventis, nubibuſve identidem permutabatur Aer. Varia hujuſcemodi, ac ſaepiſſime humida conſtitutio Septembre, & Octobre menſibus perduravit: atque tandem ſub Vergiliarum occaſum puriore, ſed frigido magis Aere frui coepimus, ſereno utplurimum exiſtente Coelo.

XIV. Julio vero menſe, dum ob inſolitos calores plus aequo fervebat Aer, eo gravius frequentiuſque *Tertianae* febres dominabantur, nec non *Hepatici fluxus*, *Dyſenteriae*, *Ophtalmiae*, *Cutis puſtulae*, aliaeque hujuſce indolis Aegritudines, a nimia ſanguinis, aut biliosi humoris, aut utriuſque ſimul rareſcentia, & tumultu ſubortae. In *tertianariis* pleriſque Aegrotis hiſce, praecipueque in Ruſticis, & Plebeis, Tumores *Lienis*, aut *Hepatis*, aut utriuſque etiam Viſceris obſtructiones variae praeibant modo, modo eodem tempore fiebant, aut in declinatione morbi. Ea autem quandoque in *Tertianariis* hiſce Sanguinis aeſtuatio cum tumultu maximo tunc excitabatur, ut non raro, initio acceſſionum, in augmento vero paſſim, rubicundae & prominentes in univerſa Cute maculae emergerent, una cum moleſto pruritu, praeſertim cum *pernicioſam* ſaperent indolem, atque de junioribus ageretur Corporibus: pro ut alias adnotavimus. Verum febres iſtae, quamvis *pernicioſae*, varia plerumque ſaevire ratione videbantur, ob diverſorum *ſymptomatum* comitatum. *Cardialgicae* tamen conſuetae paſſiones nunquam deerant, ſi *comatoſas* hujuſmodi febres illas excipiamus, quae in ſecunda aut tertia acceſſione adeo gravem adferebant ſoporem, ut ſui nil penitus compotes Aegroti evaderent: quod rarius evenit. Attamen quocunque febres iſtae modo incederent, aut cujuſvis indolis eſſent, ſive *comatoſae* nempe, ſive *cardialgicae*, non deficientibus aliis conſuetis *ſymptomatibus*: congruarum bilis excretionum adminiculo, non neglectis copioſis attemperantibus potionibus,

nibus, juxta recenſitam alias ſimpliciorem methodum, facile ſolvebantur, nec raro abſque *China China*, ad quam ſolummodo confugere tunc opus erat, cum contumaciores evaderent, gravioraque afferrent *ſymptomata*, propter quae pravam redolere indolem putabantur.

XV. Septembri menſe *Quartanae* graſſabantur, atque *Tertianae perniciosae* plurimae, quas, utpote ad *Lypiriam* tendentes, febrifugo ſtatim compeſcere neceſſe erat. Haſce enim graviſſima utplurimum comitabantur *ſymptomata*: Vomitus nempe praecipue flavovirentium humorum, una cum *Cholerico*, ut ajunt, fluxu, Stomachi ardore, & tenſione *Lienis* aut *Hepatis*, aut utriuſque. In hiſce etiam febribus acceſſio minoris, ut dicimus, notae ſub veſperas plerumque inſurgens eo uſque perdurabat, donec ſequenti die alteri majoris notae acceſſioni conjuncta, nullum fere intermiſſionis poſthac tempus relinqueret, licet modici emergerent ſudores, qui aliquam ſimulare remiſſionem videbantur. Quo ad caetera autem, conſuetam ſervabant indolem, atque progrediendi rationem, quam alibi, de iisdem agentes, fuſius deſcripſimus, ubi tutiorem exhibuimus curandi methodum, qua hoc pariter Anno aeque feliciter uſi fuimus, ſpecialem tamen ſervando rationem, pro morbi Aegrotorumque peculiaribus quibuslibet circumſtantiis cuique ſatis obviis.

XVI. Quotieſcunque in *Tertianis perniciosis* hujuſcemodi febribus (illas tamen ſpeciatim intelligo, quae periculoſae minus erant, & magis contumaces, in ſucciplenis praecipue Corporibus, cum *Hypochondriorum* tenſione, Oris amaritie, appetitu proſtrato, ac ſubflavo faciei totiuſque etiam Corporis colore) rationi haud ſatis conſonum arbitrabar, ſtatim *China China* uti, neque ſolo diluentium atque attemperantium potionum adminiculo omnimodam morbi ſolutionem obtinere me poſſe noveram: praevio, ſi opus erat congruo *purgante*, *epicraticam* levem *purgationem* utiliter inſtituebam, juxta Aegrotorum aetatem, temperiem, & febris ſpecialem naturam. Ideo ſequentes ut plurimum praeſcribebam pulveres.

℞. *Flor. Chamaemeli*
Rhabarbari el. añ. drach. I. & ſemis
Salis Centaureae Minor. drach. I.
M. *f. pulvis, qui dividatur in octo partes aequales.*

aut ℞. *Rhabarbari el.*
Nitri purificati añ. drach. I. & ſemis
Salis Centaureae Minor. drach. I.
M. *f. pulvis, qui dividatur in octo partes aequales.*

Ex hiſce pulveribus (aut ſimilibus ex *Rhabarbaro* paratis una cum aliis ſalibus, aut incidentibus Remediis pro ſpeciali morbi cauſa, vel Aegroti conſtitutione) binos quotidie propinabam;

pinabam; unum videlicet ſummo mane, alterum in veſperis, cum magno hauſtu decoctionis attemperantis, aut aquae purioris ſimplicis: *Rhabarbari* tamen doſim praedictam augere, aut imminuere ſolebam, pro ut Alvus ſua ſponte plus, minuſve ſolveretur, aut Aegrotos plus, minuſve purgare fas eſſet: habita ſcilicet ratione Bilis praedominantis copiae, aut craſſitiei ex propriis ſignis ſatis antea indicatae. Eodem modo totam praedictam pulverum doſim bis etiam iterabam, ſi febris contumacia, aut peculiaris ejuſdem apparatus hoc videbantur expoſcere: aliquando autem unum tantum quotidie ex hiſce pulveribus mane ſingulo ſumendum imperabam, quoties ſatis Alvus ſolveretur. Innumeros profecto recenſere hic poſſem Aegrotos, quos ſolo iſtorum pulverum praeſidio perfectae valetudini reſtitutos novi: Obſervatuque dignum tunc maxime fuit, quod plerique *Tertianarii*, qui hac methodo convaluerant, raro *recidivas* paſſi ſunt, dum ſecus aliis diverſa methodo curatis facilius, & pluries recrudeſcebat febris: id quod, ſicuti iteratis obſervationibus comprobatum, ita rationi neutiquam repugnare arbitrabar. Magnam enim bilioſi, utplurimum tenacis humoris copiam leniter, partitiſque vicibus per Alvum ſic Aegroti educebant: quare hinc *ſymptomata* quaeque plerumque imminuebantur, brevioreſque, & leviores in dies fiebant acceſſiones, donec omnimode ſolverentur. Quamobrem alia quaeque omittebam Remedia, ac praecipue pulveres *alchalicos* illos, vulgo dictos, quos utpote inutiles penitus, contemptui ſemper habui. Attemperantibus vero ſaepe potionibus, praeſertim Aqua ſimplici addito Mali medici ſucco, utebantur Aegroti, atque identidem praeſidiis ſedantibus aliis, quorum ope gravioribus *ſymptomatibus* obviam ire fas erat, non omiſſis unquam lenientibus Clyſteribus, qui Inteſtina abluere, & laxare poſſent, quoties, ob bilioſarum acriorum materierum affluxum, moleſti fierent premitus aut ardores, in hiſce febribus familiares. Graves adeo tamen, initio acceſſionum, ab acriore, & ſummopere aeſtuante hac Bile fiebant premitus in Inteſtinis, & ardores doloreſque circa Ventriculum, atque *biliarios* ductus: ut ſanguis ipſe cum ſaturatiore Bile per Alvum prodiret, maxima comitante Stomachi *cardialgica* paſſione, & fere *lypothimia*. Non deerant tamen alii, qui premitus hoſce, atque moleſta quaeque Inteſtinorum irritamenta non a bilioſo humore, ut diximus, ſed ab uſu dictorum pulverum deducentes, methodum noſtram improbabant. Hiſce autem ſatis ſit reponere, quod premitus iſtiuſmodi aliis etiam ſaepe familiares erant, licet a praedictis abſtinerent remediis; quotieſcunque videlicet croceae magis, & tenaciores ipſis evenirent dejectiones, quae quidem *Criſeos* ſaepe vices gerebant. Quod ſi a praedictis pulveribus, abſque hujuſcemodi excretionibus, incommoda haec vere ſuboriri compertum erat (ut aliquoties evenit) ab hiſce penitus tunc abſtinebam, quo uſque

Natura

Natura ipſa *Criſim* optatam promovere tentaret. Ex hiſce autem haud unquam auſerim aſſerere, me ſimplici hac methodo *Tertianas* quaſlibet ſpurias, & contumaciores maxime, ita eviciſſe ſemper, ut inpoſterum nunquam amplius recrudeſcerent. In hiſce enim morbis de hoc merito gloriari nemo ſemper poterit, ſive *China China*, ſive aliis, juxta quamvis methodum, medicamentis uti ſatius duxerit. Hujuſcemodi namque febres adeo contumaces plerumque ſunt, ut eo uſque pluries recrudeſcant, quo uſque nocuorum humorum per ſudorem partim, atque magna ex parte per Inteſtina excretiones congruae evenerint, quibus methodum noſtram potius, quam aliam conferre, ratio ipſa ſatis ſuadet, atque experientia conſtat.

XVII. Attamen inſurgent Medentes alii, illi maxime, qui *Tertianarum* febrium originem a ſolidorum praecipue effraenatis motibus potius, quam a fluidorum labe, neſcio qua ratione, derivando, meas haſce obſervationes fide minus forſan dignas exiſtimabunt, cum bilioſas congeſtiones dictas pro effectu magis, quam pro cauſa iſtarum febrium habendas eſſe arbitrentur. Dicent enim, quod in *Tertianariis* plurimis copioſi ſaepe bilioſi fluxus modo ſponte, modo Remediorum ope evenire viſi ſunt, abſque quod febris neque citius, neque tutius ſolveretur, quin imo paulo poſtea recrudeſceret, & pluries etiam: id quod ego inficiari nunquam auſerim. Animadvertendum tamen hic eſſe moneo, quod, quotieſcunque *Tertianae* hae febres a tenacioris bilis aeſtu principium habent (pro ut de *pernicioſis* contumacioribus hiſce verum eſſe fuſius alias demonſtravimus) nihil profecto, aut parum ſaltem ipſarum ſolutioni conferant copioſae dictae per Alvum excretiones, quae aqueae, ſeu ſeroſae potius ſint, quam bilioſae, licet croceum bilis colorem aliquo modo referant, ad quod paucae tantum ſaturatae bilis guttae ſufficiunt. Siquidem talia tunc non excernuntur, qualia oportet, juxta Hippocratis monitum; *Nam quae prodeunt non copia ſunt aeſtimanda, ſed ſi prodeant, qualia oportet, & facile ferant.* (2) Quapropter, dum bilioſae hujuſcemodi eveniunt dejectiones, tunc ſolum de omnimoda febris ſolutione ſperandum tuto eſt, cum tenax magis prodierit bilis, eaque croceo magis colore infecta. Tunc enim *criſis* verae naturam eas ſapere, credendum eſt: dum ſecus alias per expreſſionem potius, ut ajunt, in ſummo febris tumultu eveniſſe putaverim. Maleſano itaque conſilio tantum methodum hanc noſtram reprobare quiſpiam auſerit, ideo quia bilioſae excretiones aliquando fruſtra fiunt; dum utplurimum fauſto omine evenire, tutioremque morbi ſolutionem adferre comperiuntur.

XVIII. Addent inſuper, quod non raro *Tertianae* febres omnimode ſolvuntur, abſque ſpecialibus dictis bilis excretionibus, tum cum *China China* evincuntur, aliove Remediorum ſelectu, tum etiam cum ſua ſponte

(2) *Hippoc. Aphor.* 33. *Sect.* I.

ſponte ceſſant, nullis ſcilicet unquam adhibitis *purgantibus*. Si de exquiſitis mitioribus *Tertianis* ſermo ſit, hoc verum aliquando eſſe nunquam inficias iverim. Aſt ſi de ſpuriis, & quidem *pernicioſis* agatur; Auctor ego utique eſſe poſſum, me febres haſce nunquam omnimode, tutoque ſolvi obſervaſſe, abſque ulla manifeſta & copioſa ſatis evacuatione, ſive per Alvum illa fieret cum bilioſis dejectionibus (quod ſaepius evenit) ſive per urinas, ſive per ſudorem, quibus tamen & Alvi peculiares excretiones, ſi non pro *primaria*, ſaltem pro *ſecundaria criſi* aſſociari ſemper viſae ſunt. Quod ſi ſpeciales Alvi excretiones progrediente febre non fiebant, eadem profligata, paulo poſtea videbantur; tunc praecipue cum Aegroti, etſi febre immunes, haud omnimode convaluerant. In hiſce enim ſubflavum facies, aut ſubpallidum referebat colorem, cum *anorexia*, aut etiam nimia *appetentia*; unde etſi cibum ſatis aſſumerent, nihil pene aut parum ſaltem reficiebatur Corpus, quapropter ex Hippocratis effato, tunc (3) *evacuatione opus eſſe noſſe oportebat*, illa nempe, quae *Aegrotantis*, *& morbi conditioni accomoda magis eſſet* (prout explicat doctiſſimus Hecquet in commento) quae utique eſt *purgatio* congrua per Alvum. Hinc experientia ipſa teſte toties didici, ac praeſertim hoc anno obſervavi, quod *Tertianarii* hujuſcemodi citius, ſaepiuſque *recidivas* indentidem patiebantur, nec eouſque perfectae ſanitati reſtituebantur, quouſque *Criticae* Alvi excretiones evenirent, illaeque plus, minuſve copioſae, juxta morbi ſpecialem cauſam, & Aegrotorum conſtitutiones. Bilioſae autem tunc prodibant materiae, tenaces, croceoque magis colore ſaturatae, & gravius olentes. Harum tamen excretionum vices aliquando ſudores copioſi, foetidioreſque & croceae urinae ſupplebant, aut cum illis ſaltem *criſim* melius complere ſolebant. Neque vero in *Tertianis* hiſce febribus ſtatutum ſervare ſemper tempus Natura videbatur (ut in Acutis morbis plerumque evenit) pro *criſibus* hiſce complendis, cum eas modo citius, modo tardius perficeret, aliquando etiam longe admodum a diſceſſu febris: quando nempe praedicta in Aegrotis occurrebant ſigna imperfectam eorundem ſanationem manifeſte indicantia.

XIX. Obſervationes haſce meas, aliaſque caeteras ad hoc ſpectantes, quas non vacat hic ſingillatim referre, tunc veritati omnifariam conſonas eſſe eo tutius arbitrari me poſſe credidi; cum primum doctiſſima Bononienſis Celeberrimae Academiae Commentaria pervolvens, Praeſtantiſſimi Franciſci Albertini diſſertationes *de Peruviano Cortice* perlegi, ex quibus aperte evincitur, febres haſce nunquam *ſine ulla quavis evacuatione a Quina Quina depelli*: nempe aut per Alvum, aut per urinam, aut per ſudores; qua ratione ſemper, eas etiam ſolvi putat, ſive aliis medicamentis obtemperent, ſive ſponte ſua evaneſcant. *Id enim* (4) *affirmare*

(3) *Hippoc. Aphor.* 8. *Sect.* 2. (4) *Albertin. Diſſert. in Com. Acad. Bonon.*

re non dubitat, ſe ex eo tempore, cum id primum obſervare inſtituit, neminem pene vidiſſe Aegrum, vel potius omnino neminem, qui ſumpta Quina Quina plane ac perfecte convaleſceret, quin aut ſtatim, aut paulo poſt, aut ſerius illas haberet criticas evacuationes, quae fere ſemper illos morbos ac febres ſequi ſolent, qui vel aliis medicamentis curantur, vel ipſa natura finiuntur.

XX. Praeclariſſimi hujuſce Auctoris obſervationibus, & ratiociniis innixus, quibus & meas comprobari gaudebam; quotieſcunque poſt *febrifugi* dicti uſum, iteratum etiam, congruis deficientibus evacuationibus, aut non abunde ſatis peractis, Aegrotos haud omnimode convaleſcere animadvertebam, ſaepiſſime hoc Anno, aliiſque ſequentibus idoneum *purgans* remedium propinavi, cujus ope, ſoluta leniter, ſed ſatis Alvo, aut nulla poſthac accedebat febris, aut ſi unquam levior fiebat, illam ſtatim *China China* evincebam penitus, nec amplius utplurimum revertebatur. Verum, ſi a *purgante* congruo Remedio abhorrebant Aegroti, *Rhabarbari* modicam doſim cum *China China* commiſcebam, aut ſupra enarratos pulveres praemittebam, & fauſto utique eventu. Neque vero methodo hac inconſulto unquam me gerere conſuevi in hujuſcemodi febrium curatione: Verum individualem ſemper earundem caracterem attendi, *ſymptomatum* nempe quorumvis ſaevitiem reſpiciens, praecipuaſque Aegrotorum conditiones quaslibet, quibus ſero magis, minuſve, aut nullas, aut modicas tantum bilioſas Alvi utiles excretiones contigiſſe noveram: quorum omnium calculum inire ſedulo debet Medicus. Siquidem Ego quamplurimis etiam inſtructus obſervationibus cum praelaudato Albertino teſtari ſemper potero, quod (5) *adverſus ſuccum, qui febrem intermittentem facit, ſpecifice ſolum valet Quina Quina, & eum, ne quid mali agat in corpore, ad multos dies impeditum, & quaſi irretitum tenet; quibus diebus, niſi is per Criſes exeat, ſeſe ab eadem expedit, & febrem rurſus facit, idcircoque operae pretium eſt, novo iterum febrifugo ipſum continenter reprimere, donec criſi foras ſeſe prodiiſſe oſtendat.*

XXI. Revera ſi Aegrotos quoſcunque illos inſpiciamus, qui *Chinae Chinae* adminiculo a febribus hiſce, ſpuriis praeſertim, evadunt, & quidem abſque neceſſariis *Criticis* excretionibus, in quibus maxime cauſa morbi *febrifugi* vi ſuppreſſa eſt, atque *irretita*, non autem eliminata; Ipſi, licet febre prorſus careant, non omnimode tamen convaluiſſe comperiuntur. Idcirco plus aequo pallent, ſubflavoque etiam (ut de aliis diximus) colore foedantur: viribus parum valent: leves inordinatoſque circa dorſum rigores identidem, praecipueque in veſperis patiuntur: cibos aut parum, aut immoderate nimis appetunt, cum Oris amaritie: tranquillas raro noctes tranſigunt, fantaſticis, & moeſtis ſaepiſſime inſomniis turbati, atque huc illuc per lectum abſque

ſomno

(5) *Albertinus ibidem.*

ſomno ſeſe plerumque jactantes: Iis pulſus frequens, & concitatus fere ſemper eſt, cum non modico calore: Praeterea ad Iram proni maxime ſunt, aut moeſti, minimamque quamlibet ob cauſam animo ſummopere turbantur. Quamobrem, dum haec, aliaque hujuſcemodi poſt *Chinae Chinae* uſum, profligata jam a pluribus etiam diebus febre contingunt, merito timendum eſt ne cito iterum recrudeſcat: pro ut alias fuſius monuimus; niſi congrua interea neceſſaria *Criſis* accidat, quae tamdiu perſaepe procraſtinare conſueſcit, donec terque quaterque ſuppreſſa febris toties denuo acceſſerit.

XXII. Videant hinc, quaeſo, inconſulti quilibet *purgantium* idoneorum oſores, ſemotiſque praejudiciis attendant utique, & judicent, utrum in hujuſcemodi febribus neceſſe ſit, congruo praevio *purgantium* ſelectu (quotieſcunque iis profecto uti ex dictis opportunum judicetur) ſpeciales per Alvum *Criſes* paulatim & ſatis moliri, pro deſtruenda morbi cauſa, educendaque, non autem ſopienda tantum: idquod *China China* plerumque praeſtat. Verum enim vero objicient forſitan adhuc illi, quod, ſi ſolo *febrifugo* aliquando febrilis fomes ideo non evincitur, quia congrua deſideratur *critica* excretio: ſatius tutiuſque conſilium ſit, *diuretica* potius, aut *Diaphoretica*, ut ajunt, Remedia alia praeſcribere, quam *purgantia*; praecipue quia haec, & ſi mitiora & blanda, inordinatos nimis (ut ipſi perperam putant, atque depraedicant) tumultus excitant, aut ſupervacaneas dejectiones omni quidem jure timendas. Ut ipſis quoquo modo reſpondeam, gratis utique iiſdem concedam pro nunc (licet ſecus pro certo cum Sanioribus habeam) quod *diuretica* hujuſce cenſus *diaphoreticave* Remedia in promptuariis Medicis vere adſint: de quo Clinici etiam alii abſque praejudiciis judicabunt. Neque inficias unquam iverim, congruam ſudorum urinarumque prodeuntium copiam optatae aliquando *Criſeos* vices in hiſce febribus ſupplere, atque praeſertim per *inſenſibilem perſpirationem*, Peruviano Cortice adhibito, *quia ex ejus uſu levis quidam mador in cute obſervatur*. (6) Verum tamen dum maxima & praecipua iſtarum *Criſium* pars Alvi potius excretionibus quam aliis quibuſvis perficitur; tutius plerumque, rationique magis conſonum exiſtimavi ad idonea mitiora *Purgantia* confugere: Idque eo libentius alacriuſque inpoſterum faciam, cum nunc Auctorem, & Teſtem habeam (7) praelaudatum Albertinum, qui, ut ipſe fatetur, *purgantibus potius uſus eſt, non ſolum quia Medico facilius eſt movere ſeceſſus quam urinas, & ſudores; ſed etiam quia febres tam facto ipſo, quam ab origine intermittentes a depravatis, ut Plerique docent, Abdominis ſuccis oriuntur, qui promptius per primas vias expelluntur. Et ſane vomitorium, vel*

(6) *Gorter de Perſpirat. Cap.* I. *n.* 5.
(7) *Albertinus in Comment. Bonon. ibidem.*

vel Purgans unum, ſi tempore adhibeatur, interdum & cauſam ſimul, & febrem tollit. Quid ergo plura? Si *purgantia* haec, Albertino teſte (quod ego quoque ſaepiſſime obſervavi) *cauſam ſimul, & febrim tollunt*: illa caeteris palmam in earundem curationibus praeripere, quis unquam negaverit? niſi cum adnexorum *ſymptomatum* ferocia, aut ſpecialis ipſius febris *pernicioſa* indoles, aut debilis Aegrotorum conſtitutio, *Chinam Chinam* illico poſtularent, pro ut alibi oſtendimus.

XXIII. Verum enim vero, dum *Purgantia* Remedia congrua, tanquam maxime neceſſaria in hujuſcemodi curationibus commendo: non is ego ſum, qui quibuſvis indiſcriminatim, aut quocunque morbi tempore, modoque, uti nos debere putem. Non me latet, ſicuti in pleriſque morbis, ita febribus hiſce ſua tempora competere, ad quae ſedulo attendere debet Medicus, juxta Divini Senis praecepta, ne intempeſtive nempe, ne violenter, ne tumultuarie nimis febriles humores moveat, atque educere tentet, antequam tam decantata *coctio* illa perficiatur. Id circo cum perſpectum ſemper haberem, nec una tantum vice, nec initio morbi, neque violentiorum *purgantium* adminiculo, cauſam febris deſtrui tuto jucundeque unquam poſſe; praevia in bene nutritis Corporibus, aliiſque, ſi opus erat, Sanguinis emiſſione, ſuprafcriptos exhibui pulveres ex *Rhabarbaro* paratos: aut eorum loco *tincturam Rhabarbari* in Sero lactis depurato factam, aliave hujuſce cenſus praeſcripſi, quorum ope ſenſim & ſine ſenſu, iteratis quidem vicibus Inteſtinorum motus leniter excitans, vegetioreſque reddens, diſpoſiti, ſi quis unquam primis etiam diebus eſſet, febrilis humoris excretionem tutius utiliuſque promovere poſſem, pro peculiari Aegrotorum quorumlibet indigentia. Si vero morboſus fomes tunc ſatis nondum ſecretus, ſive mavis *concoctus* erat: hoc utique praeſtabant Remedia haec, quod expeditas magis ita redderent excretorias ſemitas, ut congruo tempore *Criſis* haec facilius perficeretur: quam quidem praemature nimis validiuſve alio modo quaerere periculoſum arbitrabar.

XXIV. Haec ea ſunt, quae per tranſennam proponenda hic erant, ut ſervatae a me in harum febrium curatione methodi fundamentum, potioremque rationem palam cuique facerem. Abſit hinc tamen, quod debitas unquam *Chinae Chinae* laudes praeripere, utilitatemque negare contenderim. *Febrifugum* enim hoc, tanquam optimum, caeteriſque efficacius laudo maxime, & commendo. Ipſo autem indiſcriminatim, & feſtinanter nimis, ad quaſcunque *Tertianas* evincendas febres, uti: nec rationi conforme, nec utile, tutumve eſſe, ex dictis deduco; maxime ſi congrua ea non praeceſſerint praeſidia, quae evincendae radicitus febrili cauſae conferre tutius potuerint; caeterumque de *pernicioſa* non agatur febre, quae periculum quoquo modo minitetur: de quibus omnibus alibi fuſius actum fuit.

XXV.

XXV. Verum, ut vulgaris hujuſce controverſiae (quae paſſim in Ore Medicorum obverſari ſolet, Artiſque noſtrae incerta prorſus principia eſſe, nimiumque diſputationibus obnoxia non ſine noſtro dedecore Aegrotis ipſis, & Adſtantibus oſtendit) fundamentum omnimode pateat: alia denuo hic addere non incongruum erit, pro dictorum illuſtratione. Cuique notum eſt, ut alibi fuſius innuimus, *Tertianas* utplurimum febres variae admodum indolis evadere, ob ſpeciales Anni temporum conſtitutiones, atque praecipue ob affectorum quorumvis Corporum temperies varias, quae tum aetatis, tum victus, tum aliarum quarumlibet externarum, internarumve cauſarum rationem adamuſſim ſequuntur. Hujuſcemodi ideo *Tertianarum* varietas, variis etiam, pro earundem curatione, methodis anſam praebuit, & praebebit inpoſterum, uſquedum, opinionum neglectis idolis, ſemotiſque penitus praejudiciis, veritatem ab obſervationibus maxime eruere ſedulo non conabimur. Etenim, dum *exquiſitae* graſſantur *Tertianae*, quae ſponte etiam ſua ſolvi cito tutoque conſueſcunt: propriis quiſque uſus remediis, eas remittere penitus attendens, ideo Aegrotos ſuos convaluiſſe pro certo habet, quia talibus uſi fuerunt Pharmacis, quae ideo tanquam ſpecifica, & neceſſaria depraedicat; dum interea nihil propemodum animadvertit, alia quoque methodo id pro votis ceſſiſſe: unde merito dubitandum eſt, num remediis hiſce, aut illis, num Naturae ipſi (quod plerumque evenit) ſanatio debeatur. *Tertianae* etiam *ſpuriae* plurimae, tametſi diutius protrahantur, proprio Marte deferveſcere non raro ſolent: unde varia methodi *curativae*, ut ajunt, ratio emergit, quam quiſque pro libitu ſuo, atque opinione tutiorem utilioremque arbitratur, oppoſitaeque ſententiae Fautores in errorem abduci, neutiquam veretur aſſerere. Idem prorſus evenit, dum de ſpuriis illis contumacioribus agitur, quae, ſive *China China* ſimplici, ſive Rhabarbari etiam, aliorumve purgantium, aut *Emeticorum*, aut *digeſtivorum*, ut dicimus, Salium uſu quomodolibet evincantur: terque quaterque recrudeſcere inpoſterum conſueſcunt, quacunque deinde iterum methodo curentur. Profecto tunc quiſque aliorum methodum condemnat. Illi enim, qui a *Purgantibus* averſantur, ab ipſis *recidivae* rationem deducunt: Secus vero, qui ſola *China China* Aegrotos evaſiſſe deprehendunt, illos eatenus toties, graviuſque inpoſterum aegrotare autumant, atque certo praenuntiant; quatenus congrua defuerit *purgatio*, ut diximus, quam, cum Natura ſponte ſua non perfeciſſet, Arte promovere opportunum utique erat, pro evincenda educendaque funditus morbi cauſa. Animadverſiones iſtae, aliaeque hujuſcemodi (quae quidem & in aliorum quorumlibet morborum curationibus, tot, tamque diſcrepantibus Medicorum opinionibus principium praeferunt) *curativas* quaslibet *Tertianarum* methodos fallaciae inculpare poſſe primo

intuitu videntur. Re autem melius conſiderata, non hinc merito omnes indiſcriminatim damnandi ſunt Medici, cujuſvis illi circa hoc ſententiae vere ſint, ſi pro votis ſemper curationes ipſis non evadunt; ſicuti nec omnes laudem merentur, quia optato fine feliciter potiuntur; licet hinc plerumque de Medicorum peritia judicium desſumere maleſano conſilio vulgus ſoleat. Diſtinguendi ideo ſunt in primis graſſantium febrium characteres, & mores, Aegrotorumque temperamenta: a quibus tutius morbi judicium emanat. Praecipue vero attendendae ſedulo ſunt *ſpontaneae* evacuationes illae, quas ex ſe Natura promovere conſueſcit, dum febrim ullis abſque remediis desſtruit. Ex hiſce enim facile quiſque, meritoque decernet, methodum hanc potius quam illam veriſimilem ſanioremque eſſe, utpote quae Naturae ipſius motibus conformis magis evadat: pro ut de noſtra verum eſſe ex dictis deducitur: quidquid in oppoſitum eventus ipſe aliquando militaverit. Id unum addam tamen, pro aſſumpti confirmatione, quod perſaepe *Tertianariis* hiſce, ope ſimplicis *febrifugi* profligata febri, Viſcerum naturalium obſtructiones, plurimique ab ipſis proficiſcentes morbi ſuboriri ſolent, qui diu admodum perdurant. Secus vero illis evenit, in quibus conſueti Naturae critici motus promoventur, *purgantium* congruorum ope, non neglecto tamen *febrifugo*: quo modo Chronici evitantur fere ſemper morbi, tametſi aliquoties *recidivae* eveniant.

XXVI. Menſe Octobri rarius graſſabantur *Tertianae* febres, quae illos plerumque corripiebant, qui terque, quaterque idem ſubierant infortunium, & quidem ſpecialiter poſt iteratum *Chinae Chinae* uſum, abſque ullis *purgantibus*. Hiſce enim tumebant utplurimum *Hypochondria*, & Lien maxime, pravo foedata colore facie. Aliquibus dolores fiebant in alterutra Aure, qui educto inde pure ſolvebantur, aliquando cum omnimoda morbi victoria; unde hujuſcemodi ſuppurationes loco *Criſis* habendae erant, ut & in aliis paſſim morbis contingit. Inter *Tertianas* ſpurias contumaciores illae *recidivas* ſaepius diutiuſque praeſertim habebant, quae poſt Aeſtivum ſolſtitium inſurgebant; cum alternis identidem vicibus ſaeviendo ad hyemale ſolſtitium uſque protraherentur. Obſervatu praeterea dignum tunc maxime fuit, quod ſi febres iſtae (poſteaquam aliquot vicibus recrudeſcere viſae fuerant, atque ſponte ſua, aut *febrifugi*, aliorumve remediorum adminiculo toties aeque ceſſerant) denuo inſurgebant, non amplius acceſſurae: tunc poſt ſtatutum ſaepe tempus, binae tantum, aut tres, quatuorve acceſſiones fiebant, quo uſque iterum poſt ſimile tempus emergerent, leviores factae, ſaepe abſque ulla ordinata periodo, atque ſic tandem omnimode morbus evaneſceret.

SECTIO SECUNDA

De Morbis Hepatis.

CAPUT PRIMUM

De Morbis Hepatis in genere, ubi ſpecialis Abſceſſus ejuſdem Viſceris Hiſtoria proponitur.

XXVII. EX hiſce, quae hic breviter, atque alibi fuſius de *Tertianis* febribus diſſerens, obſervatu digna eſſe exiſtimavi, ſatis ſuperque patere mihi videtur, morborum hujuſcemodi principium, variamque rationem & genium, a Bilis praecipue exuberante copia, pravaque ſpeciali qualitate, eaque varia (juxta varios eorundem characteres) immediate peti debere (prout Veterum etiam Medicorum opinio fuit, Clarioreſque inter Recentiores plerique autumant) dum mediatam eorum cauſam ab *Hepatis* morboſa peculiari conſtitutione derivandam eſſe haud unquam inficiabor. Quotidiana enim ſatis experientia evincitur, quod illi, qui frequentius, qui contumacioribus *Tertianis* hiſce febribus laborant, quam facile non *Lienis* tantum, ſed *Hepatis* maxime, aut utriuſque ſimul Viſceris gravibus morbis obnoxii plerumque ſunt; quare aut *Icteritia*, aut *Cachexia*, nec raro *Hydrope*, aut *inflammatoriis Hepatis* tumoribus varia ratione detinentur. Viceverſa Plerique, qui, ob *Hepatis* praecipue, *Lieniſve*, aut utriuſque Viſceris pravam conſtitutionem, praedictis morbis hiſce divexantur, eo facilius, ſaepius, graviuſque *Tertianis* praeſertim contumacioribus afficiuntur: ut alibi quoque innuimus. Haec vero conformia utique eſſe videntur aſſerto ſpecialiter Praeſtantiſſimi Jo: Baptiſtae Bianchi Medicinae, & Anatomiae Profeſſoris Taurinenſis Celeberrimi (8) dum ait, *toties a bile cauſari febres poſſe, quoties eadem deflectet a ſtatu naturali in qualitatibus ſuis, vel in tactili, vel in ſapido, vel in colorato, ſejunctim, aut ſimul; Imo non ſolum variarum extenſionum Febres, acutas, chronicas, continuas, intermittentes: ſed & ſitim, macies, maraſmos, inappetentias, vultus pallores, hypochondriorum calores, & tenſiones; Alvos nunc lubricas, nunc adſtrictas, borborigmos, colicas, obſtructiones, Icteros, choleras, alioſque innumeros,* violen-

(8) *Jo: Bap. Bianchi Hiſtoria Hep. p. 2. cap. 9. §*

violentos, *aut lentiores*, *in primis viis*, *in viſceribus*, *in ſanguine*, *in habitu Corporis affectus &c.* quae omnia rationabilius ex §. 7. & 8. ipſe ibidem deduxerat: de hiſce autem poſtea fuſius agemus.

XXVIII. Interea ſpecialem hic addere obſervationem, nuper a me habitam, expedit, quae non tantum propoſitam de *Tertianarum* febrium origine, & genio ſententiam hanc illuſtrare magis poterit: verum etiam viam ſternere, ut morborum Hepatis principium, & characteres aſſequamur, plurimis etiam aliis ad id conferentibus obſervationibus. Spectabilis Vir Dominus Julianus Vacchellus Urbis noſtrae Cancellarius, poſteaquam pluries tranſactis annis Aeſtivo tempore *Tertianis* febribus obnoxius fuerat, illiſque maxime, quae, utpote perniciosſam ſubolentes indolem, ad *Lyppiriam* pronae, *febrifugi* uſum ſtatim utiliterque expetebant; Initio Auguſti menſis praenotati anni 1737. *Tertiana* duplici ſpuriaque febre, pernicioſam aemulante, correptus fuit, cum anxietate *Praecordiorum* non levi, vagiſque doloribus. Diuturnae admodum evadebant acceſſiones, quae modico, licet diu protracto ſudore haud omnimode ſolvebantur. Idcirco, ad evitandam primis uſque diebus imminentem *Lyppiriam*, congrua Alvi praehabita *purgatione*, ſatiſque prius educto ſanguine, ad *Chinam Chinam* illico confugi, quam ipſi alias fauſto ſemper omine praeſcripſeram: unde febri immunis ſtatim evaſit. Tribus autem vix elapſis diebus, febris iterum acceſſit, eo pejorem praeſeferens indolem, quo levior videbatur. Plerumque enim comes aderat vomitus, cum *cardialgicis paſſionibus*. Quotidie in veſperis invaleſcebat, modico vix praevio rigore, & aliquando nullo: augebatur magis noctu, & mane paululum remittebat, uſque dum altera eodem modo fieret acceſſio: & ſic quotidie, ſervata tamen quoquo modo alterna Tertianae duplicis periodo, cum de tertio in tertium modo gravius, modo levius ſaeviret. In ſummo febris tumultu univerſales quotidie ſudores aderant, copioſique magis die gravioris acceſſionis, tunc cum ad ſequentem totam noctem utplurimum protrahebantur, una cum moleſto *punctionis* ſenſu in univerſo Corporis ambitu: unde inſomnis plerumque factus, viribus maxime deſtitutus evaſit. Attamen mane bene ſe habere fere ſemper videbatur, tametſi febre prorſus non careret. Dum copioſi hujuſcemodi ſudores prodibant, totum identidem Corpus plus, minuſve incaleſcebat, atque inconſtanti rubore magno facies undique perfundebatur. Parcae admodum urinae erant, omnifariam ſanorum pene ſimiles: nec Capite quidquam dolebat. Attemperantes tunc omnis generis potiones, atque aperientes non omiſimus: ſed incaſſum penitus. Febris enim haudquaquam remittebat, imo novas quotidie in veſperis acceſſiones habens, manifeſto praevio rigore, alternam denuo Tertianae duplicis continuae periodum ſervare viſa eſt: unde *Chinam Chinam* iterum experiri non neglexi-

neglex imus: abſque ullo tamen levamine. Contumax enim adhuc perſtitit febris, inordinatum in omnibus ſervans rhythmum, dum caeteroquin in veſperis quotidie augebatur. Tunc autem perſaepe ſtomachi graviores paſſiones, atque aliquando anxietates fiebant, una cum acidis amariſque ructibus, ejuſdemque indolis *vomitionibus*, aliiſque hujuſcemodi *ſymptomatibus*, quae *cardialgicas* Tertianarum febrium conſuetas *paſſiones* aemulantur. Additus hiſce poſtea fuit moleſtus dolor circa collum verſus humeros protenſus, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum ipſum excrucians: eodemque tempore in ſuperiore Abdominis parte dextra, circa ſpurias ultimas coſtas, ubi dexterum *hypochondrium* reſidet, ſaepe dolebat, inani plerumque comite tuſſi. Hiſce omnibus attentis, juxta praeconceptum Tertianarum febrium principium, de Hepatis ſpeciali laeſione ſuſpicari coepi, unde primarium morbi fomitem emergere non dubitabam. Tunc tamen nullus penitus tumor tactu percipi extrinſecus poterat. Hinc praecipuam, & genuinam quidem occurrentium quorumlibet *ſymptomatum* rationem petendam merito eſſe arbitrabar: Nauſeae nempe, bilioſi vomitus identidem recurrentis, nec non frequentium acidorum ructuum, inaniſque tuſſis. Haec omnia comitabantur bilioſae Alvi copioſae excretiones, foetidae admodum, modo ſponte, modo laxantium Clyſterum adminiculo factae. Sanguinis ideo emiſſionem ex Pede imperavi, copioſaſque diluentes attemperanteſque potiones, una cum lenientibus aliis, & diſcutientibus remediis dolenti parti extrinſecus adhibitis. Verum tunc febris abſque ulla intermiſſione quotidie invaleſcere coepit; mane tamen ita imminuebatur, ut fere nulla videretur. Aſt poſt prandium ingraveſcebat, rigore quodam praevio, eoque magis alternis diebus, ut Tertianarum periodum quoquo modo referret. Interea dolor in regione Hepatis gravior in dies, magiſque acutus fiebat, praecipue dum affecta pars comprimebatur, maximeque cum in oppoſitum decumberet latus. Copioſis quoque ſudoribus noctu quotidie ſcatebat, aliquando interdiu, cum moleſtiſſimo *punctionis* ſenſu in univerſa Cute, non modica ſubſequente extremorum perfrigeratione: quare viribus ſaepe adeo deſtituebatur, ut Animo pene deficere aliquoties videretur. Macie ideo conficiebatur admodum: rubebat non raro maxime facies, pallore utplurimum affecta: pulſuſque in augmento febris depreſſus, & frequens ſemper erat: vox ſaepe rauca & demiſſa: oculi autem & lingua a naturali ſtatu nihil penitus receſſerant.

Haec omnia obſervavimus uſque ad 39. morbi diem, tunc cum, paulo poſt meridiem, adaucta maxime ac derepente febris fuit, poſteaquam quatuor circiter horarum intervallo praetermodum inhorruerat, cum extrinſeca etiam Corporis vehementi concuſſione. Additus hiſce fuit univerſalis magnus

gnus aeſtus & anxietas: crebra magis, & validior evaſit tuſſis: Sitis intenſior, cum copioſo ſudore. Dolor etiam circa Hepar adauctus fuit, aliiſque hujuſcemodi gravioribus *ſymptomatibus* contriſtari viſus eſt, ſui tamen optime & ſemper compos. Poſthac vero conſuetum iterum ordinem ſervavit febris, mitior nempe evadens, praecipueque mane adeo evaneſcens, ut ab intermiſſione totali vix paululum diſtare crederetur. Cum *Horripilativam*, ut dicimus, febrem hanc validam obſervaſſem, majore etiam circa Hepar ſubſequente dolore, una cum aliis *ſymptomatibus:* eo tutius de praeconcepta ejuſdem viſceris laeſione ſuſpicari me poſſe exiſtimavi, quin imo factam ibidem jam fuiſſe *inflammationem*, ac ſubſecutam proinde *ſuppurationem*, certo aſſerere haudquaquam dubitavi, eamque praedicta 39. morbi die factam indicavi ex Hippocratis praeſagio (9) dum ait: *Proinde ſuppurationis initium obſervare oportet, quod ab eo die putandum eſt, quo primo quis febricitavit, aut inhorruit.* Etenim, ut Hollerius (10) monet, *inter ſigna ſuppurationis rigor eſt, qui puris acrimonia commovetur, dum inde vicina Corpora vellicantur.* Praeterquam quod alia ſatis conſpicua praeceſſerant ſigna ab eodem divino Sene indicata (11) ubi ſic effatur: *Suppurationes omnes hoc pacto deprehendes. Si febris non dimittit, eaque interdiu levior eſt, noctu increſcit, multus ſudor oritur, tuſſiendi cupiditas eſt, ſed nihil pene exſcreatur.*

Cum haec omnia mecum ipſe meticuloſe conferrem, infauſtum prorſus morbi exitum praenuncians, nec quidquam de Aegroti ſalute ſperans; alii in conſilium accerſiti fuerunt Medici, qui morbum hunc alio ratiocinio perpendentes, Hepar *ſuppuratione* tunc omnimode carere exiſtimarunt, *Lymphaticam* tantum, ut ipſi loquebantur, & levem prorſus congeſtionem in eodem Viſcere, adnexiſque ipſi partibus aliis factam accuſando, quae non aeque periculoſum (pro ut ego putaveram) imo non infauſti prorſus ominis morbum ſtatuere, ipſis videbatur. Nec immerito judicare hoc ſe poſſe arbitrabantur; eo quia levis plerumque extiterat febris, mane ad intermiſſionem ut plurimum quam proxime accedens; inſuper nullus penitus in affecto Viſcere tumor extrinſecus apparebat, nulluſque ibidem ponderis ſenſus; dolor nec admodum vehemens, nec permanens ſemper erat; faciei color a naturali parum deflexerat. Quibus omnibus, aliiſque hujuſcemodi, rite perpenſis, nullum rationali conjecturae locum ſupereſſe ipſi judicabant, ut praeconceptam a me in Hepate funeſtam *congeſtionem*, multoque minus *ſuppurationem* factam fuiſſe, mecum decernerent.

Ego vero, bilioſas copioſaſque, nec non plus aequo cro- ceas

(9) *Hippoc. lib.* 2. *praeſag. n.* 57.
(10) *Holler. Com. in Coac. Hipp. lib.* 1. *n.* 10.
(11) *Hippoc. lib.* 2. *praeſag. n.* 57.

ceas materies attendens, quas antea ſemper ejecerat tum per ſuperiora, tum per inferiora, cum *cardialgicis paſſionibus*: tum laborioſum in oppoſita parte *decubitum*, frequentem in affecta dolorem, qui ad Lienem non raro tendebat, ſaepe ad humeros, & claviculas exporrectus: quibus comes aderat ſicca tuſſis, continua & inordinata febris cum rigoribus abſque norma aliquando recurrentibus &c. factam jam in Hepate gravem *congeſtionem* aſſerere neutiquam dubitavi, quae ideo tactu percipi non poterat, quia non in enormem adauctum fuerat molem Hepar, in ea praecipue parte magis affectum, ubi ſub ſpuriis coſtis adamuſſim latet. Quamobrem, ut periculum hoc, a me ſatis praecognitum, Sanioribus avertere praeſidiis quaererem, ſelectiora remedia alia, e diluentium laxantium, & diſsolventium penu deprompta, intrinſecus, & extrinſecus uſurpanda ſedulo eſſe imperavi; eo nempe ductus ratiocinio, ut *abſceſſus* omnimodam *maturationem* potentiori ope promoverem, puriſque tranſitum per *emunctoria* congrua faciliorem redderem: ad quod unice rationalis *curationis* ſcopus vergere poterat, maxime quia latens omnimode ſub ſpuriis Coſtis Hepatis *Phlegmon*, nulloque modo ſe extrinſecus prodens, non *uſtionem*, non *ſectionem* ab Hippocrate ipſo propoſitam, atque a plurimis fauſto ſidere factam permittere tuto poſſe videbatur. Interea febris poſt 39. diem eumdem penitus, ac antea rhythmum ſervare iterum coepit, in veſperis ſcilicet leviter invaleſcens, ac mane decreſcens: comitante tamen ſemper copioſo nocturno ſudore, affectaeque partis acutiore dolore: addita poſtea ſiti, cum frequenti anxietate, vigiliis, aſſiduiſque vomendi conatibus, perſaepe inanibus, ac plerumque cum virentibus amariſque, & acidis excretionibus; unde eo magis, magiſque univerſum Corpus conſumptum in dies fuit.

Quatuordecim vix tranſactis diebus ab *horripilativae* gravioris dictae febris invaſione, dum hinc inde anceps criticos Naturae optatos motus expectabam, die 53. morbi paulo poſt meridiem, vehementiorem in laborante parte dolorem extemplo Aegrotus perſenſit, cum ardore maximo, nec modici cujuſdam interni ſtrepitus ſenſu, ac ſi (ut ipſe ajebat) pars ibidem diſrupta fuiſſet. Hinc obtumuit illico undecunque Abdomen (quod molle quidem ſemper antea fuerat) praeſertim circa *Pubem* & *Ilia*, atque ita tenſum inopinato evaſit, ut ne minimam quidem compreſſionem ferre, neque per lectum ſe hinc inde movere, neque urinas ejicere abſq; graviſſimo dolore poſſet. Adaucta poſtea ſummopere fuit febris, evanuit admodum pulſus, una cum ſumma anxietate, profuſis ſudoribus, Animique totali fere *exſolutione*, ut ad Agonem perductus affatim videretur. Haec omnia paſſus fuit tota fere ſequenti 54. morbi die: atque poſthac melius aliquantulum ſe habere iterum coepit.

Cum primum, dum haec eve-

nerant, accerſitus ad ipſum fui, ſtatim diſruptum in Hepate *Abſceſſum*, effuſumque in cavitatem Abdominis pus fuiſſe tunc, certo certius pronunciavi. Etenim pus, ob gravitatis legem, *hypogaſtricam* praecipue regionem ſubiens, majorem circa *Pubem tenſionem* effecerat, atque vi, qua pollebat, mordaci, & corrodente, *Peritonaei* intimam ſuperficiem, extimamque Inteſtinorum, & Veſicae irritando, earundemque partium nerveas fibrillas in *ſpaſmodicas contractiones* cogendo, *Timpanicam* (ut dicimus) univerſalem Abdominis *tenſionem* moleſtiſſimam, una cum ſuppreſſione urinarum produxerat: unde & quorumlibet aliorum ſubſecutorum *ſymptomatum* origo adamuſſim deducitur.

Quum haec mecum ipſe conferrem, iterum acceſſere Medici, qui de iiſdem ſtatim conſilium denuo mecum ineuntes, nulla prorſus conjecturae meae praeſtita fide, unanimi conſenſu ſtatuerunt, haud congrua unquam praeceſſiſſe ſigna, quae genitum in Hepate *Abſceſſum*, multoque minus diſruptum fuiſſe, indicarent. Qua de re inopinatam maximamque potius *Peritonaei inflămationem* inculparunt, propter quam, contractis circumundique ejuſdem fibris, *ſpaſmodicus* totius Abdominis tumor, una cum vehementi dolore, aliiſque enarratis *ſymptomatibus*, eveniſſet. Verumtamen ego ipſorum ſententiae nihil propemodum acquievi, cum tot, tamque perſpicua, & certa mihi paterent ſigna, quae judicium meum confirmare ſatis ſuperque poſſent. Porro quamplures mihi tunc favebant obſervationes a Sanioribus Auctoribus depromptae, quibus optime innixus non tantum *Abſceſſus* exiſtentiam in Hepate, verum & ejuſdem diſruptionem poſtea factam, cum effuſione praeſertim puris in Cavitatem Abdominis, indicare certe poteram. Inter caeteros enim Deſiderius Jacotius (12) dum variam exhibet rationem, qua genitum in Hepate pus poſtea diſpergitur, teſtatur etiam, quod *interdum, fiſſa, vel exeſa Jecoris ſubſtantia, pus excidit in Abdominis cavitatem, quo & Hydropicorum aqua confluit*: Id quod in propoſitum noſtrum idem Auctor (13) melius confirmat. Ait enim: *fiunt interdum etiam colici dolores, aut Hydrops graviſſimus a ſanie in Abdominis capacitatem profuſa, qui Inguinum Pubiſque gravitate, & manifeſto tumore ſe prodit. Symptomata* vero pleraque, quae, diſrupto *Abſceſſu*, evenerunt, ſatis jam indicaverat cum Hippocrate (14) ubi dixerat: *Propter ſubitam eruptionem ſequitur rigor inordinatus, virium debilitatio, Animi deliquium, ſpiritus vitalis oppreſſio, vel diſſipatio, per aphoriſmum octavum ſectionis ſeptimae: A tuberculi introrſum eruptione exſolutio, vomitio, & Animi defectio fit, propter Partium nobilium, per quas pus tranſit, offenſam*. Hinc ſubdit, quod,

in

(12) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib. 6. 5. 2. n. 23.*
(13) *Idem ibidem lib. 3. Sect. 2. n. 19.*
(14) *Idem ibidem lib. 1. Sect. 2. n. 33.*

in Abdominis ſpatio materia coercita, *Hydrops cum Inguinis*, *& Pubis gravitate omnium graviſſimus exoritur*. Id ipſum animadvertit Petrus Foreſtus (15) praeter caetera ſic dicens: *Morti vero proximis intumeſcit Venter*, *rupto Abſceſſu*, *& ſudant ſudore frigido circa collum & faciem*, *& linquuntur animo*.

Circa haec vero dum variae tunc hinc inde emanabant rationes, poſthabitis contentioſis diſputationibus de morbi origine, ad ſedanda ſaltem *ſymptomata* mutuo conſenſu unanimiter incubuimus. *Fotus* idcirco emollientes affectae parti apponi ſaepe juſſimus, non neglecto Amygdalarum dulcium Oleo identidem ſumendo. Interea die morbi 55. magnam copiam materiae porraceae, admodum amarae evomuit, bilioſaſque pariter & foetidas foeces per Alvum eduxit. Quamobrem detumuit maxime Abdomen; validior evaſit pulſus, atque melius in caeteris ſe habere viſus eſt. Verum ſuccedens illico *ſingultus* haec omnia funeſtavit ex Hippocratis monito, aphoriſmo 17. Sect. 7. *In Hepatis inflammatione ſingultus*, *malum*; maxime quia non parum deficiebat urinae excretio. Minxit autem copioſe die 56., aliiſque non deficientibus excretionibus, eo mollior venter viſus eſt, iterumque poſt prandium intumuit, adaucta ſummopere febri. Die 57. Alvi dejectiones non ſolum bilioſae admodum, ut antea, fuerunt, ſed parvis plurimiſque rubris fruſtulis, ceu *carunculis*, ut ita dicam, inſperſae. Hinc melius aliquantulum in caeteris ſe habuit, permanente *ſingultu*, una cum Abdominis univerſo tumore paululum imminuto. A die 57. uſque ad 64. in eodem ſtatu fere ſemper permanſit, irrequietus utplurimum noctu, moleſtoque undique ſudore perfuſus, cum intenſa ſiti. Attamen imminuebatur identidem febris, iterumque abſque ordine exacerbari videbatur, adaucto ſaepe dolore circa Hepar, qui ad jugulum magis, quam antea protendebatur. Evidens tamen experiebatur ſemper levamen a bilioſis copioſiſque excretionibus, modo ſuperius modo inferius factis, etſi parum *ſingultus* imminueretur. Variae tunc autem erant materiae per vomitum ejectae; aliquando nempe citrinae, aliquando virentes, aut aeruginoſae. Evaneſcebat interea magis, magiſque in dies pulſus, imminutis pariformiter viribus: obtuſior fiebat auditus, vox demiſſa & rauca. Die *65.* ſopore gravi preſſus fuit, inaequali maxime reddito pulſu; adauctus eſt *Abdominis* tumor, praecipue circa Hepar. Oculi tamen naturalem ſervabant nitorem, prout etiam toto morbi curriculo obſervaveram. Die *66.* ſurdus omnimode factus eſt, rarius *ſingultiebat*, dum de maximo faucium ardore cum difficili deglutitione conquerebatur. Affluebant interim magis urinae, ipſaeque croceae admodum: conſuetaſque bilioſas atque graveolentes excretiones ſatis Alvus moliebatur; ſed fruſtra. Etenim *67.* morbi die vox una cum pulſu imminuta prorſus fuit:

(15) *Foreſtus Tom.* 2. *lib.* 19. *Obſerv.* 7. *in ſchol.*

fuit: delirium ſucceſſit: iterumque Abdomen ſummopere intumuit: atque tandem hora decima quarta Aegrotus occubuit; die videlicet morbi 68. decima autem quinta a *diſruptione Abſceſſus*, pro ut ego putaveram.

Cum diſſimiles ideo maxime ſemper fuiſſent Medicorum aſſidentium opiniones circa diuturni hujuſce morbi originem, progreſſum, atque exitum: de Cadaveris ſectione ſolicitus ſtatim fui, ut de omnibus certior fieri tutius poſſem. Plurimis ideo accerſitis Teſtibus, Medicis praeſertim, & Chirurgis, Abdomen aperuimus, maximaque illico copia puris foetidi ſanguineque inſperſi apparuit, quo *Inteſtina* undique, praecipue circa *Pubem*, obducta erant. Caeterum *Ventriculus*, *Peritonaeum*, & *Inteſtina* ipſa in extima ſuperficie parum a naturali ſtatu receſſerant, licet plus ſolito rubeſcerent. Illa tamen *Inteſtinorum* pars, quae inferioris *Hepatis* limbo ſubſternitur, livida erat & *gangraenoſa*: ita & *Omentum* ex eadem parte. *Gangraena* magis pariformiter inficiebatur infima exterior *Hepatis* pars, quae *Peritonaeo* ſub ſpuriis ultimis coſtis maxime adhaerebat. Ibidem excavatum non parum videbatur *Hepar* tenaci *foetidaque* ſanie obductum, ubi *Abſceſſum* fuiſſe antea indicaveram, quo diſrupto, effuſum pus Abdomen undequaque pervaſerat. Reliqua Hepatis *gibba* pars, quae ad ſuperiores ſpurias Coſtas vergit, nigra pariter erat & *gangraenoſa*: verſus *diaphragma* autem & *concavam* partem naturalem fere ſtatum ſervaverat. Attamen tota *Jecinoris* moles adaucta paululum fuerat, nec citra ſpurias coſtas plus aequo extenſa. Ampla autem erat admodum veſſicula fellis, croceaque magis & tenaci bile referta. Hiſce perſpectis, dum *Hepar* tranſverſim, & profunde ſecabamus in *gibba* parte, alium invenimus *Abſceſſum*, a quo binae & ultra librae puris effluxerunt, maxima remanente cavitate in diſſecto Viſcere. Lien imminutus erat, durus, ac fere *ſcirrhoſus*. Quibus omnibus obſervatis, cum ſatis ſuperque praegreſſi totius morbi, adnexorumque *ſymptomatum*, & mortis etiam cauſa nobis innotuiſſet, de caeteris nil ſoliciti fuimus.

XXIX. Verum quamplurima hic obiter ex recenſita hac Hiſtoria mihi placet eruere, quae in morbis *Hepatis* animadvertenda ſedulo eſſe mihi videntur, quibus alia etiam addam, ab iteratis obſervationibus maxime, tum & a Clarioribus Auctoribus, & a ratione ipſa congruo diſcurſu petita, ut hujuſcemodi morborum ſpecialem indolem, varioſq; progrediendi modos, exitus, atque *ſymptomata* peculiaria quaeque in propatulo ponam; quibus omnibus, ad Saniorem eorundem *curationem*, certioremque *obtinendam prognoſim*, promptiorem atque tutiorem tramitem aſſequamur. Porro, dum de hiſce omnibus diſſerere, eo quo potero modo, aggredior: haud nova prorſus, etſi non omnino inutilia proferre in animo habeo. Provinciam enim hanc fauſto utique ſidere, ad Artis noſtrae commodum,

Aegro-

Aegrotorumque utilitatem, peragrarunt, cum Veteres, tum Recentiores Medici quamplurimi, qui, juxta diverſorum ſyſtematum fundamenta, rationes varias, ac diſcrepantia, plurimaque documenta a praxi etiam ipſa deſumpta protulerunt: quorum ope ad quorumlibet *Jecinoris* morborum *diagnoſim*, & *prognoſim*, nec non ad *methodicam* magis *curationem*, manuducere Medicos tentarunt. Prae caeteris vero omnem meretur, inter Recentiores, laudem Praeclariſſimus Jo: Baptiſta Bianchi Taurinenſis Academiae Profeſſor Medicus, & Anatomicus Celeberrimus, qui in *Hiſtoria* ſua *Hepatica*, materiam hanc funditus doctiſſimeque digeſſit. Cum autem in Veterum praeſertim ſcriptis, tametſi fuſius exaratis, fruſtranea quamplurima inveniantur, ac propemodum vana, utpote fallacibus innixa principiis, atque ideo ad praxim perperam dirigentia: non abs re futurum eſſe exiſtimavi, ſi, Apum more, ſelectiora quaeque undecunque excerperem, eaque novis obſervationibus, ac ſolidioribus rationibus illuſtrata, in unum redigerem.

XXX. Morboſae quaecunque Jecinori occurrentes affectiones varia, atque inter ſe diſcrepantia maxime exhibent ſigna, *ſymptomatibuſque* plus, minuſve exitialibus ſtipantur, pro varia loci ratione, modique, quo Viſcus hoc laborare contingat: ſive id ob externam quamlibet cauſam (puta vulnera, contuſiones &c.) fiat: ſive ab interna etiam abſolute ſuboriatur, quae utique diverſa utplurimum attenditur. Aliquando enim *Hepar* primario afficitur, reliquaque imi Ventris Viſcera *per conſenſum*, ut ajunt, ab ipſo morboſam variamque contrahunt labem: aut vice verſa, partibus hiſce male ſe habentibus, quoquomodo *Jecur* diverſimode laeditur. Nec tantum, ob vitium quodlibet in Abdominis praecipuis aliis partibus latitans, *per conſenſum Jecur* quoque aegrotare varia ratione ſolet; verum etiam a Pulmonibus, & Corde, tum etiam a Cerebro ſaepius gravium morborum principium mutuatur. Siquidem nemo ignorat, ob Pulmonum ulcera, *Abſceſſus* paſſim, contumaceſque obſtructiones in *Hepate* progigni: quod videre eſt in *Phthyſicorum* maxime cadaveribus; prout multoties obſervavi, atque in aliis conſtitutionibus meis cum Clariſſimo Deſault propoſui. Quod ex magnis Cordis adnexorumque ipſi majorum vaſorum vitiis, graves etiam variaſque *Hepar* labes ſpecialiter contrahat, quis unquam inficias iverit, ſi magnum ampliorum canalium numerum, quibus *Hepar* maxime ditatur, rite perpenderit? Id quod, praeter rationem, plurimae evincunt obſervationes, quas non vacat hic retexere. Eamdem prope ob cauſam lethalia quoque Capitis vulnera magnis in *Jecinore* progignendis *Abſceſſibus* anſam praebent, ſicuti & Pulmones ſimul eadem labe affectos non raro in iiſdem circumſtantiis invenimus: quae omnia ex dicendis clarius innoteſcent. Aſt, cum ego de hiſce omnibus quomodocunque differens pro inſtituto meo, non obſervationibus tantum

tantum, verum & rationi inhaerere ſtatuerim, haecque anatomicis maxime documentis ſuffulciatur: operae pretium foret, ſi anatomicam hujuſce viſceris, adnexarumque ipſi praecipuarum partium deſcriptionem antea proferrem, juxta Saniorum Clinicorum Medentium morem. Hiſce tamen ſuperſedere ſatius arbitror, tum quia brevitati conſulere magis expedit, tum quia haec Medico cuilibet in Anatomicis mediocriter verſato nota ſatis ſuperque ſuppono, de iiſdem tamen per tranſennam ſolummodo acturus, pro ut occaſio poſtulabit.

XXXI. Juxta peculiare *Hepatis* munus, & ſtructuram, morbi omnes qui in ipſo ſive *primario*, ſive *per conſenſum*, ut diximus, quacunque ratione procreantur, variam praeſeferunt indolem, *ſymptomatumque* diverſo apparatu ſtipantur, pro ut in *Gibba* tantum, aut in *Cava*, aut in utraque ejus parte conſiſtunt: tunc cum nempe modo ſecretio bilis a ſanguine, modo ejuſdem excretio per bilioſos ductus, modo utraque actio praepeditur, aut pervertitur: idque ob quaſcunque ibidem ſubortas *ſtaſes*, *lymphaticas* videlicet tantum, aliaſve hiſce analogas, aut *ſanguineas*, aut utriuſque ſpeciei; non neglectis *calculis*, *vermibuſque*, aliiſque hujuſcemodi, quae morboſas ejuſdem peculiares affectiones progignunt. Hinc modo *chronici*, & diuturni eveniunt morbi, modo *acuti* breves, & graviſſimi. Verum cum iſti omnem praecipuamque Medici indaginem ſanioremque, ac magis ſolicitam *curationem* poſtulent: de iiſdem fuſius primo diſſerere ſtatui, de reliquis etiam poſtea acturus.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

CAPUT SECUNDUM

De Hepatis Phlegmonibus.

XXXII. Hepatis *Phlegmones*, ſicuti & aliarum partium, a ſanguinis praecipue *ſtaſibus* fiunt, quae ideo facilius in hoc Viſcere evenire, grandioreſque tumores efficere poſſunt, quia majore vaſorum, & quidem ampliorum numero, prae caeteris gaudet. Hujuſcemodi vero *ſtaſes* multiplici evenire ratione ſolent; illas porro intelligendo, quae non per *metaſtaſim*, ut ajunt, ob alterius Partis labem, ſed ob peculiare vitium in ipſo *Jecore* factum, quomodolibet procreantur. Quaecunque ideo cauſa, ſive externa ſit, ſive interna, quae ſanguinis ibidem motum pervertere ita valeat, ut ipſe, extra *aream*, ut dicimus, *circulationis* oberrando, conſiſtere debeat atque corrumpi, huic morbo principium praeſtat. Ad externas cauſas referuntur Vulnera profundiora *Jecinori* inflicta, ſicuti & *contuſiones*, *compreſſioneſqne* validae, aliaque hujuſcemodi paſſim obvia. Inter internas recenſenda primo eſt ſpecialis Viſceris ipſius morboſa conſtitutio per traducem, ut ajunt, a Parentibus in filios derivata. Siquidem ex iteratis obſervationibus ſatis conſtat, plurimos quandoque ex eadem familia morbo huic ſpecialiter obnoxios eſſe: id quod & de *Phthyſicis*, *Aſthmaticis*, *Calculoſis*, & *Podagricis &c.* verum plerumque comperiri, nemo non novit. Praecipua tamen hujuſcemodi *Jecinoris* affectionum interna cauſa a ſanguine ipſo, aut Bile, aut utriſque ſimul potiſſimum derivatur. Quandoquidem bilis corrodentem aliquando nanciſcitur vim, unde ſanguineos in Hepate tubulos exedit, indeque ſanguinis ibidem effuſionibus quam facile confert. Hinc videre eſt, cur *Phlegmones Hepatis* poſt contumaciores Tertianas, eaſque *pernicioſas* maxime non raro eveniant; tum & illis qui febribus hujuſcemodi saepius detenti fuerunt alias, bilioſamque temperiem prae caeteris praeſeferunt; & ſpeciatim Aeſtivo, aut Autumnali tempore: in quibus omnibus circumſtantiis, praeter copiam, prava etiam bilis conditio innoteſcit. Sanguis autem ſive nimis tenuis, ſive ſcindente quomodolibet potentia pollens, praeſertim vero copia exuberans, concitatioreque motu, devectus, utplurimum morbos hoſce progignit: quibus ideo facilius detineri conſueſcunt illi, qui Vino liberalius indulgent, eoque meraciori maxime, qui ſpirituoſis liquoribus aliis, aromaticiſque

maticiſque eduliis, ſaepius utuntur, conſuetave *haemorrhoidali*, aut alia evacuatione, carent, praecipue cum Juniores, fervidiſque magis humoribus praediti ſint. Ex hiſce enim omnibus ſimul & ſeorſim etiam congruo modo ſumptis, experientia ipſa duce, tutior emergit ratio, propter quam ſanguis *Jecoris* tubulos pervadens, vehementiuſque urgens, ipſos non tantum plus aequo diſtendere, verum etiam diſcindere, aut ſaltem (quod plerumque evenit) laterales eorundem excretorios porulos ampliores reddere ita poſſit, ut ipſe a propria ſemita plus, minuſve deflectens, *circulatorio* fraudetur conſueto motu, indeque, ſtagnando, tumores dictos excitet. Ejuſmodi autem ſanguinis a proprio tramite *aberrationes* in *Hepate*, ſive mavis *effuſiones*, quomodolibet a praedictis cauſis aut *mediate*, aut *immediate*, ut loquuntur, originem habeant; ſi parvae fuerint, ſi hinc inde per *Jecinoris Parenchyma* ſparſim contingant: aut facilius reſolvuntur, modicique momenti morbum praeſtant: aut diutius conſiſtentes *tubercula* parva plurimaque efficiunt, quae difficilius maturantur, facilius vero, & frequentius *Scirrhoſas Hepatis congeſtiones* procreant, a quibus *chronici* pullulant morbi; graviores nempe *Hypochondriacae* affectiones, *Cachexiae*, *Ictericiae* variae, & *Hydropes*; pro ut ex dicendis magis patebit. Sin vero *ſanguineae effuſiones* dictae copioſiores in *Jecore* contingant, illaeque non ſparſim, ſed in eodem loco: tunc *Phlegmones* graves afferunt, plerumque ad *ſuppurationem* pronos, quorum aliquando pus in *folliculo* continetur: atque tunc gravia emergunt *ſymptomata*, de quibus in praeſens agere ſpecialiter aggredior.

XXXIII. *Phlegmonodes* tumores hoſce *Jecoris* propriis ſignis ab aliarum partium conſimilibus morbis generaliter diſtinguit Deſiderius Jacotius (16) dum ait: *Affectionis vero ſpeciem, ac magnitudinem oſtendunt in dextero Hypochondrio, & ad nothas coſtas gravitatis tenſio, quae augetur, cum Aegri magnam trahunt reſpirationem; dolor totum hypochondrium retrahens, & ad jugulum uſque protenſus, ubi prae magnitudine inflammatio gravat; exigua tuſſis; linguae color primo quidem ruber, deinde niger; ingens cibi faſtidium, ſitis inexhauſta, vomitus bilis ſincerae, vitellinae, tandem aeruginoſae; Alvus adſtrictior, niſi conjuncta ſit Hepatica imbecillitas &c.* Cum hiſce adamuſſim conveniunt ſigna a Celſo (17) recenſita. Nam *dextera parte* (ut ipſe ait) *ſub praecordiis vehemens dolor eſt, ibidemque ad latus dexterum, & ad jugulum, humerumque partis ejuſdem pervenit. Non nunquam manus quoque dextera torquetur. Horror calidus eſt. Ubi male eſt, bilis evomitur. Interdum ſingultus prope ſtrangulat; & haec quidem acuti morbi ſunt.* Haec utique potiſſima tutioraque ſunt ſigna, quae ad *inflammationes Hepatis* dignoſcendas a Cordatioribus pleriſque Auctoribus proferuntur.

(16) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. l.* 3. *Sect.* 2. *n.* 26.
(17) *Celſus lib.* 4. *cap.* 8.

feruntur. Verum, cum ipſa neque ſemper, neque eodem modo & ordine evenire utplurimum comperiantur: nonnulla animadvertenda hic eſſe exiſtimo, utpote experientiae & rationi ipſi inhaerentia, ad veridicam hujuſcemodi morborum ideam tutius ſtatuendam apprime neceſſaria; ut, congruo ex hiſce deſumpto ratiocinio, veriſimilius *diagnoſis*, & *prognoſis* fundamentum Tyrones praecipue Medici aſſequi valeant, atque ſuo & Artis decori opportune conſulant: quod maxime intereſt.

XXXIV. *Hepar* profecto, ſicuti & de aliis praecipuis Viſceribus inutilium, aut nocuorum humorum *ſecretioni* deſtinatis verum eſt, obtuſo admodum ditatum eſt ſenſu, ideoque per ſe doloribus obnoxium vere eſſe neutiquam poteſt. Id autem provido admodum Naturae conſilio factum fuiſſe conſtat: quia in hujuſcemodi *ſecretoriis* organis, inſenſae, aut quomodocunque nocuae humorum particulae ab univerſa ſanguinis maſſa indeſinenter ſeparantur, quae utpote irritante vi quomodolibet pollentes, ſaepiſſime graves excitarent dolores, maxime cum diutius moram in eorundem anfractibus traherent: quod facilius in *Hepate* accidit. Hinc videre eſt cur in hujuſce Viſceris *Parenchymate* maximae paſſim *ſtagnationes* ſuccreſcant, abſque quod ullus pene, aut obtuſus tantum, leviſque admodum dolor ſuboriatur, qui quidem ex pondere ipſo ſolum manifeſtus aliquando fit; unde *gravativus* nuncupari ſolet. Quod bilioſa *recrementa*, quae in *Jecinoris Colatoriis* a tota maſſa humorum ſecernuntur, irritantem adeo obtineant potentiam, ut, ſi *Hepar* exquiſito ditatum eſſet ſenſu, ejuſdem fibrillas in vehementes cogere contractiones, non ſine moleſto dolore poſſet: ex eo videre eſt quod ſecreta in ipſo Bilis, atque per *choledochon* ductum ad Inteſtina delata, *catharticam* ibidem exercere vim, pro ſolicitanda foecum excretione, ab omnibus creditur: ita ut, ſi a naturali quoquo modo textura deflectat (ſicut in morbis non raro evenit) eo magis irritans reddita, Inteſtinorum tunicas vehementius vellicet, & pungat, ideoque immoderatos fluxus, & Tormina etiam excitet: ut inferius patebit. Non hinc tamen inficiabor unquam, affectum aliquando gravius *Hepar* aliquo modo dolere. Etenim, quia tenui extrinſecus membrana obvolvitur, quia propriis, iiſque membranaceis, ligamentis praeditum eſt, quorum ope *Diaphragmati*, *Peritonaeo*, & *Umbilico* adnectitur: variis modis, & aliquando graviter vehementerque doloribus obnoxium redditur. Ideo Jacotius animadvertendum eſſe ſic (18) merito admonet: *Si dolor eſt circa Hepar, nimirum in tunica & membranis, quibus Hepar alligatur partibus vicinis; ſiquidem ipſius caro ſenſus, & proinde doloris eſt expers*. Idcirco plerique in hiſce morbis attendendum eſſe ſedulo, autumant, num dolor *gravativus*, ut diximus, num *tenſivus*, num *acutus* ac *punctorius* ibidem

(18) *Jacot. Com. ut ſupra lib. 6. Sect. 2. n. 23.*

ibidem fiat, ex quo variae ejuſdem morbi ideae, ad *diagnoſim* & *prognoſim* ſummopere conferentes, emergunt. *Gravativi* prae caeteris dolores *Jecinori* ſpecialiter conveniunt; nam Alpinus (19) ſtatuit, quod iſti proprii ſunt *carnoſae ſubſtantiae Renum*, *Hepatiſque*, dum *inflammatione* detinentur. Hujuſcemodi enim partes ideo tantummodo dolent: quia a copia humoris in eorumdem interſtitiis reſidentis diſtenditur membrana, qua circumveſtiuntur, indeq; *gravitationis* moleſta *ſenſatio* efficitur; pro ut ex Galeno Alpinus (20) ſic deducit: *eae ſiquidem partes vexantur eo dolore a diſtenſione, quoniam membrana viſcera illa circumvolvens gravata, & diſtenta dolet*. Veruntamen *gravativus* etiam iſte dolor, intima ſolummodo *Hepatis* ſubſtantia labefactata, tunc ſolum manifeſte perſentitur, cum aut ad circumveſtientem membranam morbus propius accedit, aut ligamenta ipſa mediate ſaltem afficit, aut magna humorum *ſtaſis* facta ibidem fuerit. Secus enim fit, ſi pauca, aut non tam magna ſit. Nihilotamen ſecius, ſi pauca admodum humoris reſidentis copia ibidem conſiſtat; *ſtaſis* autem ſub membrana ipſa immediate adſit: non *gravativus*, ſed *tenſivus* tantum dolor eveniet; prout etiam a *flatibus* eodem modo. Idcirco, dum acutiſſimus ſit dolor in *Phlegmone Hepatis*, aſſerere tuto poſſumus, *ſtaſim* juxta ipſius extimam ſuperficiem conſiſtere, aut ſaltem ad eandem etiam pertingere, ibi praeſertim ubi *Diaphragmati* aut *Peritonaeo* adhaeſio quomodolibet fuerit: pro ut ex allata ſupra obſervatione aliiſque plurimis mihi innotuit. Id ipſum de doloribus in Pectore excitatis animadvertendum eſſe ſuo loco alias monuimus, dum diximus, Pulmones, utpote exquiſito carentes ſenſu, ex quacunque *ſtaſi* in ipſis facta, tunc ſolum acuti doloris participes reddi, quum *Pleurae*, aut *Mediaſtino*, aut *Diaphragmati* quoquo modo adhaerent. Hinc patebit, quam facile, turpiterque decipiantur illi, qui *Hepatis inflammationes* abſque gravi dolore exiſtere nequaquam poſſe, opinantur.

XXXV. Inſuper neque ſemper verum eſt, quod dolor ad *jugulum*, *Humeroſque* protendi debeat. Siquidem ejuſmodi doloris propagatio praecipue fit a maxima *ſtaſi* in *Hepate* oborta, propter quam ligamentum ad *Diaphragma* tendens ipſum ſecum pari ratione retrahit vi ponderis. Id ipſum evenit, quotieſcunque tumens *Hepar Peritonaeo* poſterius adnectitur, ibi praeſertim, ubi cum ſuperioribus Pectoris Membranis, aut muſculis conſenſus aliquo modo adeſt. Quapropter jure meritoque adnotavit Jacotius (21) quod, *in Hepate vehementer inflammato, ac tumente trahitur membrana a diaphragmate oppreſſo, vel membranis, per quas in quibuſdam Jecur ad coſtas alligatur*. Ideo, ſi affectum

Hepar

(19) *Proſp. Alpinus de praeſag. Vit. & Morte l. 2. c. 18.*

(20) *Idem ibidem.*

(21) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 2. n. 36.*

Hepar neque coſtis, neque *Peritonaeo* adhaereat, neque ob maximam *ſtaſim* praeter modum turgeat, ideoque vi ponderis *diaphragma* ſecum haudquaquam trahat: fruſtra in *inflammationibus* ejuſdem dolores uſque ad *Humeros* diſtendi expectabimus. Praeterea, quotieſcunque dolor ad *Claviculas*, aut *Humeros* tunc tendit, non ſemper in dextera parte hoc evenit; cum ſaepe id in ſiniſtra fiat, habita nempe ratione variae in *Hepate* factae *ſtaſis*, anterius nempe potius, aut poſterius &c. congruo etiam habito reſpectu ad diverſas ejuſdem Viſceris cohaeſiones cum aliis contiguis partibus. Ad haec omnia ideo rite attendere debet Medicus, anteaquam de morbi hujuſce ſede, ex doloris vario loco, judicet. Nam, teſte Rondeletio (22) *ſunt qui pro nota inflammationis, & potiſſimum Gibbae, addunt, quod dolor eſt in dextera parte, ſed illam notam falſam experientia agnovi. Nam ſi Hepar inflammatur in utraque parte, gravitas circa mendoſas coſtas percipitur, ſed in clavicula ſiniſtra potius, quam in contraria, quod diſſectio docet. Hepatis enim extremitas ad ſiniſtram vergit. Quare ſi inflammatio fiat in extremitate Hepatis, dolor in ea parte ſentitur*: id quod Praxis me quoque pluries docuit. Nec tantum dolor ad *Claviculas*, *Humeroſve* in *inflammationibus Hepatis*, aliſve gravibus ejuſdem morbis extendi paſſim animadvertitur, verum etiam ad *Stomachum*, ad *Praecordia*, atque ad *mucronatam cartilaginem*: quod ſaepius evenit, praecipue cum *Phlegmon* ad *Concavam Jecinoris* partem vergat: de quibus infra agere opportunum magis erit.

XXXVI. Eadem prorſus ratione, qua in *Hepatis inflammationibus* varios doloris gradus, modoſque perpendendos ſedulo eſſe, oſtendimus, ut varia hujuſce morbi ſedes, & conditio innoteſcat; ita & diverſae molis *Phlegmones* in *Jecinore* ſuccreſcere paſſim, nemo negabit, unde variae emergunt Aegritudinis iſtius ideae, conditiones, & gradus: quae omnia inveſtigare adamuſſim debet Medicus, praeſertim ut tutioris *prognoſis* fundamentum nanciſcatur. Quaecunque enim congeſtio in *Hepate* contingat: ſive nempe magna, aut parva fuerit: ſive in extima potius, aut intima ejuſdem ſubſtantia: ſive in ſuperiore ejus parte verſus *diaphragma*, ſive in infima verſus *umbilicum*, *Ventriculumve*, aut alibi quomodolibet conſiſtat; majores, minoreſve mole tumores emergunt, qui plus, minuſve comprimenti Medici manui obviam fiunt. Maxime ideo & facile decipiuntur Medici, quoties in *inflammationibus Hepatis*, praeter alia ſigna, manifeſtum in eodem Viſcere tumorem tactu detegi ſemper debere autumant. Etenim id confirmat Jacotius (23) aſſerens, quod *ſaepe falluntur, qui immunem ab obſtructione pronuntiant, cujus contactum Hepar, aut Lien non percipitur obduruiſſe. Nec enim obſtructio, nec inflammatio tactu percipitur, niſi magna ſit, aut muſculi valde extenuati: aut niſi ſit in latere ſiniſtro*,

C

(22) *Rondeletius de Hepat. inflam. cap.* 32.
(23) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. l.* 3. *Sect.* 2. *n.* 2.

ſiniſtro, in quo Lienis inflammationes tactu facilius deprehenduntur, quam Jecoris, propter ipſarum duritiem. Porro *Hepar*, cum immediate ſub *diaphragmate* conſiſtat, ipſique alligatum ſit, ſub ſpuriis coſtis ita latet, ut tunc ſolum comprimi manu poſſit, cum in inferiore ejus parte, aut verſus *Stomachum* intumuerit, ejuſdemque adaucta moles ſub ſpuriis coſtis, aut ſub *mucronata* cartilagine conſpicua fiat: dummodo tamen univerſa *Abdominis* tenſio *timpanica*, ut ajunt, non adſit, quae ſuppoſitorum viſcerum contactum omnimode praepediat; id quod ſaepe evenit tum in *Hepatis*, aut *Lienis*, tum in *Uteri* tumoribus, gravioribuſve aliis dictarum partium morbis. Quid ergo mirum erat, quod in enarrata ſupra *Hepatis inflammatione* nullus propemodum tumor tactui manifeſtaretur, cum in inferiore ejuſdem limbo minor *ſtaſis* facta fuiſſet, major autem in ſuperiore ejus parte, unde progenitus major tumor ſub coſtis penitus latere debuerat; totumque caeteroquin *Hepatis* Viſcus non admodum mole adauctum undique fuerat. Merito ideo ſic adnotat (24) Galenus. *Conſtat autem Jecur inter hos* (muſculos Abdominis obliquos intelligit) *ſub Peritonaeo eſſe poſitum, quod cum tribus contegatur muſculis, fieri non poteſt, ut tactus aliquam ipſius notitiam praeſtet, niſi vel magna in ipſo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei muſculi extenuati fuerint*. Attamen, licet quandoque in *inflammationibus Hepatis* tumor ex quavis cauſa tactu non percipiatur, *tenſio* tamen aliqua circa laborantem partem quoquo modo apparet, varia quidem pro varietate genitae ibidem *ſtaſis*; quae quidem a tumore ſedulo diſtinguenda eſt, pro ut in recenſito ſupra caſu, atque aliis etiam obſervavimus. Toties enim Aegrotus ille dolebat, quoties affecta pars comprimebatur, major autem minorve erat dolor, pro ratione adauctae, aut diminutae *tenſionis*; unde, praeter caetera, inchoatae ibidem *inflammationis* indicium deſumpſeram. Hinc, dum in dies *inflammatio* augebatur, major pari ratione fiebat *tenſio*, adaucto quoque dolore, qui eo magis inpoſterum acutus evaſerat, dum, ob inferiorem *ſtaſim* in *Hepatis* extremo anteriore limbo majorem redditam, ibidemque adauctam *inflammationem*, ipſum *Peritonaeo* ex eadem parte adhaeſerat. Animadvertendum itaque merito eſt quod (25) *tenſio Hypochondrii, quae momentanea non eſt, aut interrupta per intervalla, ſed pertinax & dolorifica, certiſſimum ſignum eſt inflammationis ſubjectae, ſive cum tumore fuerit, ſive ſine tumore. Nam parva Phlegmone Hepatis, aut in Concava tantum parte, tenſionem ſine tumore facit: magna autem, aut in parte Gibba, cum tumore, cujus moles per intermedios Abdominis muſculos tactu facilius deprehenditur*.

XXXVII. Febris quoque, licet *Phlegmonodes* hoſce *Hepatis* tumores, ſicuti & quoslibet alios cuivis parti contingentes, comitari ſemper ſoleat; non eadem plerumque eſt, neque

(24) *Galenus 5. de locis affect.*
(25) *Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib.* 1. *Sect.* 2. *n.* 15.

que tam intenſa, ſed vario invaleſcit modo, & ordine, juxta varias *inflammatoriae ſtaſis* ipſius conditiones; id quod in propoſitum noſtrum appoſite admodum obſervavit monuitque (26) Jacotius ipſe. Nam *hujuſcemodi febres ſymptomaticae ab Hypochondriorum inflammationibus diverſae ſunt, pro magnitudine inflammationis, qualitate humoris, & natura loci affecti*. Hoc etiam obſervavit Foreſtus, dum docuit (27) quod *iſtarum inflammationum magnitudinem perpetuo febris ex proportione ſequitur, & propterea niſi valenter* Jecur *inflammari contingat, licet febris excitetur, quoniam princeps Viſcus eſt, tamen ea acuta non erit, niſi eadem inflammatio magna ſit, pro cujus magnitudinis proportione, ipſa quoque & major erit, & vehementius excitabitur*. Porro acuta admodum, & vehemens febris *Hepatis* potius *Eryſipelates*, quam *inflammationes* ſequi plerumque ſolet. *At ſciendum* (ut idem Auctor poſtea (28) aſſerit) *quod ſigna quoque Eryſipelatis ſunt majoris, & minoris ratione differentia. Non modo enim aucta febris inde eveniet, ſed prorſus ardens, & ſitis, & reliqua de lingua, quae aeſtum inſequuntur, longe graviora, unde & Eryſipelas periculum magis, quam inflammatio decernit*. Profecto *ſymptomata* quaeq; quibus inopinato praehenduntur illi, qui in extimis corporis partibus *Eryſipelatoſo* tumore afficiuntur, ſatis ſuperque evincunt, cur tam graviter etiam extorqueri illi quoque debeant, qui hujuſcemodi intrinſecus *ſtaſes*, maximeque in praecipuis Viſceribus geſtant. Experientia enim, & ratione ipſa conſtat, humorem ipſum, qui quomodolibet accumulatus, indeque ſtagnando *Eryſipelas* excitat, mobilem eſſe admodum atque tenuem, tamque valida ditatum potentia, ut, a compedibus ſeſe liberare contendens, continentia ſolida premat ſummopere, urgeatque undique, ſimulque fluida reliqua in enormes aeſtus cogat, ideoque febriles vehementes tumultus producat. Preſſa vero hac de cauſa ſic ſolida eo violentas magis *contractiones ſpaſmodicas* ſubeunt, quo magis elaſtica ſunt, magiſque exquiſito ditata ſenſu; cujuſmodi ſunt nerveae quaelibet, & tendinoſae partes. Idcirco, quotieſcunque in Pedibus praecipue *Eryſipelatoſi* ſuccreſcunt tumores, maximus rigor, imo vehemens utplurimum totius Corporis *concuſſio* (quam univerſalem potius *convulſionem* dicerem) febrim derepente praecedit; quam analogus ipſi ſubſequitur immoderatus calor, donec *Eryſipelas* protrudi ſatis incipiat: quam ideo ex praegreſſis expertus praedicere valet Medicus. Verum, ut ad propoſitum noſtrum redeamus, ſi ex dictis evincitur, varios utique febris gradus, atque raro ardentes febres *Hepatis Phlegmonibus* competere; Nil utique mirum prorſus fuit, quod in recenſito *Jecinoris inflammatorio* tumore, non Acutae, ſed Tertianae pene ſolummodo rhythmum febris

C 2 initio

(26) *Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib. 3. Sect. 2. n. 2.*
(27) *Foreſtus Tom. 2. Obſerv. 7. lib. 19.*
(28) *Idem ibidem in Scholio.*

initio ſervaverit: unde, licet gravior poſtea evaſiſſet, manifeſtas tamen quotidie acceſſiones cum omnimoda quaſi intermiſſione protulerit; id quod alias etiam in majoribus *Hepatis Phlegmonibus* eveniſſe data opera obſervavi. Ideo ſatis patet, Tertianas febres (continuas tamen, & acutarum morem quoquo modo ſervantes) potius, quam ardentes *Inflammationum Jecoris* ſpecialiter proprias eſſe. Non abſimilem ob cauſam errant illi, qui, cum de *Phthyſicorum* Pulmonaribus dignoſcendis *ſtaſibus* ſermo eſt, nullum de ipſis proferre judicium audent, niſi continua febris adſit, eaque pari ſemper paſſu procedat. Siquidem non raro Tertianae febres *ulceroſam* Pulmonum labem ſequuntur, manifeſtaſque acceſſiones habent de tertio, ut ajunt, in tertium graviores evadentes, nec raro cum inordinato ſudore decreſcentes, qui tamen praecipue a Pectore, atque ſuperioribus aliis Partibus emanat. Tamque conſpicua eſt quandoque in *Phthyſicis Tertianae* febris periodus, ut *Chinae Chinae* adminiculo aliquantulum, ſi non omnimode obtemperare videatur. Verum *periodicus* hujuſcemodi febris rhythmus *Phthyſim* pulmonarem maxime ſubſequens, aut *Tuberculorum ſuppurationibus*, quae identidem fiunt, aut *Hepatis ſtaſibus* hoſce morbos paſſim concomitantibus, aut utriſque cauſis tribuendus eſt.

XXXVIII. Praeter *tumorem*, *dolorem*, *tenſionem*, & *febrim*, de quibus ſatis actum fuit, alia etiam attendenda ſunt ſigna, quae non minoris utique momenti eſſe ſolent, ad *Phlegmones Hepatis* rite dignoſcendos: *Tuſſis* nempe *inanis*, *cibi faſtidium*, *ſitis*, *vomitus* varii; praeter *ſingultum*, *Abdominiſque univerſalem tumorem*, atque *extremorum perfrigerationes*, *Animi defectus*, aliaque quamplurima graviora *ſymptomata*, quae in ſummo morbi ſtatu varia ratione evenire paſſim conſueſcunt. Attamen plerique, qui de hujuſcemodi *inflammationibus* agunt, tanquam praecipuum, & peculiare ſignum cum Galeno (29) recenſent *Vomitum tum ſincerae bilis*, *tum ejus*, *quae vitellis ovorum ſimilatur*, *quae poſtea aeruginis aliquando colorem referre conſpicitur*. Praeterea in hiſce *Alvus quoque adſtringitur*, *niſi una cum Viſceris hujus imbecillitate inflammationem excitari contingat*. Quamobrem merito innuit Jacotius (30) quod *in Phlegmone Hepatis*, *praeter gravitatem in dextero Hypochondrio*, *aut tenſionem cum duritie*, *ac dolore*, *initio bilem ſinceram vomunt Aegri*, *praeſertim Cava parte affecta*, *deinde vitellinam*, *& aeruginoſam*. Revera, ſi praecipuum *Hepatis* ſpectemus munus, pro ſecernenda nempe excernendaque bile, nemini mirum erit, quod ejuſcemodi diverſae bilis conditiones, *ſymptomataque* varia ab eadem pendentia in *inflammationibus* ejuſdem praeſertim emergant. Verum non ſemper, neque eodem modo, neque tam copioſi vomitus iſti bilioſi eveniunt: quod ob *inflammatorias* ipſius Viſceris varias *ſtaſes* fit; pro

(29) *Galenus lib. 5. de loc. affect. cap. 7.*
(30) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 5. n. 20.*

pro ut nempe unam potius, quam alteram ejus partem occupant, majoreſque, aut minores mole tumores adſunt, qui aut intime magis, aut minus *parenchymatoſam* ſubſtantiam illam pervadunt: nempe verſus *ſecretorios*, aut *excretorios* bilis tubulos. Etenim nemo ignorat, bilis ſecretionem in intima *Jecoris* ſubſtantia ad *Gibbam* maxime, ubi major ejus moles adeſt, diſtincte perfici: ejuſdem autem excretionem verſus *Cavam* ſpecialiter haberi, ubi nempe Veſicula fellis conſiſtit, atque biliarii quique ductus *Hepatis* proprii deſinunt. Quotieſcunque ideo *ſecretorii Hepatis* tubuli, effervescente plus aequo ibidem ſanguine in *inflammatoriis* hiſce morbis, ampliores redduntur, bilis proinde major copia ſecernitur, quae (dummodo in *excretoriis* tubis nullum adſit impedimentum) majore cum impetu per communem ductum ad *duodenum* Inteſtinum tranſit, illudque prae copia, majoreque aeſtu diſtendit, atque in *ſpaſmodicam* fere contractionem una cum aliis cogit. Tali ideo ſuborta *ſpaſmodica*, fere dixerim, *diſtenſione*, ad Inteſtinalem tubum undique propagata, dum minorem verſus ſuperiora reſiſtentiam motui ſuo bilis invenit, ſimulque ſubaeſtuat, per breviorem viam ad Ventriculum tranſiens, variis excitandis biliosis vomitibus anſam praebet, ſervata nempe ratione majoris ipſius copiae ab *Hepate* derivatae, & ejuſdem ſpecialis morboſae *diatheſis* tunc occurrentis. Aliam autem etiam cauſam, praeter *ſecretoriorum* bilis ductuum dilatationem, addere hic expedit, propter quam in hujuſcemodi *Jecinoris inflammationibus*, major ibidem bilis copia ſecernitur, atque in *duodenum*, pro recenſitis accerſendis *ſymptomatibus* derivatur. Merito enim animadvertit celeberrimus Bianchi, quod aliquando (31) *conſueta ſolum vigente tum in ſanguine, tum in colatorio quantitate bilis, eadem ab inſolitis corporis ipſius Hepatici, aut partium adjacentium contractionibus valide adeo, copioſeque per ductus ſuos, in duodenum exprimitur, ut ſoliti effluxus menſuram longe, & exigentiam tranſcendat*. Quis autem *ſpaſmodicam* hanc Hepatis *contractionem* in ejuſdem *inflammationibus* evenire poſſe, unquam negabit, ſi ſtagnantium tunc ibidem humorum ſtimulantem potentiam ſatis noverit? Quotieſcunque ideo ob quamvis rationem major quidem bilis copia ad *duodenum* tunc transfertur, aſt per vomitum magna ex parte detruditur, Alvus neceſſario adſtringitur: congruo ſcilicet deficiente in Inteſtinis ſtimulo, qui ab eodem bilioſo latice per ipſa fluente plerumque dependet. Verum, cum utplurimum bilis non omnimode per ſuperiora in hiſce caſibus excernatur, ſed inferius etiam ad Inteſtina, nec raro magna ex parte migret, eaque ſtimulante magis vi polleat: haud tam facile adſtringitur Alvus, imo ſaepe liberalius fluit. Quod autem irritantem hujuſmodi vim in hiſce morbis bilis obtineat, propter quam Inteſtina ipſa contrahi, ut diximus, vehementer poſſint: ſatis patet ex tor-

(31) *Bianchi in Hiſtoria Hepat. part. 2. cap. 6. n. 2.*

minibus Ventris, quae ſaepiſſime tunc accidunt, una cum *cardialgicis paſſionibus*, & *dyſenterico* fluxu, aliiſque ejuſmodi, de quibus infra loquemur. Praeterea bilis per vomitum tunc educta non raro Palatum, & Labia ipſa corrodit. Tunc vero corrodens magis, & mordax ipſa efficitur, cum ſtagnantes diutius in *Jecinore* humores acres admodum, ob moram redduntur, iique cum illa admixti, varios ejuſdem colores, & ſapores peculiares adferunt; unde, progrediente morbo modo *Vitellina*, ut ajunt, modo *aeruginoſa*, prout diximus, bilis educitur, quae aliquando amarum, & acrem, acidumque ſaporem refert, & ſaepe male olet.

XXXIX. Adſtringitur ſaepiſſime in *Inflammationibus Hepatis* Alvus, tametſi per vomitum bilis nihil prorſus, aut parum ſaltem excernatur; id quod toties evenit, quoties non *excretio* tantum, ſed *ſecretio* praepeditur, ob factam ibidem ſtaſim, unde congrua proinde bilis copia ad Inteſtina transferri nequit, atque ideo non flavum ſed cinereum, aut albicantem potius colorem excrementa tunc referunt. Hujuſcemodi *ſecretionis* bilis imminutionem ab hac quoque cauſa derivandam eſſe novit praelaudatus Bianchi: *quando* nempe (ut ipſe (32) ait) *ob conſtrictos praeternaturaliter Hepatis ſolidos, ſeu in denſitatis temperiem coactos, vel ob ſcirrhi, aliorumve tumorum preſſuram, ſecretorii, & excretorii glandulae biliaricae meatus ad minorem, quam deceat, amplitudinem reducuntur*. Verum tamen hoc in *Chronicis* potius *Hepatis* morbis (de quibus infra, de Hepaticis diſſerendo, agendum erit) quam in *inflammatoriis* evenire plerumque conſueſcit. Siquidem *Phlegmonodes Jecinoris* tumor raro mole tam magnus evadit, ut totam ejuſdem ſubſtantiam intime, & quaquaverſum obſideat. Utplurimum enim *Gibbam* dumtaxat partem, aut *Concavam* tantum, aut ſi utramque, non omnimode ſaltem *Phlegmon* occupans, reliquam *Hepatis* ſubſtantiam liberam relinquit, ut quoquo modo bilis *ſecretio* habeatur: quod utique ſufficit, ut ejuſdem ad Inteſtina tranſitus non omnimode deſit. Quod ſi *Phlegmon* in *Cava* praeſertim *Jecinoris* parte ita conſtiterit, ut mole ſua *excretorios* bilis *hepaticos* poros, *cyſticoſque* etiam comprimat: tunc, etiamſi bilis in *Gibba* parte a propriis *colatoriis* tubulis ſecernatur, ad Inteſtina tranſire neutiquam poteſt, unde neque per vomitum tunc effluit, neque inferius congrua copia tendens, excrementorum expulſionem ſolicitare ſatis valet. Quapropter bilis retrogrado motu *lymphaticos* laterales *Hepatis* ſubiens tubulos, atque extra propriam aream, ut ita loquar, undique oberrans, univerſae *lymphae* citrinum largitur colorem; unde *Icterici* magis, minuſve evadunt proinde Aegroti, habita ſcilicet ratione majoris, minoriſve copiae bilis in *Hepate* ſecretae, quae aut omnimode, aut magna ex parte tantum occluſum ad Inteſtina tranſitum invenerit. Hinc mirum nemini

(32) *Bianchi Hiſt. Hepat. part.* 2. *cap.* 6. *n.* 1.

nemini erit, quod in *Inflammatoriis* hiſce *Hepatis* morbis *Icteritia* aliquando detineantur Aegroti, quandoque vero non. Id quoque ſe obſervaſſe teſtatur Jacotius (33), dum ait, quod aliquando *in Hepatis magnis inflammationibus, quae Convexam partem obſident, ſanguis una cum bile a ſuperiorum partium vehementi incendio furſum rapitur, ibique exaeſtuans partes extimas auriginoſo colore inficit, nec in Inteſtina, ut ante, confluit, quorum proinde excrementa alba conſpiciuntur. Interdum quoque ejuſdem bilis illapſus in Inteſtina intercipitur, obſtructo meatu ad ipſius cyſtidem pertinente*; quod fieri etiam poteſt, quando, praeter *Hepatis inflammatoriam ſtaſim*, ſpeciale aliud in *Cholidocho* ductu impedimentum adeſt: calculus nempe, aut aliud quidpiam; unde fit, quod *Icteritia* tunc emergere poſſit, licet *Phlegmon* in *Gibba* parte reſidens, neque *Hepaticos*, neque *Cyſticos* ductus occludat.

XL. Ex hiſce ideo, aliiſque hujuſmodi palam fit, quod, dum *Jecinoris inflammationis* ideam, omniumque ab ipſa proficiſcentium *ſymptomatum* rationem aſſequi quiſpiam tentat, perſcrutari debet ſedulo, atque noſcere, num *Concavam*, aut *Convexam* ipſius partem *Phlegmon* obſideat; cum hoc non ſolum ad *curationem*, verum etiam ad *prognoſim* ſummopere conducat. *Fieri enim poteſt* (teſte Jacotio (34) *ut in ſola parte Concava Hepatis ſit inflammatio: poteſt etiam in gibbis partibus, ſed non in omnibus exiſtere, ac ſub nothis coſtis latere &c.* Si quis autem fruſtraneam prorſus hujuſcemodi diſtinctionem ideo arbitretur, quia, poſita vaſorum communicatione, eorumque propagatione, & unione mutua per univerſum *Hepatis Parenchyma*, difficile admodum ipſi captu evadat, quod una tantum ipſius pars diſtincte afficiatur, altera prorſus illaeſa remanente; praeter quotidianas obſervationes, reponam ipſi cum diligentiſſimo Jacotio (35) aſſerente, quod, *quamvis inflammatio in neutra partium exquiſite diſtincta poſſit conſiſtere, quod tota Viſceris ſubſtantia continua ſit: quia tamen fere fit, ut unam magis, quam alteram obſideat, ea diſtinctione, quam dixi, opus eſt*: id quod confirmat (36) Galenus. Quamobrem, ſi *Hepatis Phlegmon* in *Gibba* ejus parte praeſertim conſiſtit, atque verſus ſtomachum in magnam excreverit molem, *perfacile vel ſolo tactu dignoſcitur*: ut notat Galenus ibidem. Sin autem tumor mole minor ſit, & *Gibbam* quidem obſideat partem, ſed poſticam & ſuperiorem verſus *diaphragma* nunquam ſolo tactu morbi ſedem, & magnitudinem aſſequemur, niſi & alia accedant ſigna congrua, quae ad *Gibbam* praecipue ſpectent: unde ex Galeno ipſo verum comperitur (37) quod, *ſimarum partium inflammationes per alia potius*

(33) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 3. *Sect.* 2. *n.* 55.
(34) *Idem ibidem lib.* 3. *Sect.* 2. *n.* 2.
(35) *Idem ibidem lib.* 3. *Sect.* 2. *n.* 26.
(36) *Galenus de locis affect. lib.* 5. *cap.* 7.
(37) *Idem ibidem.*

potius accidentia, *quam per tactum inveſtigare oportet*. Quapropter appoſite admodum Jacotius, poſteaquam generalia *inflammationis Hepatis* ſigna, *ſymptomataque* pleraque indicaverat, ſpeciales alias adjunxit notas, quae tum *Gibbae*, tum *Cavae* partis morboſas affectiones ſeorſim indicare valent. Experientia enim ipſa teſte noverat (38) quod ſi *aliquando Cava*, *quae Ventriculum*, *& Inteſtina attingit*, *Phlegmone obſeſſa fuerit*, *gravius urgent illarum partium ſymptomata*, *quibus affectus proxime communicatur per exiles quoſdam nervos*, *aut contactum*, *aut bilis*, *& ſeri effluxum*; *ut in Ventriculo cibi faſtidium*, *nauſea*, *vomitus bilioſus*, *ſitis ingens*, *ſingultus*; *in Inteſtinis tormina*; *in lateribus gravis*, *& laborioſus decubitus ſiniſter*, *tumor tactui minime obvius*. Quod pleraque *ſymptomata*, quae *Hepatis cavam* partem male affectam ſpecialiter eſſe indicant, illa praeſertim ſint, quae, Ventriculo laborante, eveniunt, Galenus quoque (39) animadvertit. Siquidem utplurimum, *quae in ſimis* Jecino*ris partibus eveniunt inflammationes*, *magis quam illae*, *quae in ejus Gibba fiunt*, *inappetentiam*, *nauſeam*, *vomitum bilioſum*, *ſitim ingentem inducunt*. Nec tantum in *inflammatoriis* hiſce *Hepatis* affectibus, qui *Cavam* praecipue ejus partem obſident, verum & in aliis morbis, *chronicis* dictis, qui in eadem parte contingunt, hujuſmodi *ſymptomata* ſuboriri, experientia docet. Haec ideo etiam ex calculis tum in biliariis ductibus, tum in *choledoco*, aut *cyſti fellea* accumulatis evenire, nemo non novit, ſpecialibuſque obſervationibus diligentiſſime oſtendit nuper Clariſſimus Tacconi (40) dum praeterea *ſpaſmodicam tenſionem dextri lateris*, *& totius corporis laſſitudinem veluti ſpontaneam*, *& in primis dolorem mucronatae cartilaginis* (*notante diligentiſſimo Jacobo VVepffero*) tanquam ſpecialia calculorum ſigna recenſet. Cum ideo praelaudatus Tacconius, inter ea ſigna, praecipuum exiſtimaſſet dolorem cartilaginis mucronatae, ejuſdem proferre rationem ingenioſiſſime proſequitur, dum ipſum a ligamento *Hepatis* lato membranaceo deducens, ſic effatur. *Hujus ergo membranoſi*, *& validi ligamenti ope dolorem illum ad Sternum excitari evincunt illius nexus*, *poſitus & ſtructura*; *quia cum arcte conjungatur cum biliferis tubulis*, *& confletur ex fibrillis diſtractibilibus*, *elaſticis & ſenſus exquiſiti*, *& ſuperiore ſui extremo cartilagini xyphoidi*, *ac Sterno fortius quam alibi affigatur*, *propterea ejuſdem fibras*, *quum a calculis intra biliferos canales ſitis*, *& exitum molientibus acrius percelluntur*, *magnopere tendi*, *diſtrahi & concuti neceſſe eſt*, *& ea quidem in parte vehementius*, *ubi vis diſtractionis validius exercetur*: *nimirum in regione praedictae cartilaginis*, *& Sterni*, *cui utpote robuſtiori termino firmius quam Diaphragmati*, *Peritonaeo*, *lineae albae*, *caeteriſque partibus termini laxioris*

(38) *Jacotius loco ſupra citato*.
(39) *Galenus de locis affectis lib. 5. cap. 7.*
(40) *Cajet. Tacconi de rar. quibuſdam Hepatis affect.*

xioris rationem habentibus, ligamentum illud adhaereſcit. Diſtractionis autem vis quo major fuerit, eo acerbiorem dolorem parit, qui pro varia calculorum magnitudine, figura, motu augeri, & minui manifeſtum eſt. Haec autem a Doctiſſimo hoc Auctore deprompta, fuſius hic mihi placuit referre, cum non in *calculoſis Jecinoris* affectibus tantum, verum & in *Phlegmonibus* aliiſve ejuſdem Viſceris tumoribus, qui non procul ab hujuſce ligamenti radicibus conſiſtunt, opportuna ſint, ad varia hujuſcemodi inde ſuborta *ſymptomata* explicanda, & praecipue dictum cartilaginis mucronatae dolorem, qui in ſimilibus circumſtantiis *Hepatis inflammationes* non raro comitari conſueſcit. Caetera vero ſupra recenſita *ſymptomata*, dum *Cava* Hepatis diſtincte pars inflammatur, ideo evenire opinatur Jacotius (41) quia os Ventriculi maxime coafficitur, & dolet. *Dolet autem* (ut ipſe notat) *vel reſudatione tenuis ichoris, aut bilis; vel preſſa, quia tumens cava Jecoris opprimit Ventriculum, vel fervoris communicatione, communium nonnunquam nervorum ratione.* Quocunque vero modo in *Hepatis* hiſce *acutis* morbis, aut in *Chronicis* etiam Ventriculus male afficiatur, hoc *per conſenſum* tantum, ut ajunt, non *eſſentialiter* ipſi accidit. Morboſus autem iſte Ventriculi conſenſus maxime in hujuſcemodi Aegritudinibus, meo judicio, fit, aliquando ob affluxum acrioris bilis, quae ad Inteſtinum Duodenum majore in copia tranſiens, ibidem diutius reſidendo, ac praeter modum exaeſtuando, Ventriculum quoque ſubit, & vexat, eumque in *ſpaſmodicas contractiones* vehementer cogit. Non negaverim etiam Stomachum a ſuperincumbentis *Hepatis* adaucta ſummopere mole non parum gravari poſſe, ut maximam inde moleſtiam contrahat, & *chyloſis* actio pari ratione laedatur. Aliquando vero ab exuberante *Jecinoris* tumidi mole adeo premitur, atque ad inferiora trahitur, ut ad umbilicum uſque Ventriculus vergat. Hoc ipſum adnotavit praelaudatus Bianchi (42), ubi animadvertit, quod *maxima, ſummeque ſic ponderoſa Hepatis moles attiguo ſaepe Ventriculo enormiter nititur adeo, ut eundem inferius uſque ad umbilicalem regionem cum maxima machinae animalis pernicie detruſiſſe legamus apud Thomam Bartholinum, & Saxoniam; ac praecipue in Obſervationibus Anatomico-Medicis V. & XXIV. Clariſſimi Johan. Bapt. Fantoni Medici Regii.* Adnotandum hic tamen eſt, quod *frequenter in inſpectionibus vaſtiſſimae molis offenditur Hepar, duplae ſcilicet, ultra naturalem* (ut ait praeclariſſimus idem Auctor) (43) *triplae, quadruplae &c. inculpabili tamen undequaque ſubſtantia contextum.* Caeterum, dum ex morboſa affectione *Jecinoris* moles excreſcit, maximeque ob *inflammatorias ſtaſes*, cum tumores hujuſcemodi, tametſi in *Cava* ejus parte geniti, modo majores, modo minores mole evadant,

varia

(41) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. l. 6. Sec. 2. n. 23.*
(42) *Jo: Bap. Bianchi Hiſtoria Hep. part. 2. cap. 2. n. 4.*
(43) *Idem ibidem n. 1.*

varia quoque ratione hinc laedi Ventriculus conſueſcit. Etenim *non ſemper, neque quovis modo, propter Jecoris inflammationem coafficitur os Ventriculi* (monet Jacotius) (44) *ſed tum demum, cum ita acuta eſt, ut & Ventriculum immodice calefaciat*. Inſuper dum *Cava Hepatis* inflammatur, in ea praecipue parte, ubi & umbilicale ligamentum, & Venae Portae maximus truncus a *Liene* aliiſque inferioribus partibus veniens, adnectitur: non raro ad umbilicum dolor propagatur, moleſtumque tunc quemdam ſenſum patiuntur Aegroti, ac ſi *Hepar* verſus *Lienem* valide traheretur; pro ut ego a plurimis audivi.

XLI. Si, *Cava Jecinoris* parte *inflammatione* detenta, illa ſpecialiter evenire *ſymptomata* diximus, quae Ventriculi vere propria ſunt: quia tumens ibidem Viſcus illum comprimit, maleque multifariam afficit; a *Gibba* quoque eodem morbo laborante, *Diaphragma* praeſertim *in conſenſum* trahi, dicendum merito erit. Plerumque enim *Convexa parte inflammata* (45) *Thorax, cui pars illa communicat, magis afficitur, ac reſpiratio laeditur per oppreſſionem Diaphragmatis, & membranae ſuccingentis tenſionem, ut inter reſpirandum Aegri ponderis ſenſum percipiant, tuſſiant, nec tamen quidquam excreent, ac dexterae partis jugulum detrahi ſibi putent. Sed & his quoque difficilis eſt decubitus dexter, ut quo pars affecta premitur, tumorque durus, ac dolorificus ſubeſt; tametſi in exiguo Phlegmone dolor & gravitas, magna reſpiratione potius, quam tactu ſe prodant*. Galenus ipſe obſervavit, quod *Hepatis inflammationes*, quae *Gibbam* occupant partem, ad differentiam *Cavae* ſic male affectae *majori* (46) *inter ſpirandum dolore laborantem afficiunt, magiſque tuſſim excitant, atque dolorem uſque ad dexterae partis jugulum, adeo ut detrahi videatur, extendunt*; quod ipſum notat Bianchi (47). Verum porro non ſemper, neque eodem modo hujuſcemodi *ſymptomata* in *Jecoris Gibbae* partis *inflammationibus* contingunt; quare accurata Clinici Medici indagine opus eſt, ut ſpecialia, quae adfuerint ſigna, inter ſe mutuo conferantur, ad veridicam morbi ſedem ſtatuendam. Siquidem inflammatur non raro *Hepar* in *Gibba* quidem parte inferiore, ſuperiore tamen penitus illaeſa, ut ſaepe obſervavimus. Tunc vero, cum *in conſenſum* non trahatur immediate *diaphragma*, nihil propemodum, aut parum ſaltem reſpiratio laeditur, atque raro tuſſicula dicta ſuboritur. Secus fit, ſi *Gibba* inflammata fuerit in ſuperiore parte, ac praecipue cum copioſa Humorum *ſtaſi*, propterquam tumens admodum *Hepar* mole ſua *diaphragma* ſummopere comprimit, & calefacit, ſimulque pondere ſuo infra trahit; unde congruus ejuſdem motus praepeditur, atque aequa ratione laborioſa reſpiratio redditur.

Eandem

(44) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 3. *Sec.* 2. *n.* 14.
(45) *Idem ibidem n.* 26.
(46) *Galenus de locis affec. lib.* 5. *cap.* 7.
(47) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 3.

Eandem ob cauſam multoties Pleura quoque, muſculique ipſi proxime adnati, *per conſenſum* tunc laborant: ideoque fit dolor *Pleuritico* ſimilis, qui ad Humeros jugulumque propagatur. Quantum autem a *Pleuritico* dolore vere differat, ex Hiſtoria Siculi Medici a Galeno recenſita noſcere quiſque poteſt. Etenim in *Hepatico* dolore tuſſis inanis prorſus eſt, nullum adeſt Pectoris gravamen, aliaque inſuper deſunt praecipua ſigna *Pleuriticis* quibuslibet familiaria. Animadvertendum inſuper eſt hic cum Galeno, quod non ſemper, neque eodem modo tumores quilibet ſub ſpuriis coſtis verſus *Hyppocondrium* dextrum conſtituti, tactuque ipſo explorati, male affectum vere eſſe *Hepar* indicant. Etenim in muſculis quoque Abdominis ſuperioribus *Phlegmones* perſaepe oriuntur, qui reſpirationem laedere aliquo modo poſſunt. Verum quicunque iſtorum muſculorum veram poſitionem, & figuram ſatis noverint, hoc praecipue diſcriminis obſervabunt, quod non ſolum tumor extrinſecus magis ſe prodit, verum etiam analogam laborantibus muſculis configurationem ſervat, atque juxta propriam fibrarum eoſdem contexentium directionem, rectam videlicet, aut obliquam: pro ut cuique ſatis patet. E contrario *Phlegmones*, qui in ima *Hepatis Gibba* parte conſiſtunt, quoties mole magni adeo fuerint, ut tactu ipſo dignoſci commode poſſint: ſi undique pertractentur, muſculi Abdominis ab ipſis prorſus liberi reperiuntur, & tumor circumſcriptus in cavitate ipſa Abdominis ſub ſpuriis coſtis manifeſte apparet: id quod perſpicuum magis redditur, dum Aegroti modo in uno, modo in altero latere decumbere jubentur, ſicque diverſimode ſemper ſuppoſitus tumor extrinſecus ſe prodit: dum contra muſculorum *Phlegmones* eandem ſemper molem ſervant, quomodolibet jaceat Aegrotus. Animadverſiones autem iſtae Galeni aſſerto conformia ſunt (48) dum ſtatuit, quod Hepatis tumor *propriam hanc a muſculis incumbentibus ſortitur differentiam, quod moles ſub manibus ad coacervatam circumſcriptionem deſinit. Muſculus enim quilibet, cum totus ſibi continuus ſit; inflammationis ipſius molem, quae ſenſim diminuatur, habet: quippe ſoli Jecori proprium eſt, ut tumoris cumulum comprehenſim habeat circumſcriptum*. Praeterea, laborantibus muſculis, ſpecialia quaeque ſupra recenſita alia ſigna deſiderantur, quae *Hepatis* vere propria ſunt, aut ratione praecipui ejus muneris, aut figurae, poſitionis, aut adjacentium ipſi, contiguarumve partium: pro ut ex dictis ſatis patet, magiſque ex dicendis innoteſcet.

XLII. Equidem haec praecipua ſunt ſigna, quae recenſenda hic ſpecialiter eſſe, putavi, ad *inflammationum Hepatis* indolem, & locum inveſtigandum, ſive in *Cava*, ſive in *Gibba* tantum ejus parte morbus conſtiterit. Verum quia non raro peculiares ibidem *inflammationes* fiunt, quae non *Gibbam* magis, quam *Concavam*, ſed utramque fere ejus

(48) *Galenus de locis affect. lib.* 5. *cap.* 7.

ejus partem pariformiter infeſtant: tunc mixta occurrunt ſigna, *ſymptomataque* varia emergunt, quae utriuſque partis propria vere eſſe poſſe videntur. Ideo tunc, cum aequivocationi locus ſuperſit, anceps prorſus haeret Medicus, nec quidquam certi de genuina morbi ſede pronuntiare audet, aut valet, praeſertim ſi ex illis ſit, qui, utpote affecti Viſceris munus, ſtructuram & connexiones haud ſatis callentes, congruo uti ratiocinio neutiquam poſſunt. *Etenim* (49) *quibus ſine ratiocinatione rudis dumtaxat experientia ſuffragatur, de iis quae raro eveniunt, experimenta habere non poſſunt: veluti eorum, quae ſaepe numero accidunt, facile meminerunt*. Verum quicunque anatomicis neceſſariis cognitionibus ſatis inſtructus ſit, ea omnia, quae adfuerint ſigna inter ſe mutuo conferet, eaque ſecum ipſe rite perpendens, congruas rationes ab antedictis hauriet, ut inde ad genuinam morbi ſedem agnoſcendam perducatur, abſque quod aut haeſitare nimis videatur turpiter, aut falſam morbi ideam proferat, quo nihil facilius in Medicina evenire cuique poteſt, cum judicium in ipſa difficile praeter modum ſit. Alia inſuper addenda hiſce eſſent ſigna, quae in *inflammationibus Hepatis* paſſim obſervantur: color videlicet faciei plus, minuſve pallidus, atque ad croceum ſaepe vergens: excretorum ſuperius, aut inferius humorum quorumvis variae conditiones: *cardialgicae* paſſiones, anxietates, & caetera hujuſmodi. Attamen quia haec *inflammationis Hepatis* propria abſolute eſſe non creduntur, cum in aliis etiam ejuſdem Viſceris minoris momenti affectionibus accidant: de ipſis hic fuſius agere neceſſarium non arbitror, alibi tamen acturus prout occaſio poſtea feret.

XLIII. *Jecinoris inflammationes*, ſicuti & aliae quaelibet, duplici tantum modo ſolvuntur: *reſolutione* nempe aut *ſuppuratione*: quandoque etiam in *ſcirrhum* deſinunt. Prima vero tutior, & brevior ad ſalutem eſt via, quam viriliter omni ope quaerere prudens debet Medicus. Secunda autem, cum diuturnum magis exigat tempus, plurimiſque accidentibus multifariam obnoxia eſſe ſoleat, non aeque tuta eſt, quin imo plerumque ad mortem tendit.

XLIV. *Reſolutionem* obtinere tunc facilius poteſt Medicus, cum materies in *Hepatis* Vaſis, aut ejuſdem interſtitiis quomodocunque conſiſtens, non copioſa ſit, imo taliter diſpoſita, ut contiguorum canalium cavitates ſubire aliquando queat; difficilius contra, atque raro plerumque habetur, ſi ſtagnans ibidem humor tenax fuerit admodum, & concretioni proximus. In primo namque caſu, ut *reſolutio* optata habeatur, id praeſertim requiritur, quod humor reſtitans attenuetur, atque ad motum quoquo modo ſolicitetur, atque ſic futura ejuſdem concretio praepediatur. Ad hoc ſummopere confert adaucta continentium ſolidorum elaſtica vis, cujus ope humor ſtagnans ultro progredi coactus, ad conſuetam *circulationis* ſemitam iterum

(49) *Galenus de loc. affect. lib. 5. cap. 7.*

rum reducitur: aut, ſi prope *biliarios* majores ductus reſideat, ipſos ſubire facilius poteſt. *Fotus* ideo emollientes diſcutienteſque affectae parti ſaepe apponantur; cujus etiam indolis eſſe debent potiones magna in copia ſumendae. In primis tamen neceſſaria maxime eſt copioſa ſanguinis iterata emiſſio, juxta affecti corporis univerſalem conſtitutionem. Etenim, dum ſanguinis copiam congrua ſic ratione imminuimus, tota, quae remanet maſſa minus vaſa diſtendit, neque pleno adeo, ſicuti antea, gurgite laborantis viſceris anfractus ſubit; quod utique neceſſarium eſt, ne ob majus ſanguinis illuc irruentis momentum, continentium vaſorum tunicae, a reſtitantibus extrinſecus humoribus admodum preſſae, diſcindantur, atque major ſequatur effuſio, quae eo difficilem magis *reſolutionem* reddat. Saniores hae utique ſunt indicationes tutioreſque, atque ſimpliciora ratiocinia, quibus inhaerere ſemper debet Medicus ad *inflammationum Hepatis*, ſicuti & aliarum quarumlibet, *reſolutionem* tentandam. Verum tamen, quia Viſcus hoc non *ſanguiferis* tantum, ſed *lymphaticis* etiam, *bilioſiſque* maxime *excretoriis* tubulis ditatum eſt; multiplici ratione *inflammatorii* tumoris *reſolutio* evenire poteſt, & ſolet. Quotieſcunque enim reſtitans humor, ad motum denuo ſolicitatus, venas ſubire tam facile nequit, *excretorios* bilis porulos aliquando penetrat, indeque in Inteſtinorum cavitatem protruditur; unde cruentae excretiones per Alvum, nec raro per vomitum, una cum bile utiliter occurrunt. Hinc, cum & bilioſae dejectiones frequentius, utiliuſque quam aliae quaelibet excretiones *Jecoris* hujuſcemodi ſolvendis *ſtaſibus* ſpecialiter conferant: alia merito emergit indicatio, non parvi facienda, quae uſum *purgantium* commendat, illorum tamen, quae irritare nimis Inteſtinorum tunicas nequeant, ipſorumque ſolummodo *periſtalticum* motum vegetiorem praeſtent. Qua de re, ſi aliunde *reſolutio* haberi non poſſit, & minor reddita ſit febris, nec graviora vigeant Praecordiorum *ſymptomata*, Rhabarbarum omni jure convenire arbitrarer, praecipue vero ejuſdem tincturam in Sero lactis paratam, quae eodem tempore Inteſtinorum fibras ſimul laxat, & blande ſtimulat, ut facilius per Alvum quaeſita excretio fiat. Quod ſi hinc cruenta illa, quam diximus, expulſio non accidat, hoc tamen praeſtabit *purgantium* hujuſcemodi uſus, quod bilis ſaltem excretiones promovebit: quod etiam ad optatam *Inflammationis Hepatis reſolutionem* ſummopere conducit. Utplurimum enim in hiſce morbis bilis magna copia ab *Hepate* ſecernitur, quae, niſi cito educatur, *biliarios* undique tubulos praetermodum diſtendit, atque pari ratione *ſanguiferos* canales comprimit, cruoris motum ſegniorem reddendo: quare difficilius *reſolutio* ſubſequitur. Praeterquamquod animadvertendum hic etiam eſt, quod nimia bilis copia & craſſities, a qua *ſanguiferi* ductus comprimuntur, pro potiſſima *inflammationum Hepatis* cauſa plerumque haberi debet, ad quas etiam bilis ejuſdem

ibidem

ibidem occurrentes *ſtaſes* haud parum conferunt, ut experientia docet. Qua de re eo magis patet quo jure conveniat idoneorum *purgantium* uſus, ad *inflammatorios* etiam *Hepatis* reſolvendos tumores: dummodo ea caute, ut diximus uſurpentur. Quod ſi Alvus libere ex ſe fluere videatur, ſed non tam facile, ob nimiam bilis craſſitiem; tunc praeter laxantes attemperanteſque potiore jure conveniunt Clyſteres emollientes, quoquo modo, juxta ſpecialem indigentiam, parati, qui ſimul ac Alvum leniter ſolvunt, bilioſaſque excretiones promovent, genitos a transfluente bile ardores in inferioribus inteſtinis tollunt, & fibras leniunt. Simplici hac methodo, abſque multiplici remediorum apparatu (quibus ad pompam, fere dixerim, non ſine Aegrotorum damno, uti nonnulli ſolent) *Hepatis* quamplurimas *inflammationes* ad *reſolutionem* feliciter perduxi. Verum alia tunc non neglexi remedia, quoties occaſio poſtulabat, ut occurrentibus identidem *ſymptomatibus* obviam ire utiliter poſſem; vomitui nempe, Ventris torminibus, *cardialgicis* paſſionibus, ſingultui, aliiſque hujuſcemodi, quae in hiſce morbis familiaria eſſe ſolent.

XLV. Quamplurimas recenſere hic poſſem obſervationes ejuſcemodi Aegrotorum, qui ſimplici hac methodo ab *inflammationibus* magnis *Hepatis* evaſere; etiamſi, ob graviorum *ſymptomatum* comitatum (ſingultus videlicet, vomitus, anxietatum, Abdominis tenſionum, Animi defectuum, cum univerſalibus copioſis ſudoribus) ad agonem fere perducti viderentur. Tunc autem mirum utique erat attendere, quod quo foetidae magis, quo magis bilioſae, tenaces, flavo-virentes, copioſaeque Alvi excretiones fiebant, eo melius citiuſque ſolvebantur graviora quaeque *ſymptomata:* quae denuo ſuſcitabantur, cum novae in Hepate *ſtaſes* in decurſu morbi emergerent: iiſque pari ratione per Alvum ſolutis, novum Aegrotis accedebat levamen. Animadvertat tamen hic, quaeſo, Lector, quod, ſi *purgantia* in *inflammationibus Hepatis*, ratione & experientia duce, adminiſtranda eſſe moneo, non quibuslibet indiſcriminatim utendum eſſe arbitror; pro ut quibuſdam fortaſſe videbitur, qui me *purgantium* quorumlibet amatorem nimium maleſano judicio exiſtimant. Haud enim ignoro, quod *purgantia* validiora (illa nempe, quae irritando nimis vim ſuam exerunt, non autem leniter ſtimulando, Alvi ſolummodo excretiones blande ſolicitant) tantum abeſt, quod optatas criſes haſce promovere unquam poſſint ad *Hepatis inflammationes reſolvendas*, ut eas praepedire magis, atque retardare potiore jure valeant. Siquidem *purgantia* haec validiora, dum in Inteſtinorum fibras vehementer impingunt, eaſque acriter mordent, *ſpaſmodicas* in ipſis enormes contractiones exſuſcitant, a quibus adſtricta potius Alvus redditur poſtea, quam laxatur: id quod in quibuslibet etiam aliis morbis, quotieſcunque *purgandi* indicatio vigeat, animadvertendum ſedulo ſemper eſſe puto. Quaprop-

ter Rhabarbaro ſimplici in Sero lactis, ut dixi, infuſo, Clyſteribuſque uti, quoties oportebat, conſuevi, una cum laxantibus aliis potionibus. In ſummo autem morbi vigore, dum *ſymptomata* quaeque magis ſaeviebant, ſolo Seri lactis copioſo uſu, votis fruſtratus raro evaſi. Porro ſerum hoc pleno hauſtu ſaepe ingurgitatum, tum ratione ponderis, tum laxante & leniente vi ſua Alvum utiliter commodeque ſubducit, internoſque ardores ſatis attemperat. Tunc autem, cum Alvus ex ſe ſoluta erat, Inteſtinorumque flatus vigebant, aut acidi ructus; Serum potius deſtillatum cum attemperantibus Herbis praeſcribebam. Verum ſi ſubducendi leniter Alvum indicatio vigeat, Oleum quoque Amygdalarum dulcium convenit: dummodo congrua *purgantia* identidem non omittantur: pro ut morbi ratio poſtulet. Oleum enim hoc cum neque vi gravitatis ſuae ſpecificae, neque ſtimulante ulla potentia agat; ſi, aut Inteſtinorum motus torpeſcit nimis, aut tenaces craſſique magis educendi ſunt humores, incaſſum penitus adhibetur. Ideo ſic incaute uſurpatum in Inteſtinorum anfractibus tamdiu reſidet, ut aceſcat, atque acris evadat: unde graviora hinc Abdominis *ſymptomata* eveniunt, & ſtomachi *cardialgicae* paſſiones, quibus iterati Clyſteres medelam praeſtant, Oleum ipſum, ex mora jam infenſum redditum, una cum morboſis humoribus educendo. Porro multoties obſervavi, non in hiſce tantum, verum etiam in aliis morbis, quod pejora quandoque ab uſu hujuſce Olei incommoda Aegrotis ſuperſunt, quam a mitioribus *purgantibus*: quod praeſertim illis evenit, in quibus inteſtinalium fibrarum torpor magis, quam rigiditas nimia viget, atque tenaciores dominantur humores, quos, utpote ad motum inertes, *purgantibus* congruis educere ſatius tutiuſque erit. Hujuſcemodi autem rationes illis utique arridere neutiquam poterunt, qui, nullo habito laborantium corporum diſcrimine, nec ſatis perſpecta morbi genuina cauſa, ad Oleum hoc, veluti ad tutiſſimum remedium, confugere utplurimum ſolent; adeo ut remedium hoc (quod in torminibus ſolum Alvi, Pleuriticiſque doloribus, ad contractas laxandas fibras, in uſum revocari quondam conſueverat) ac ſi *Panacea* univerſalis eſſet, ubique & ſemper praeſcribatur: fauſto ne, an infauſto omine id plerumque fiat, penes illos judicium eſto, quorum ſana mens a praejudiciis abhorreat, atque medicamentorum vires, agendique modos adamuſſim noverit; pro ut alias oſtendemus.

XLVI. Declinante autem *Hepatis inflammatione*, cum adhuc laxandi Alvum pravoſque educendi humores indicatio urgeret, Tettucianas aquas congrua in copia, fauſto ſemper eventu, tunc praeſcripſi. Iſtae enim, utpote detergente, atque roborante ſimul vi pollentes, reliquas (ſi quae fuerint in Inteſtinorum Plicis, aut in ſuperioribus *excretoriis* ductibus) infenſas materies leniter expellunt: ſimulque laxatas ex praegreſſo morbo fibras roborant. Ideo

cathartica

cathartica ſpecialis earundem vis hoc maxime praeſtat, quod, cum Alvum blande & ſatis ſubducat, vires nihil propemodum dejiciat, quin imo potius, morboſo evicto ſic fomite, vividiores reddat. Hinc merito in quibuslibet aliis etiam Inteſtinorum morbis illas convenire exiſtimo, atque experientia ipſa teſte didici: quoties nempe tenaces diſſolvere, atque educere humores, ſolidaque firmare opus eſt; unde & in Viſcerum anfractibus a lenteſcente praeſertim lympha ſubortis utiliter uſurpantur. Quotieſcunque autem in hiſce, aliiſve hujuſce cenſus morbis Tettucianis uti aquis ſatius duco, *catharticum* congruum praeire debere ſuadeo; ſi Alvus tamen inobediens admodum ſit, aut de tenaciorum ſegniorumque humorum ſtaſi ſuſpicio emergat. Caeteroquin alias *catharticum* omitto, cum non ignorem, quod *Aqua Tettucii, quamvis non praeeunte medicamento uſurpetur* (ut merito notat Clariſſimus Roncallius) (50) *tamen ob latentem ſuae indolis ſalem, Inteſtina interdum irritando conſtringit, atque per Anum redditur*. Aliam quoque ob cauſam a *purgante* abſtinere in hiſce morbis ſoleo ante uſum Tettucianarum aquarum; tunc nempe cum non Inteſtinalem tantum tubum, ejuſdemque plicas a glutinoſis humorum infarctibus detergere in animo habeo; verum etiam *Hepatis* praedictas diſſolvendi *ſtaſes* neceſſitas praecipue urget. Hujuſcemodi namque aquae abſque *purgante* non affatim, ſed paulatim epotae haud aeque facile per inferiora dejiciuntur: aſt communes ſanguinis ſemitas pervadunt, ideoque *Hepar* ipſum ſubeuntes, reſiduas ibidem *ſtaſes* diſſolvunt adeo, ut reſtitantes adhuc tenacioris bilis, aut puris, aut craſſioris lymphae moleculae comminuantur, abſterganturque, atque per conſuetos *excretorios* tubulos facilius prodeant. Verum dum haec non tam fauſto evadunt omine, caeterumque praegreſſae in *Hepate ſuppurationis* ſuſpicio adeſt, ad *Balſamica* confugere opportunum arbitror, utpote quae detergente admodum, & roborante vi pollent, interniſque omnibus etiam, ſicuti & externis *ſuppurationibus* potiore jure conveniunt. Inter *Balſamica* tamen illa praecipue ſeligere ſoleo, quae urinarias etiam vias pervadunt, per quas non raro internorum *apoſtematum* purulenta materies ſolo Naturae adminiculo utiliter eliminatur. In hiſce ideo circumſtantiis admodum profuiſſe multoties obſervavi *Balſamum* genuinum de *Copayba*, una cum Vulnerariis copioſis decoctionibus exhibitum. Aſt quia Balſamum hoc, ob Mercatorum fraudes, raro ſincerum ad nos transfertur, & plerumque aut Oleis aliiſve liquoribus doloſe immixtum, aut arte etiam peſſime fabrefactum; tutius eſt *Terebinthum*, vel Abjetinum gummi ejus loco adhibere.

XLVII. Haec ideo ſimplex illa eſt tutiſſimaque methodus, qua in hujuſcemodi curationibus uti conſuevi, ut *inflammatorias* haſce *Jecinoris ſtaſes* diſſolverem. Id vero pro votis mihi toties ceſſit, quoties

(50) *Roncallius de aquis Coldoni.*

ties *Phlegmonodes* tumor mole grandior non adeſſet, ac ſpeciatim ibi conſiſteret, ubi brevior, ubi facilior ad *excretorios* bilis tubulos aditus pateret, ut per eoſdem, ut diximus, *inflammatorius* humor ad Inteſtina transferri commodius poſſet. Hinc modo magis, modo minus diuturnus evadit morbus; ratione nempe habita ad tumoris molem, ejuſdemque poſitionem, ad quam ſedulo attendere debet Medicus, ut optatas *Criſes* tuto promoveat. Fruſtra enim Alvum ſolvere tentabit, ſi tumor in ſuperiore *Hepatis Gibba* parte conſiſtat, a qua difficilior ad Inteſtina emergit aditus, aliaque ratione perfici *Criſis* utplurimum ſolet. Secus vero, ſi vomitus urgeant, nauſea, nec non *cardialgicae* paſſiones, ventris tormina, bilioſaeque ſpeciales excretiones praeceſſerint, aliaque ſupra enarrata ſigna, quae verſus *Cavam* potius partem tumorem latere denotent; ad Inteſtinorum congruam excretionem ſano conſilio promovendam Medicus utique dirigitur. Adnotandum hic inſuper eſt, quod, tametſi tutior breviorque per Inteſtina *Criſis* plerumque in hiſce morbis eveniat: aliquando per urinarias vias, cutiſque meatus magna ex parte, ſi non omnimode negotium abſolvitur. Hujuſcemodi *Criſis* indicium extat, ſi urinae *lateritium*, ut ajunt, & copioſum quidem *ſedimentum* referant, caeterumque coloratae magis ſint & craſſae: ſi ſubflavo lividoque colore univerſum corpus perfundatur, ſulphureumque ac graveolentem odorem, multoque magis ſubflavum colorem prodeuntes copioſi ſudores adferant: atque haec omnia cum manifeſta *ſymptomatum* remiſſione eveniant. Bilioſas per ſudorem obortas excretiones ego ipſe in hiſce morbis, aliiſque a nimia bilis copia & aeſtu ſubortis, pluries obſervavi: eaſque aperte indicat praelaudatus Bianchi (51) ubi ſic ait. *Imo & minutiorum etiam glandularum cutis hoſpes interdum accedit bilis, ſudorem inde flavum obvia omnia tingentem producens, cum in maſſa communi competenter adeo attenuata fuit, ut gracillimas haſce vias ſuperare poſſit, & per eas erumpere.*

XLVIII. Animadvertendum hic praeterea eſt, quod fruſtranea penitus evadit ſagaciorum quorumvis Medicorum ſolertia, ſi *inflammatoria ſtaſis Hepar* occupans intra membranoſum *folliculum* ita concludatur, ut nulla fere cum circumpoſitis ductibus ſive *biliferis*, ſive *ſanguiferis* communicatio adſit. Tunc enim nullae prorſus *Criſi* locus veroſimiliter ſupereſt, ac proinde ſanationi; niſi cum tumor ad extimam *Hepatis Gibbam* partem ita vergat, ut exterius ſub integumentis prominens, a ſolertiſſimo Chirurgo ſecari poſſit, contentaque materies provide expelli; pro ut diligentiſſime praeſtitit, atque obſervavit ſedulo Clariſſimus Tacconius (52). Hic autem merito evincit, quod *folliculati* hujuſcemodi tumores Hepati ſpecialiter contingere poſſint, dum ſic monet. *Nam id quidem tumoribus intra glanduloſa cum Hominum, tum Animalium viſcera genitis non infrequenter*

D

(51) *Bianchi Hiſtor. Hep. part.* 2. *cap.* 10. *n.* 4. (52) *Cajet. Tacconi Obſervationes.*

ter accidere compertum eſt, *ut pravam ſcilicet eorum materiam membrana undique tumorem inveſtiens*, *primis ſaltem temporibus*, *coerceat*, *abſque ulla*, *vel certe cum inſenſibili oeconomiae animalis jactura*, *dum reliqua nimirum viſceris moles integra*, *& incolumis remanet*. *Folliculatos* ejuſmodi, ſeu, ut alii appellant, *cyſticos* tumores Pulmonibus quoque familiares eſſe, innumerae Medicorum obſervationes teſtantur, atque ego ipſe multoties ex ſectionibus Cadaverum didici. Quin & in Pulmonibus ad plures annos latitant, abſque quod adverſae valetudinis inſignes ſecum adferant notas: niſi ſiccam recenſere velimus tuſſim, haud equidem frequentem, cum modico Pectoris gravamine, aliiſque *ſymptomatibus*, de quibus in aliis conſtitutionibus fuſius egimus. Caeterum quod ſpectat ad *folliculatos Jecinoris* tumores, nemo illos profecto negare unquam poterit, qui Cadavera denatorum ex hiſce morbis pluries inſpexerit, pro ut mihi haud frequenter contigit. Porro *Hepatis* ſubſtantia ſic fabrefacta ſpecialiter eſſe videtur, ut in innumeris ejuſdem fibrarum membranoſis interſtitiis effuſi quavis de cauſa *lymphatici*, biliosi, aut ſanguinei humores, in iiſdemque reſtitantes, atque in dies, ex novo humorum affluxu, copia adaucti, continentes membranaceos parietes diſtendere admodum poſſint, & *cyſticos* praedictos tumores variae molis & ſpeciei procreare. Huc ſpectant obſervationes ex Valſalvae Schedis a famigeratiſſimo ſapientiſſimoque Morgagno ſelectae, atque nuper ab ipſo (53) expoſitae. In prima enim agitur de Virgine grandaeva, in qua Hepar tam magnum inventum fuit, ut tota ventris ſuperior cavea occuparetur. *Pars* autem *Hepatis major ex veſiculis conſtabat*, *nonnullis majoribus*, *aliis minoribus*, *oblongis quibuſdam*, *aliis ovalibus*, *pleriſque ſphaericis*, *omnibus autem humore plenis lymphae ſimili..... Quaedam ex ſimplici factae erant membrana valde albicante: quaedam capitulum oſtendebant*, *fortaſſe*, *inquit*, *excretorii ductus initium*: *nonnullae autem ex majoribus veſiculis extrinſecus fibris carneis inſtruebantur*, *intus vero multas alias continebant veſiculas*, *quae ex ſimplici membrana conſtabant*. Accedit alia obſervatio cadaveris Mulieris ex diarrhaea cum lenta febre denatae, cujus Jecur *intus extraque*, *totum corporibus compingebatur*, *quorum erant pleraque parvi ciceris figura & magnitudine*, *cuncta autem folliculi erant membranei*, *quos fibrae carneae in retis modum implicitae*, *& per totum Jecur pertinentes*, *ſuis areis excipiebant..... Folliculi autem a concreto intus humore turgebant*, *qui colore cum eſſet dilute flavo*, *biliſque ſimili*, *quae craſſior quam ſoleat*, *& ad exiguum redacta*, *in ſua veſicula continebatur*, *facile credi poterat bilis*, *quae intra eos folliculos ſtagnando concreviſſet*. Tertio loco refert *Tumorem cyſticum ſphaericum*, *gallinaeque ovum aequantem*, *qui in Jecinore ad ſiniſtram felleae veſicae latus occurrit*. *Ei tumori cum ſcalpellum admoviſſet Valſalva*, *apparuit*

(53) *Morgagni Epiſt. Anatom.* 3. *n.* 7. 8. 9. 10.

apparuit intus materia, *habitu*, *&* *colore quaſi mel referens*, *niſi quod pars quaedam virebat*, *cum reliqua multo major flaveret &c.* Poſteaquam autem tumorem hunc in aqua maceraſſet aperte novit, humorem illum, qui a principio melleus viſus erat, *innumeras veſiculas eſſe*, *quas inter quaedam quaſi membrana magna*, *& craſſa ſeſe obtulit colore potius viridi*, *ſtructura autem adeo flaccida*, *ut levi attactu diſrumperetur*. Denique ſpecialem aliam recenſet obſervationem gracilis Sacerdotis, cui, poſt praegreſſum Icterum, Abdominis dolores, vomitus, ſanguineae plures dejectiones evenerunt, indeque gravibus in dextero *hypochondrio* ſubſequentibus doloribus, quamplures etiam veſiculas dejecit, *ſic ut intra viginti dies omnino ſupra ducentas exierint*, *magnitudine*, *& eo quem continebant humore diſſimiles*; *aliae enim album*, *aliae flavum*, *mixti aliae coloris humorem incluſum habebant*. Mortui aperto Ventre, exemptoque *Hepate*, ingens a dextris *abſceſſus* tertiam ejus partem occupans inventus fuit, qui veſiculis ſcatebat, *quarum bene multae intra plurimum obſcuri coloris ſerum natabant*, *minores aliae corpori Hepatis valide*, *nonnullae laxius in ipſis vomicae parietibus inhaerebant*: *quibus in parietibus excavata etiam occurrebant ſpatia*, *ex quibus aliae antea veſiculae exciderant*. *Ingenti abſceſſus cavo ingens orificium reſpondebat*, *in quod*, *quaſi in pelvim quamdam expanderat ſe choledochus ductus*, *parte reliqua ita amplificatus*, *ut digitum intra ſe admittere*, *atque adeo veſiculas poſſet ad Inteſtinum traducere*.

XLIX. Verum, ut ad propoſitum redeamus, animadvertere ultro fas eſt circa *inflammatoriae Jecinoris ſtaſis* ſolutionem, quod, tametſi congruae aut per Alvum, aut per ſudores, aut utroque ſimul etiam modo *criticae* idoneae excretiones eveniant, atque talia vere educantur, qualia conveniat; nihilominus aliquando protrahitur diu admodum morbus, dum nempe modo remittere videtur, modo gravius iterum inſurgere. Id plerumque tunc evenit, cum plurimae in *Hepate inflammatoriae ſtaſes*, ſeu mavis *tubercula* variae molis hinc inde ibidem ſuccreſcant. *Tubercula* enim haec, dum non eodem ſemper tempore ſimul procreantur, diverſaeque, ut diximus, ſunt molis, eodem temporis intervallo ſolvi omnia neutiquam poſſunt. Quamobrem perſaepe obſervamus, quod, poſteaquam (congrua quomodolibet habita *reſolutione*) febris imminuta eſt, atque *ſymptomata* quaelibet mitiora evaſerunt, atque ideo tuta undique ſalutis ſpes emergere videtur: omnia in pejus extemplo commutantur, ac pullulans denuo cum rigore acuta febris, novae in *Hepate* progenitae *inflammatoriae ſtaſis* ſignacula adfert, pro cujus *reſolutione* congruum denuo tempus requiritur. Ob ſuccreſcentia ideo identidem nova haec *Tubercula*, prioribus ſolutis, inordinatae admodum eveniunt febres, & diuturnae, quae inaequalibus idcirco temporibus remittunt, eademque ratione abſque rhythmo iterum ſuſcitantur. Idem intelligendum venit de diverſis *ſymptomatibus*, quae variis quoque modis accidunt:

pro ut nempe in una potius, quam in altera *Jecinoris* parte *Tubercula* haec incipiunt, aut deſinunt, eaque majora, aut minora mole ſunt. Non abſimili ratione inordinati ejuſmodi febris, atque *ſymptomatum* motus occurrunt, dum varia in Pulmonibus gignuntur *Tubercula*, variiſque temporum intervallis reſolvuntur: quod videre eſt in *Phthyſicis* hujuſce generis omnibus, in quibus ideo febris aliquando ad diuturnum etiam tempus evaneſcere magna ex parte obſervatur, iterumque inſurgit, nec raro tertianae duplicis ordinem quoquo modo ſervat. Unde perperam judicant illi omnes, qui *organicam* ejuſmodi laeſionem in Pulmonibus exiſtere poſſe negant, niſi febris continua ſit; id quod tamen verum comperitur, dum *Phthyſis* pulmonaris ad tertium, ut ajunt, gradum, aut ſaltem ad ſecundum pervenerit. Verum quod ad *Hepar* ſpectat, nemo unquam revocare in dubium poterit, quod varia *tubercula* illa in hoc viſcere non raro ſuboriantur, inordinatoſque praedictos morbi motus adferant: cum hoc autopſia ipſa, atque experientia multoties innotuerit. Quāplures circa haec adferre hic poſſem obſervationes hoc anno praeſertim, aliiſque etiam a me habitas. Hiſce autem ſuperſedere ſatius arbitror, ut brevitati conſulam; maxime quia, cum expertis Clinicis Medicis meas haſce animadverſiones, quaecunque eae ſint, communicare in animo habeam: ſatis ſuperque futurum ipſis puto, ſi haec tantum generali modo propoſuerim, ut inde habeant, quae in ſingulis caſibus adnotare me potuiſſe, exiſtiment, quod & ipſi ſaepius antea forſitan obſervaverint. Verum tamen ſpecialem hic addere obſervationem fas erit, quae una pro cunctis *inflammatorias* haſce *Hepatis ſtaſes* ob varia *tubercula* factas, variumque ab ipſis pendentem morbi ordinem adamuſſim oſtendet.

L. Admodum Reverenda Mater Chiozza Religioſa in Coenobio Divae Martae hujuſce Urbis, habitu carnoſo praedita, bilioſiſque ſaepe morbis antehac obnoxia, initio Julii acuta febri correpta fuit, quae, tertianarum poſtea rhythmum abſque ordine ſimulando, modo gravius, modo levius ipſam divexavit toto hoc menſe. Comites ſaepe aderant bilioſi vomitus, *cardialgicae* ſtomachi paſſiones, nauſea, oris fere continua amarities, vigiliae, ſitis, aliaque hujuſce cenſus *ſymptomata*, quibus identidem varia ratione detinebatur, cum urinis admodum croceis bilioſiſque excretionibus. Pluries tunc ipſi ſanguis emiſſus fuit: attemperantes potiones & laxantes magna in copia aſſumpſit, aliiſque ejuſmodi uſa eſt remediis, quae ab alio expertiſſimo Medico ipſi ſana methodo praeſcripta fuerant. Inchoante Auguſto menſe, cum ad ipſam accerſitus fuiſſem, praedicta omnia rite perpendens, valida adhuc vigente febri, ejuſdem pertinaciae cauſam ab *inflammatoria Jecinoris ſtaſi* pendere certo certius exiſtimavi; maxime quia non modica circa mucronatam cartilaginem *tenſio* aderat, cum obtuſo dolore, qui ex compreſſione acutus magis evade-

evadebat, atque verſus *Hepar* exporrigebatur. Diuturnum idcirco futurum fore morbum, incertique admodum exitus indicavi. Diluentia ideo ſelectiora remedia, atque lenientia praeſcripſi. Cumque ad Inteſtina maxime excretionibus bilioſis *Criſes* utiliter, ſed parce nimis, moliri Natura mihi videretur: ad incidentia etiam & *purgantia* levia confugiendum eſſe cenſui, ut illorum ope tenacem, ac ſtagnantem bilem diſſolvere, ejuſdemque per conſuetos ductus excretionem paulatim promovere poſſem; juxta allata ſupra ratiocinia. Levem ideo *purgantem* potionem ipſi ſtatim praeſcripſi ex Manna paratam, una cum ſufficienti infuſione Sennae, & Rhabarbari facta, ut ſoleo, in aqua Glandium Perſicorum: cujus ope magnam copiam croceae tenacis, atque foetidae bilis abſque ulla moleſtia eduxit; & melius inde ſe habuit. Quamobrem, a juvantibus etiam indicationes ultro deſumens, Serum lactis alteratum cum attemperantibus & aperientibus herbis, addita modica infuſione Rhabarbari per aliquot dies ipſi ſummo mane, modo quotidie, modo alternis diebus ſumendum imperavi. Hinc, cum copioſis bilis dejectionibus laxa ſatis Alvus evaſiſset, Clyſteres tantummodo ex lacte & ſaccaro paratos identidem injici poſthac juſſi. Vix autem credibile eſt, quanta nam bilis foetidae, tenaciſque copia hoc modo prodierit Auguſto, & Septembri menſe, maximo quidem cum levamine. Siquidem ex bilioſis hiſce dejectionibus mitior evadebat febris (licet in veſperis quotidie modo magis, modo minus exacerbaretur) *ſymptomataque* omnia pari paſſu imminuebantur. Secus vero, cum hiſce excretionibus carebat, tumebat undique Abdomen, praecipue circa *Hepar*; Vomitus quoque aderant modo inanes, modo cum bilioſis ichoribus; *cardialgicae* accedebant paſſiones, Ventris tormina, ſitis, & frequentes *Lypothimiae*. Nec per vomitum tantum, atque per Alvum excretiones utiliter tunc fiebant, verum & per ſuperiores glandulas. Magna enim copia ſalſae, & acris adeo lymphae ad fauces confluere poſtea coepit, ut plurima hinc inde in lingua, totaque oris interna ſuperficie ulcuſcula ſtatim ſuccreverint, propter quae tenuvia vix juſcula deglutire magno cum ardore poterat. Ad villenſium ideo aquarum copioſos potus confugere opportunum tunc exiſtimavi, ut nocuorum humorum excretiones ad urinarias quoque vias diverterem, internoſque ab iiſdem proficiſcentes aeſtus aliquo modo compeſcerem: non omiſſis tamen Clyſteribus, ut bilioſas utiles dejectiones ſimul promoverem. Tunc autem vehementes adeo *cardialgicas* paſſiones una cum torminibus ventris patiebatur, ut animo ſaepe deficere omnimode videretur: quibus omnibus obviam ire utiliter conſuevi, *mixturam ſtomaticham* noſtram ipſi identidem exhibendo. Poſteaquam vero lenientium atque detergentium ope praedicta oris ulcera evanuerant, nova facta de repente ad inferio-

res partes *metaſtaſi*, maximis crurum doloribus vexabatur, maximeque in ſiniſtra parte, cum externo tumore. Dolores hoſce paſſa fuit ſequentibus Octobri, & Novembri menſibus, adeo ut e lecto ſurgere neutiquam poſset. Interea febris contumax ſemper fuit, eaque una cum praedictis *ſymptomatibus* nunc levius, nunc gravius ſaeviebat, ſervata plerumque ratione biliosarum putridarumque excretionum, quae aut ſponte, aut Clyſterum adminiculo identidem fiebant. Aliquando enim ad agonem fere omnimode perducta frigidis undecunque ſudoribus ſcatebat, comite etiam ſingultu. Aliquando contra, miteſcentibus *ſymptomatibus* omnibus, febris pene omnino imminuebatur. Salſa poſthac iterum lympha ad fauces copioſe affluxit, crurum dolore, & tumore ſimul permanente. Hinc, ut utiles Naturae *criſes* magis promoverem, affectumque Hepar detergerem, ac roborarem: ad Balſamum de *Copayba* confugi, quod quotidie aſsumebat ad ſcrupulum unum circiter, ſuperbibendo decoctionem ex Hordeo ſimplici, addito Melle. Hoc remedio plus quam per menſem cum levamine uſa fuit. Copioſae enim inde evaſerunt urinae: febris paulatim decrevit: appetitus, vividuſque faciei color rediit: dejectiones fiebant ſanorum ſimiles: conſuetoque deficiente lymphae ſalſae affluxu ad fauces, ſub finem Decembris omnimode tandem convaluit. Deinceps autem viribus diu deſtituta maxime remanſit: atque poſthac de Genuum crurumque dolore conqueri ſequente tota hyeme conſuevit, quouſque, accedente Vere, priſtino iterum robore, & valetudine potiri potuit, quam incolumem poſtea diu ſervavit.

LI. Ad prognoſim, quod ſpectat, quae *Hepatis Phlegmonibus* ſpecialiter convenit, experientia evincitur, & ratio ipſa probat, quod (54) *Hepar inflammatum gravius infert periculum, quam Lien, & a Gibbis inflammatis majus periculum imminet*. Hoc vero pendet a peculiari *Jecinoris* ſtructura, propter quam etiam fit, ut licet ipſum *quoque inflammationis ſit capax* (55) *forte etiam non ita frequens ſit, ob arteriae hepaticae parvitatem, & minorem impetum ſanguinis venae Portarum*. Praecipuum tamen *inflammationis Hepatis* periculum ex eo eſt, quod hoc neceſſarium magis viſcus ſit quam *Lien*. Nemo enim ignorat, abſque hoc Animalia vivere diu poſſe, ſine ulla manifeſta functionum laeſione; quare neque ſatis adhuc conſtat, cui vere uſui *Lien* deſtinetur: licet varii varia hinc inde, conjectura potius quam ratione duce, ſuper hoc ſentiant. *Jecur* autem, quia mole majus viſcus, tum quia amplioribus venoſis praecipue, atque arterioſis vaſis, nec non *lymphaticis* innumeris tubulis ditatum eſt, admirabilique artificio ſpeciali conſtructum, ut bilis neceſſariae adeo *ſecretioni*, ac proinde totius ſan-

(54) *Holler. Com. in Coac. Hipp. lib. 3. Sect. 2. n. 2.*
(55) *Boerrhav. Aphor. de cognoſcend. morb. n. 914.*

ſanguineae maſſae *filtrationi* inſerviat: inflammari utique, aliove quovis modo laborare graviter nequit, abſque quod praecipuae non ferientur actiones, aut male ſaltem habeantur, atque grave ideo periculum utplurimum emergat. Praeterea a *Gibbis inflammatis majus periculum imminere*, quam a *Cavis*, merito cum Hollerio ſtatuendum eſt: id quod etiam confirmat (56) Lommius. Etenim illae, quae in *Gibbis* fiunt *inflammationes*, cum facta, tum non facta *ſuppuratione*, plerumque nullo alio modo ſolvi poſſunt, niſi reſtitans humor *venoſos* ductus, aut etiam *lymphaticos* (quod difficilius evenit) ſubiens, univerſae humorum maſſae immiſceatur, indeque in *aream*, ut ajunt, *circulationis* deductus, aliorſum transferatur, donec in congruis *emunctoriis*, juxta peculiares affectorum corporum diſpoſitiones, ſecernatur, excernaturque. Non enim a *Gibbis* inflammatis ad excretorios bilis tubulos adeo facilis humori noxio aditus conceditur. Id unum praeterea ſupereſt ut *Gibbae Hepatis* inflammatae partes a morbo liberentur, rupto *abſceſſu*, effuſaque materie in Abdominis cavitatem. Verum hoc periculo plenum omnimode eſt, *ex quo caſu ſervatus vix unquam quiſquam* (57) *fuit*. Verum cum *inflammatorius* humor *circulatoriam* ſanguinis ſemitam ſubire cogitur, atque ideo cum univerſa ejuſdem maſſa intime coit, ipſam proinde multifariam inficit; id quod teſtantur citrini, plumbei, atrabilarii, virenteſque, aut foedi alii quilibet colores, quibus corporis extimam ſuperficiem infici maxime tunc paſſim obſervamus: eademque ratione urinae etiam faedantur. Cum ideo ex hujuſcemodi corrupti humoris commixtione univerſa humorum maſſa pervertitur, quis non videt quanta nam, & quam gravia toti animali oeconomiae incommoda evenire poſſint, dum eadem de cauſa ſecretiones aliae omnes peſſundantur. Attamen haud inficias unquam iverim, quod facta in *Gibbis Hepatis* partibus *inflammatoria ſtaſis* per Alvum etiam aliquando, ſi non omnimode, ſaltem magna ex parte ſolvi poſſit; pro ut ego ipſe aliquoties obſervavi. Hoc autem tunc ſolummodo evenit, cum congeſta materies magis ad *Concavam*, quam ad *Gibbam* partem vergit, ideoque ipſi aditus haud omnimodo praepeditur ad *ſecretorios excretorioſque* bilis tubulos, ut inde ad Inteſtina transferatur.

LII. Generalius tamen loquendo, ideo maximum ab hiſce morbis periculum emergit, quia, *ſi inflammatio* (58) *Hepatis per reſolutionem diſcuti non valeat, quod rariſſime contingit, in abſceſſum degenerat, ſi facultas valida ſit, alioquin in gangraenam, & ſphacelum convertitur, & ſuppuratio utplurimum intra viginti dies contingit. Et ille abſceſſus etiam periculoſiſſimus eſt*. Verum tempus, quo

 poſt

(56) *Lommius Obſerv. lib.* 2. *de Hepat. inflam.*
(57) *Idem ibidem.*
(58) *Riverius de Hepatis inflam. cap. proprio.*

poſt inchoatam *inflammationem*, *ſuppuratio* evenire poſſit, nemo certe unquam ſtatuerit. Siquidem, habita ratione molis, quam *Phlegmon* habet, atque proinde copiae ſanguinis, alteriuſve humoris una cum ipſo ibidem ſtagnantis, diverſa tempora *ſuppurationi* competunt: quod & in Pectoris aliarumque partium *ſtaſibus* verum comperiri, quilibet noſcit. Idcirco, cum de hoc nihil certi proferre Clinicus Medicus poſſit, *ſymptomatum* occurrentium viciſſitudines ſedulo perſcrutari debet, ut *ſuppurationem* tuto praenuntiet. Inter caetera potiſſimum utique *ſuppurationis* ſignum ab inordinatis rigoribus peti ſolet, quotieſcunque nempe contumax admodum eſt febris, nulloque rhythmo procedit, etſi in veſperis plerumque augeatur, comitantibus profuſis ſudoribus, qui pro criticis nulla ratione haberi poſſunt: id quod in recenſita obſervatione Domini Vacchelli ſupra cum Hippocrate innuimus, atque alias animadvertimus. Inordinati ejuſmodi rigores a ſtagnantis humoris aeſtu, ejuſdemque molecularum intima commixtione, mutuoque attritu oriuntur; quare, irritatis praetermodum continentibus ſolidis, dolores quoque exacerbantur, praecipue ſi inter membranas, aut prope ipſas *ſuppuratio* fiat; ſecus autem ſi in ejus intima ſubſtantia contingat, quam non niſi obtuſo ditatam eſſe ſenſu, ex ſupradictis evincitur. Praecipua omnia *ſuppurationis* ſigna ex occurrentibus ſpecialibus *ſymptomatibus* deducit Jacotius (59) ubi ſic effatur. *In inflammatione quidem Hepatis haec omnia apparent, rigor ſymptomaticus, cum in ſuppurationem mutatur; vomitus primum bilis flavae, deinde vitellinae, poſtremo aeruginoſae; anxietas tum ab oppreſſione & aeſtu, tum a Ventriculi nauſea, tum tenues humiditates ex inflammatione ad interiorem ejus capacitatem decumbunt, collectaeque in eo loco orificium ipſius vellicant.* Tamen non omnia haec *ſymptomata* ſimul expectare debet Medicus, ut ex praevia *Jecinoris inflammatione ſuppurationis* proximae ſignum habeat. Semper enim ratio congrua ex dictis petenda eſt, atque ſedulo inquirendum, num *Cava*, num *Gibba* laboret pars, unde certius de hiſce omnibus judicium deſumitur, individualibus *Phlegmonis* attentis circumſtantiis. Caeterum ad *ſuppurationes* haſce, ſicuti alias, dignoſcendas, praeſto ſemper ſit Divini Senis monitum: *dum pus conficitur febres, & dolores accidunt.* Ideo merito ad propoſitum noſtrum innuit Lommius (60) quod tunc *febres increſcunt & dolores, nihilque fere de loco affecto defluit: decubitus in omnem partem corporis moleſtus eſt: ipſe Aeger ſaepe ſine ordine, ſine certa cauſa inhorreſcit, moxque majoribus caloribus urgetur.*

LIII. *Facto pure, dolores quidem, ardoreſque minuuntur: at Homo longe fit imbecillior, id quod pulſu frequenti, parvo, ac languido, crebraque animi defectione cognoſcitur.* Quare autem confecto jam pure *ſymptomata* quaeque mitiora evadant, ut Hippocrates ipſe adnotavit: non tam facile explicatu eſt. Veriſimile tamen

(59) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 2. *n.* 2. (60) *Lommius obſerv. lib.* 2.

men videtur aſſerere, quod *inflammatorius* reſtitans humor, antequam in pus convertatur, ex tenuioribus magiſque volatilibus conſtruatur particulis, quae & in continentia ſolida impetum vehementer facere, & fluida illuc tendentia in violentos aeſtus cogere adeo poſſint, ut ſupra enarratis ſuſcitandis *ſymptomatibus* anſam praebere facile valeant. Secus fit, dum, ob iteratam partium colliſionem, novamque commixtionem humor ille in pus commutatur, atque, ſecedentibus tenuioribus moleculis, craſſior evadit, magiſque iners ad motum, ac proinde non ita, ſicuti erat antea, diſpoſitus, ut univerſam humorum maſſam ſubeat, eamque ſubaeſtuare vehementer faciat. *Concipis hinc* (61) *facile ſymptomatum omnium mitigationem in Hepatis inflammatione ad abſceſſum vergente, ex diſceſſu harum partium impetuoſarum a ſinu ſanguinis*. Verum cum praedicta, aliaque ejuſmodi emergant ſigna, quae factam in *Hepate ſuppurationem* tuto denotant, ut recte ad *prognoſim* atque *curationem* Medicus dirigatur, ſcrutari ſedulo debet & noſcere, per quas nam vias, & qua ratione, ſponte ſua ſolvi tumor poſſit, ut, inde Naturae ipſius motus agnoſcens, eos, ſi opus ſit, congruis auxiliis promoveat, illam tamen haud perperam cogendo. Hujuſcemodi enim *ſuppurationes*, varios ut plurimum ſortiri exitus ſolent, quos ad quinque reducendos eſſe claſſes, ex Sanioribus Antiquorum monitis optime deducit occulatiſſimus hujuſce aevi Medicinae Princeps Boerhaavius. Siquidem animadvertit (62) quod *tale apoſtema vel totum depaſcitur Jecur; vel rumpitur in Cava Abdominis effuſo pure ſanioſo; vel per vaſa bilioſa in Inteſtina; vel per venam cavam in cruorem; vel elato tumore accreſcit Peritonaeo, atque ibi Abſceſſum externum Hepatis format, ibi apparentem.*

LIV. Diverſi ejuſmodi *Hepatis apoſtematum* exitus, ab eorundem diverſa mole, & ſitu, derivari merito debent. Namque, ſi magna admodum fuerit congeſtio, ibidemque in intimis ejuſdem viſceris partibus conſiſtat, ubi difficilior cum ad *biliarios*, tum ad *venoſos* ductus evadat aditus: tunc purulenta materies ibi diutius conſiſtere debet, ita ut acrior & corrodens inde facta, *Hepatis Parenchyma* quoquoverſus exedat; eodem pene modo quo in Pulmonibus, ob eandem rationem evenire, autopſia docet. Ejuſcemodi obſervationem mihi nuper communicavit Praeclariſſimus Cajetanus Paſquali Medicinae Profeſſor Hetruſcus eruditiſſimus, mihique amiciſſimus. Enuntiavit enim, ſe in Cadavere cujuſdam Ruſtici, quem in Piſano Noſocomio curaverat, adeo magnum mole *Jecur* obſervaſſe, ut Abdominis cavitatem fere omnimode repleret; quod, cum cultro huc illuc ſecaretur, foetidum pus pleno gurgite undecunque magna in copia effluxit, eoque penitus educto, evanuit penitus recenſita *Hepatis* maxima moles, cum nil

(61) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 5.
(62) *Boerhaav. de Hepatitide n.* 936.

nil niſi tenuium membranarum parvus cumulusupereſſet, qui exeſae, prorſus *parenchymatoſae* ſubſtantiae vices gerere quoquo modo poterat. Quando vero ita *Hepar conſumitur tum* (63) *tabe lenta ictérica, cum febricula aſſidua, ſiti intolerabili, debilitate ſumma, anxietate inexplicabili, urina fere nigra, tympanitide, fluore Alvi ſanioſo, foetidiſſimo, diu luctatus moritur*. Attamen *ſymptomata* haec non eodem modo ſemper, ſimulque in hiſce caſibus eveniunt; aſt varia quidem ratione, pro ut magis ad *Cavam* quam ad *Gibbam*, aut vice verſa *Jecinoris* erroſio incipit, lateque magis, minuſque propagatur. Satis vero patet, quod, cum tunc nulla prorſus emergat ſalutis ſpes, fruſtranea inde evadant remedia quaecunque. Nihilo tamen minus, ut aliquid feciſſe videamur, aut ſaltem gravioribus occurramus *ſymptomatibus*, ea ſeligenda tunc erunt, quae acrem reſtitantis in *Jecinore* puris naturam compeſcere, conſuetaſque Alvi praeſertim & Renum excretiones promovere commode queant. Demulcentia ideo & ſedantia conveniunt; ut Serum lactis alteratum cum vulnerariis Herbis, & Radice Alteae, atque Seminibus Lini: aut etiam Lac ipſum dilutum cum ſimilibus decoctionibus. Aquae etiam Thermales, ut Nocerianae, & ſpecialiter Blanduleuſes pro ordinario potu uſurpari poterunt. Opium quoque, ad *cardialgicas* edomandas paſſiones, ſi tunc opus fuerit, optimum erit, dummodo caute adhibeatur. Caeterum frequentes blandi, laxanteſque Clyſteres ex lacte, aut ex praedictis decoctionibus cum Hordeo, addito Melle ſimplici, omnem paginam adimplebunt, quoties laxa ſatis non ſit Alvus, aut Inteſtinorum excretiones ſolicitare expediat.

LV. Verum enim vero, ſi procul a centro *Hepatis*, ſive in *Cava*, ſive in *Gibba* inferiore praeſertim ejus parte *inflammatoria ſtaſis* conſiſtat, nempe circa extimam ejuſdem viſceris ſuperficiem; tunc, cum major ad intra, quam ad extra fluctuanti, impellentique puri reſiſtentia occurrat: neceſſe eſt, ut, diſrupta inveſtiente tunica, atque hiante abſceſſu, *ſuppurata* materies in cavum Abdominis quaquaverſus diſpergatur; pro ut ſupra in obſervatione propoſita*, docente etiam Jacotio, animadvertendum eſſe monuimus: *quo caſu* (64) *empyema Hepatis vocari poſſet*. Cum primum autem *abſceſſus* diſrumpitur (niſi hoc paulatim fiat, & pus per minima foramina tranſudando fere guttatim effluat) immutatur extemplo morbi ſtatus, *ſymptomataque* omnia illico augentur. Cum enim diſcinditur tunica *folliculi*, ſtrepitum vere intrinſecus Aegroti ſentiunt: graves illico animi defectus, atque *cardialgicas* vehementes paſſiones, una cum profuſis ſudoribus & anxietate patiuntur, & *defectio increbreſcit* (65) *& pene in ſyncopen tranſit*. Ejuſmodi Abſceſſus

(63) *Boerhaav. loco citato n.* 937.
(64) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 6.
(65) *Lommius Obſerv. Med. lib.* 2.

Abſceſſus rupturam merito deducit praelaudatus Bianchi (66) *ex liquidi actuoſiſſimi, acerrimeque fermentantis extenſivo niſu ſuper adjacens ſolidum ultra momentum cohaeſionis ſuae*. Illico vero poſt rupturam, dum ſanioſa materies undique per Abdomen divagatur, acri vi, qua pollet maxime, Inteſtinorum, & Veſicae, aliorumque ibidem degentium Viſcerum extimam ſuperficiem adeo pungit & irritat, ut *ſpaſmodicae* vehementes contractiones ſuboriantur, a quibus dum *Peritonaeum* quoque afficitur, Abdomen totum praeter modum intumeſcit. Hinc emanat ratio, qui fiat, ut graviſſima ſtatim Ventris tormina eveniant, urina ſupprimatur, atque circa Pubem maxime gravaminis ſenſum Aegroti moleſtum habeant: dum effluens ab *Apoſtemate* pus illuc praeſertim ex gravitatis lege tendit, ibidemque circa & intra Pelvim colligitur. Poſthac antem, liberato ſic a ſanioſa ſarcina *Hepate*, quae circa hoc Viſcus evenire antea conſueverant *ſymptomata*, in dies imminuuntur, urinae laudabiliorem praeſeferunt ſpeciem, atque in caeteris melius ſe habere Aegroti, licet infauſto omine, videntur. Hinc in hiſce etiam circumſtantiis incaſſum ad remedia confugit Medicus, cum mors in proximo ſit. Tamen, ut *ſymptomatibus* ſaltem quoquo modo proſpiciamus, *Fotus* emollientes extrinſecus conveniunt, pro laxandis Abdominis contractis partibus. Ejuſdem indolis ſint attemperantes potiones, quibus uti Aegrotus, pro tolerantia, debebit. Caeterum ad Chirurgica quod attinet praeſidia, excavatum ab effuſo pure, & in Ulcus degenerans *Jecur*, Abdominis ſectionem omnimode reſpuit.

LVI. Attamen ſi *Jecinoris Abſceſſus* mole minor utique fuerit, eamque ſpecialiter occupaverit partem, a qua *ſuppuratus* humor aut ad *venoſos*, aut ad *biliarios* ductus facilem ſatis aditum habeat: tunc major ſalutis ſpes ex dictis emergit: tutior vero in ſecundo, quam in primo caſu. Si Veterum, Recentiorumque obſervationibus, atque rationi ipſi inhaerendum nobis ſit, tanquam inconcuſſum evincitur, *Abſceſſus* hoſce, qui *Gibbam* praecipue *Jecinoris* partem occupant, mediis venis plerumque judicari, dum contentus ibidem humor ichoroſus venas inde ſubit, atque cum tota maſſa commixtus, ad *emunctoria* communia trajicitur, utplurimum autem ad Renes, ut inde cum urina ſecernatur, excernaturque: id quod tamen nullo modo eveniet, ſi ſanies undique membranoſo *folliculo*, eoque nondum diſrupto includatur. Secus vero, ſi ad *Concavam* potius *Hepatis* partem *Abſceſſus* vergat, praeſto porro ſunt *biliarii* ductus, per quos pus ad Inteſtina breviore tramite facilius migrat. Verum enim vero, & ſi haec paſſim evenire, nemo ignoret, aliquando tamen contingit, quod pus per ſeceſſum magis quam per urinas educatur: quamvis *Abſceſſus* in *Gibba* praeſertim conſtiterit: & vice verſa; id quod jure meri-

(66) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 5.

meritoque animadvertit (67) Hollerius. Inter alias enim *criſes* ipſis familiares, monet, quod *Aliis per Inteſtina ſuppuratio expurgatur, & vomicae locus interdum ſaneſcit: Aliis per urinas, ubi Gibbae inflammantur; quamquam interdum, commutatis vicibus, hae per Inteſtina, Cavae per urinas expurgentur*: pro ut Jacotius etiam (68) confirmat. *Criſeos* autem viciſſitudines haſce non aliunde melius explicari unquam poſſe arbitror, quam ſi dicamus, quod *Abſceſſus* iſti aliquando in intimo *Jecinoris parenchymate* conſiſtunt adeo, ut a *Gibba*, & *Cava* aequaliter diſtent, unde partim per *venoſos*, partim per *biliarios* ductus evacuari queant. Praeterea ſi in *Concava* parte ita collocentur, ut ad *Gibbam* magis vergant, profecto facilius per urinas, quam per Alvum *criſes* evenient; ſecus vero per Alvum potius, quam per Veſicam educentur alii, qui, tametſi *Gibbam* partem infeſtent, ad *Concavam* ſpecialiter pertinere quoquo modo poterunt. Praeter haec mirum utique magis eſt, quod ab hiſce *abſceſſibus* pus ad Pulmones transferatur, idque non per humorum communem circuitum, ſed per immediatum tramitem, quem ſe obſervaſſe notat Cornelius Stalpartius Vander VViel. in Nobilis cujuſdam Viri Cadavere (69), poſteaquam, praeviis doloribus in dextero latere ſub nothis coſtis, aliiſque *inflammationem* indicantibus, purulenta ſputa per os tuſſi egeſſerat. Ibi autem ſic ait: *Aperto Cadavere ingens nobis apparuit Jecoris Abſceſſus; ſimulque vidimus illum inferiori diaphragmatis parti ad latus dexterum, in Pectore autem Pulmonem ad idem latus ſuperiori diaphragmatis parti adhaerere, & acretum eſſe, ita ut pus e dicto Abſceſſu per fiſtulam quamdam illo loco diaphragma perforantem ex Hepate in Pulmonem haud difficulter tranſire, atque ita ejus pars tuſſi egeri potuerit*. Sic partim per Alvum, partim per Os tuſſi ejectum fuiſſe pus a *Jecinoris Abſceſſibus* ſecedens ex *Tulpio* deducit *Obſerv. lib.* 2. *Centur.* 27. quarum *criſium* ratio ex *Diemerbroeck. Anatom. lib.* I. *cap.* 13., ubi agit *de Hepatis conjunctione cum Pleura*, non immerito derivatur. Animadverſiones haſce omnes prae oculis habere ſemper debet Clinicus Medicus, ut ſedulo inquirat, num in *Gibba* magis, num in *Cava*, num in utraque *abſceſſus* conſtiterit, & per quas nam vias Natura *Criſes* utiliter moliatur, aut moliri unquam poſſit: quae utique plurimi eſtimanda ſunt, tum quo ad *prognoſim*, tum quo ad *curationem*, ut idonea magis ſeligantur praeſidia, quae, juxta peculiares Aegrotorum conſtitutiones, ex dictis eruere fas erit.

LVII. Quidquid tamen ex hiſce, aut quomodocunque evenerit, verum tamen ſemper eſt, quod (70) *ſi ita exiguus ſit Abſceſſus, & ſalutaris*,

(67) *Holler. Com. in Coac. Hipp. lib.* 3. *Sect.* 2. *n.* 2.
(68) *Jacotius ibidem Sect.* 2. *n.* 15.
(69) *Stalpart. Vander VViel. Centur. Obſerv.* 46.
(70) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 4. *Sect.* 2. *n.* 14.

ris, ut pus omne vomitione proruperit, aut per Alvum, aut per Urinas, integris partibus omnibus ſuperioribus, tutior ſalutis ſpes emergit, quod raro contigit. Praeter quam quod tuta eo magis cenſenda eſt *criſis* illa, quae per ſeceſſum commode habetur, quam alia quaeque, ut alibi diximus. Cujuſvis enim ſit conditionis ſanioſus ille humor, qui ab *Hepate* emanat, ſi libere & paulatim in Inteſtinorum cavitatem effunditur, minus ſemper oeconomiae animali damnum affert, citiuſque excernitur. Ineuntis autem inteſtinalis hujuſce *criſis* ſigna praecipua habemus, ſi maturato *Abſceſſu*, eoque diſrupto (dum *folliculo* membranaceo non includitur) graves ſtomachi paſſiones inopinato ſuboriantur, una cum vomitu putridae materiae bili commixtae, iiſque analogi humores per Alvum prodeant, cum ardore, premitu, & Abdominis cruciatu, & murmuratione. Cum haec eveniant fauſtum porro magis omen proferunt, manifeſta ſuccedente ſtatim praegreſſorum *ſymptomatum* imminutione, & Aegroti facile ferunt. Non hiſce tamen fidendum ſemper omnimode eſt, niſi quum, protractis diu leniterque purulentis Alvi dejectionibus, majus eo ſemper, earum ſervata ratione, levamen in dies Aegroti ſentiant: caeterumque ex praegreſſis certo innotuerit, parvum mole *Abſceſſum* in *Jecinore* latuiſſe. Secus enim, ſi magnus admodum fuerit, feroque nimis ad Inteſtina congruas *Criſes* moliatur Natura, nihil penitus, aut fere nihil ſperandum eſt. Hinc enim merito ſtatuiſſe videtur (71) Boerhaavius Celeberrimus, quod, quum purulentae materies *in Inteſtina fluxerint, pro varietate affectatae viae, vomitus foetidos, putrefactos, purulentos, ichoroſos, albi, cinericei, fuſci, flavi, nigri coloris, vel ſimiles Alvi evacuationes producunt, cum ſummi virium jactura, titulo fluxus colliquativi, brevi lethales*. Quotieſcunque ideo peſſima haec adfuerint ſigna, incaſſum penitus curationi ſtudebit Medicus, etſi ſagaciſſimus, ſatiuſque erit, ſi Aegrotum cum prognoſtico relinquens, ſedantia tantummodo ſelegerit remedia, quibus graviora *ſymptomata* compeſcere quoquo modo quaerat. Siquidem tunc, nec incoeptas ſolicitare evacuationes expedit, ne vires omnimode citoque deſtruantur: neque ipſas cohibere, ne ſanioſa materies, in Inteſtinorum anfractibus copioſe accumulata, graviſſima in ipſis accidentia derepente producat, Aegrotumque intempeſtive nimis opprimat.

LVIII. Si autem paulatim, ſi blande, ſi cum tolerantia & levamine Aegroti, per Inteſtina hujuſcemodi *criſes* evenire comperiantur: ſaniora quaeque ſeligere praeſidia debet Medicus, ut eas ultro promoveat, non autem perperam cogendo: obices nempe tollendo, *ſymptomataque* graviora ſedando. Satius id circo in hiſce caſibus conſilium erit, Clyſteribus identidem uti, iiſque emollientibus, atque deterſiva vi ſimul praeditis. Ad hoſce ideo

(71) *Boerhaav. de Hepatitide n. 940.*

ideo conferet maxime decoctio facta ex Hordeo & furfure, atque foliis floribuſque Verbaſci, addito melle roſato ſimplici, & aliquando etiam Terebintho luteis ovorum ſoluto, aliiſque hujus cenſus, juxta indigentiam, ad conficiendos Clyſteres idoneis. Neque omittendum erit Amygdalarum dulcium Oleum, ſaepe in modica doſi aſſumptum, ſi in ſuperioribus Inteſtinis, aut Stomacho, ab acrimonia effuſi puris dolores excitentur. Proderunt etiam copioſi potus decoctionis ex Herbis emollientibus & vulnerariis paratae, una cum floribus Chamaemeli, cui & congrua mellis optime depurati doſis addenda identidem erit. Quod ſi morbus partim ſponte ſua, partim Artis ſubſidio ad exitum fauſto omine tendere videatur, imminutis magna ex parte purulentis excretionibus: ad detergendum, ſanandumque reſtitans in *Jecinore* Ulcus, Balſamica ſtatim uſurpanda erunt cum ſupradictis decoctionibus: inter quae Terebinthum conveniet, aut etiam Balſamum de *Copayba*, ejuſve loco Gummi abjetinum praeſcribere conſueſco.

LIX. Neque mirum ulli unquam videri poterit, quod *Jecinoris Apoſtemata* omnimode per vomitum, aut per Alvum expurgari poſſint: eo quia immediata ab *Hepate* ad Inteſtina, & Stomachum via neutiquam adſit. Id enim Clinicorum quorumlibet Saniorum Medicorum obſervationibus adeo confirmatur, ut ne in dubium quidem revocari poſſit. Nec tantum purulenti Ichores, ſed & continentium pus folliculorum membranacea fruſtula ab *Hepate* ſecedunt, atque eliminantur, pro ut etiam teſtatur (72) Doctiſſimus Tacconius. Quin imo integras *Hepatis* particulas per vomitum ejectas memorat Chriſtianus Paullinus (73), ab *Ambroſio Biervvirtk*, qui *de doloribus ſiniſtri hypochondrii, & aeſtu quaſi inflammatorio, cum tuſſi ſicca, diu conqueſtus erat, ſubſequente extrema macie, & ſumma virium imbecillitate*. Huic poſtmodum ſucceſſerunt *dolores, & anxietates, cum vomitu viſcidae pituitae, mox ſequebatur purpureus cruor, & tandem integrae Hepatis particulae excretae, una cum filamentis ſuis, multa nodoſa & albicante materia interſperſa diſtinctae, noduloque purulento exſiccato, magnitudine ovi columbini, colorem vitelli ovi indurati repraeſentante, cum exiguis venulis intertextis, dolore in ſiniſtro hypochondrio ceſſante. Hujuſmodi excretio ſanguinis fruſtulorumque Hepatis per os & Alvum intra octiduum quater repetita eſt, non ſine variis graviſſimiſque ſymptomatibus*. Alium poſtea ſubdit vomitum purulentum, denique integrarum *Hepatis* particularum, *una cum venulis ſuis, quas vidit & palpavit L. Roſe, Phyſicus tunc Gothae ordinarius*, cum fauſto exitu. Curioſas demum alias obſervationes ejuſmodi ab Auctoribus deſumptas breviter refert: quae videri poſſunt apud Mosbachium, Salmuthium, Tulpium, & Donatum, & plures alios. Paullinus autem, dum haec refert,

(72) *Cajetani Tacconi Obſervationes.*
(73) *Chriſt. Paullini Obſerv. Centuria* 2. *n.* 4.

refert, haud ſatis intellexiſſe videtur, quomodo nam, & per quas nam vias ab *Hepate* ad Stomachum & Inteſtina materies illae pervenire potuerint. Ego vero congruum ipſis tramitem per *choledochon* adfuiſſe, neutiquam vererer aſſerere, per eandem nempe viam, per quam & calculi ipſi, licet non modicae molis ab *Hepate* ad Inteſtina transferri paſſim obſervantur: ut poſtea ſuo loco fuſius adnotabimus. Revera, quod ſpectat ad priorem obſervationem, teſte eodem Paullino, ſecto poſt mortem Cadavere, *Veſica fellea inuſitatae erat magnitudinis, denſiori quadam materia, ſucci inſtar inſpiſſati, ex atro viridi repleta.* Specialis enim haec *Cyſti felleae* amplitudo, & reſtitantis adhuc reperti humoris conditio, majorem antea illuc fuiſſe humorum affluxum indicant, atque eorundem *Jecinoris* fruſtullorum, quae per vomitum prodierant, atque forſitan ibi ab *Hepate* deceſſerant, ubi veſica fellis baſim cum ipſo efformat, eidemque adnectitur.

LX. Praeterea quo magis tutae, atque ſaepe ſalutares ab *Hepate* ad Inteſtina *metaſtaſes* eveniunt, eo magis infauſtum ſupereſſe omen, ſupra ſatis docuimus, cum nempe, *Gibba* inflammata parte, per venarum oſtiola pus exſugi cogitur, totamque ſanguinis maſſam, maximo cum detrimento inficere. Porro praelaudatus Boerhaavius jure meritoque monet (74) quod, ſi ſanioſa haec liquida *in maſſam ſanguinis ſe effuderint, mixcuerintque, teterrima oriuntur, & brevi exitialia ſymptomata; animi deliquia enormia, frequentia; debilitates ſummae; pulſus omnimode malus; perturbatio omnium functionum ſimul; mors improviſa &c.* quorum omnium ratio cuique perquam facile patere poteſt. Animadvertendum tamen hic eſſe cenſeo, quod, licet ab hujuſcemodi puris tranſitu in venas majus quam ab alia qualibet *Criſi* periculum emergat, non ſemper graviſſima haec *ſymptomata* ſimul inde ſuboriuntur, ſed tunc ſolum, cum non paulatim, ſed tumultuarie ſanies illa ad ſanguinis maſſam migret. Idcirco, ſi ſenſim & ſine ſenſu per exeſos cavae venae fines pus cum ſanguine immiſceatur, eodemque tempore per Veſicam, aut alia quaevis *emunctoria*, pari ratione excernatur: timendum minus eſt, eoque minus, ſi mole parvus fuerit *Abſceſſus*, a quo liberari cito *Jecur* poſſit, anteaquam nimis profundum ſubſequatur Ulcus. Quoties ideo congrua iſtiuſmodi *criſis* ſigna appareant, ſatius conſilium erit decoctiones praeſcribere paratas ex emollientibus, diureticiſque Herbis, quibus copioſe uti fas erit, ut facilior per Renum tubulos puris tranſitus habeatur. Hiſce detergentia & vulneraria remedia interdum addenda erunt, quae affectae parti, ſi poſſibile ſit, priſtinum reſtituere proinde tonum valeant, ſanioſum laticem omnimode diſcutiendo: ad quod Terebinthum, ut diximus, prae caeteris convenit, ſicuti & Mel ipſum praedictis decoctionibus adjunctum. Extrinſecus

(74) *Boerhaav. de Hepatitide n.* 941.

ſecus autem *fotus* laxantes, leniterque diſcutientes laboranti parti ſaepe apponantur.

LXI. Inſuper, ſi *Apoſtemata Hepatis* neque *in Cava Abdominis pus effundere* queant, neque *per Vaſa bilioſa in Inteſtina*, neque *per venam cavam in cruorem* transferre, pro ut ſupra cum Celeberrimo Boerhaavio indicavimus; non alio utique tunc modo expurgari poſſe videntur, quam quum elatus tumor extrinſecus vergens *accreſcit Peritonaeo*, *atque ibi abſceſſum externum Hepatis format*, *ibi apparentem*. Verum ejuſcemodi *metaſtaſes* infauſtum plerumq; omen proferunt; etſi quandoque ad ſalutem tendant, ut quamplurimae docent obſervationes a Schenchio, praeſertim, Ruyſchio, Marchetto, aliiſque propoſitae. Siquidem jure meritoque putat Clariſſimus Bianchi (75) quod *ſuſpecta eſt apertio ad exteriora hypochondrii*, *ad Abſceſſum Hepatis eo tramite foras elutriandum*, *tum naturaliter per motum intimum facta*, *tum artificialiter per Chirurgi manum*; *licet ab Authoribus quamplurimis ambae ſint decantatae*. *Cito lethalia ſunt hujus genii apoſtemata*, *& ſubitaneam ſaepe necem afferentia*, *ſi circumſtantiis oppoſitis ad locum exitui imparem abrumpantur*; *ac vel totum inundent Viſcus*. Verum enim ſemper eſſe tunc comperitur, quod, *quibus in tunica*, *qua Jecur obvolvitur*, *pus continetur*, *integra viſceris ipſius ſubſtantia*, *ſervantur*: *quibus vero ad carnem uſque*, *& ſolidam ſubſtantiam Jecoris corruptio penetrat*, *juſta ratione moriuntur*; (76) teſte Jacotio. Statim ac igitur tumor extra ſe prodit, maturantia congrua atque emollientia affectae parti adhibenda ſunt, indeque congruo tempore phlebotomo ſecare, aut ignito ferro inurere convenit, ut anceps ſaltem remedium experiamur, potius quam nullum. Ad hanc vero ſectionem, aut uſtionem peragendam expertus admodum & prudens requiritur Chirurgus, qui praegreſſis omnibus rite perpenſis, optimoque ratiocinio inter ſe mutuo collatis, veram morbi ſedem noſcat, & locum, cui ſcalpellum adigere fas ſit, caute etiam quo ad modum ſe gerendo. Praeterea, facta ſectione, haud minor requiritur ſolertia, ut, explorato *Abſceſſus* ſinu, habitaque ratione fluentis, & fluxuri puris, ejuſdem exitum moderare opportune poſſit, juxta Aegrotorum tolerantiam & vires: quae omnia praecipue neceſſaria maxime ſunt, pro agentis Chirurgi decore, & Aegrotorum bono. Ad hoc ſano utique conſilio, atque ſumma ſolertia uſus nuper fuit prealaudatus Cajetanus Tacconius Philoſophiae, Medicinae, & Anatomes Profeſſor Bononienſis expertiſſimus, dum in Bononienſe Archinoſocomio Sanctae Mariae *de Morte* Mulierem quamdam *Abſceſſu Hepatis* maximo detentam, adhibito ſcalpello feliciter curavit, eaque optime convaluit, poſteaquam *dies jam quatuor*, *& ſeptuaginta ab aperto tumore*, *octuaginta vero novem a morbi initio effluxerant*. Diuturno autem hoc temporis

(75) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part. 2. cap. 5. n. 6.*

(76) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sect. 2. n. 25.*

poris intervallo maxima puris copia partitis vicibus prodiit, plurimique calculi diverſae figurae & molis, ac ſaepe bilis ipſa *cyſtica*; cujus copiam ſolertiſſime identidem perpendit, atque *analyſim* accurate perfecit. Haec omnia fuſius ipſe expoſuit, doctiſſimiſque animadverſionibus munivit, in obſervationibus ſuis elapſo anno Bononiae editis, quae ad *Hepatis* hujuſcemodi morborum diagnoſim & curationem optime conferunt. Huc etiam ſpectat obſervatio huic conformis a Stalpartio Vander VViel (77) expoſita, ubi de quodam loquitur, qui febricula diu laboraverat: factoque demum in *Hepate abſceſſu*, eoque exterius aperto, cocti puris ingens copia emanavit, una cum calculo ovi columbini inſtar: atque inde optime convaluit.

LXII. Verum animadvertere tunc ſedulo expedit, quod, *ſi album, aequale, laeve, inodorum, ſpecillum non colorans, pus extrorſum exit, ſpes eſt*, docente Boerhaavio loco ſupra citato; *ſi autem flavus, fuſcus, lividus, niger, foetidus, ſpecillum colore iridis inficiens, ſanioſus, amurcoſus ichor prodit, ſenſim exeditur Jecur: conſumetur Aeger*; ut Hippocr. (78) monet. Quotquot ego Aegrotos ejuſmodi in Noſocomio Majore noſtro curandos habui, tametſi, facta inciſione, magna puris copia ad plures dies prodiiſſet, omnes deceſſiſſe obſervavi. In hiſce enim omnibus, ſecto poſt mortem Cadavere, enormem in *Hepate* cavitatem, a remorato ibidem pravo & copioſo pure factam, inveni. Praeterea adnotandum eſt, quod non eodem ſemper modo, neque eadem in parte ſemper tumores iſti ſe extra prodere conſueſcunt. Alii enim citius, alii tardius emergunt: Alii majorem, alii minorem in molem attolluntur: Alii inter ſpurias coſtas, alii ſub ipſis quoquo modo prominent. Utplurimum tamen ſub mucronata cartilagine dextrorſum prope initium rectorum Abdominis muſculorum adnaſcuntur, ubi minor nempe prodeunti *Jecoris* tumori reſiſtentia emergit. Plerumque tamen verum eſſe, praxis & ratio ipſa docet, quod, niſi affecta *Hepatis Gibba* pars *Peritonaeo* fortiter antea, ob *inflammationem*, adhaeſerit, extrinſecus tumor hoc modo ſuboriri neutiquam poteſt.

LXIII. Graviora illa huc uſque recenſita *ſymptomata* eorumdemque viciſſitudines in *Jecinoris* majoribus *inflammationibus* evenire varia ratione, pro varietate *ſtaſis*, conſueſcunt; dummodo tamen non procul a Viſceris ejuſdem centro morbus lateat, atque magnam *parenchymatis* partem occupet. Secus autem, ſi parva hinc inde, ut ſupra diximus, *tubercula* ſuccreſcant, eaque in dies haudquaquam augeantur: non adeo vehemens eſt febris, *ſymptomataque* omnia mitiora evadunt, quae, ſi identidem increſcunt, non tam diu ſaeviunt, neque tam grave periculum adferunt, quia tumores illi parvi facilius reſolvuntur, cum minorem reſtitantis humoris copiam contineant, inordinatumque ex dictis

E reddant

(77) *Stalpart. Vander VViel. Cent.* 1. *Obſ.* 45.
(78) *Hippoc. Aphor.* 45. *Sect.* 7.

reddant morbum. Eo minus imminet periculum, dum parvi hi tumores in *Hepatis* ſuperficie, aut non procul ab ipſa ſuboriuntur; ita ut liber magna ex parte aditus remaneat ſanguini per majora intimaque vaſa excurrenti. Plerumque tamen (ut ſupra num. 49. diximus) ab hujuſcemodi parvis *Hepatis ſtaſibus*, ſeu mavis *tuberculis*, febris abſque rhythmo procedit, neque acutarum ordinem ſervat: aſt modo inopinato augetur, modo imminuitur, ideoque ſaepe *Chronicorum* naturam induit morbus; de quibus omnibus poſtea agendum erit.

LXIV. Verum anteaquam *Chronicorum Jecinoris* affectuum tractatum aggrediamur, nonnulla hic etiam dicenda reſtant, circa *Abſceſſus* illos, qui in eodem Viſcere procreantur poſt gravia Capitis Vulnera. Horum autem praecipue meminit expertiſſimus Petrus Marchettus in Obſervationibus ſuis Medico-Chirurgicis praxim utique illuſtrantibus. Nec tantum in *Hepate*, verum & in *Liene*, atque in *Pulmonibus* etiam, ut ipſe monet, tum & in aliis Thoracis partibus hujuſcemodi varii *Abſceſſus* hac eadem occaſione fiunt; quod ego etiam, autopſia teſte, animadvertere multoties potui. Tamen non ſemper utramque cavitatem, Thoracem nempe & Abdomen, contentaque in ipſis praecipue viſcera *Abſceſſus* iſti ſimul obſident: imo raro hoc evenit. Utplurimum enim aut in *Hepate* tantum, illaeſo Thorace, aut in *Pulmonibus*, non affecto *Jecinore* adnaſcuntur; id quod a peculiari laborantium Corporum diſpoſitione, variaque purulenti humoris copia in Capite accumulati dependet. Hoc unum porro difficile admodum captu evadit, quare nam & quomodo fiat, ut ex vulnerato graviter Capite, ac proinde *Abſceſſu* laborante, utplurimum analogi in *Hepate abſceſſus*, nec raro in Thorace poſtea ſubſequantur. Quod maximus *Capitis* cum *Ventriculo*, atque hujuſce praeſertim cum *Hepate*, *Liene*, & *Inteſtinis* conſenſus, & mutuus quidem intercedat: Veteres plerique Medici haudquaquam ignorarunt, hocque in propoſitum noſtrum Jacotius confirmat hiſce verbis. (79) *Ventriculo Caput, & Capiti Ventriculum conſentire argumento eſt delirium ex Ventriculi bile, & ex Capite vulnerato vomitus, de quo in aphoriſmis lib. 6. ſcribit Hippocrates: Quibus Cerebrum praeſcinditur, neceſſe eſt febrim, & bilis vomitum ſupervenire. Nec modica eſt reliquarum partium, Jecoris, Lienis, Inteſtinorum, imo totius Corporis ad idem Ventriculi os communio* &c. Praecipuum autem ejuſcemodi *Ventriculi*, *Hepatis*, & *Capitis* commercium, ob ſpeciales nervorum ramos, eorumque productiones explicatur. Cuique enim notum ſatis ſuperque eſt, inferius *Ventriculi* os inſignioribus ditatum eſſe nervis, quorum plurimi ramuli ad *Concavam Hepatis* ſubſtantiam ſpecialiter pertinent; unde ſatis patet, cur, laborante in ea parte *Jecore*, analogis inde *ſymptomatibus* Stomachus ſimul afficiatur, & vice verſa. Hinc ratio emergit,

(79) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 3. Sect. 2. n. 14.*

emergit, qui fiat, ut, poſt gravia Capitis Vulnera, *Ventriculi* praeſertim, atque etiam *Hepatis* peculiaria *ſymptomata* ſuccedant. Dum enim *ſpaſmodicae* nervorum contractiones ex dictis ſuſcitantur, circa inferius *Ventriculi* orificium gravius illae fiunt: ob inſigniores nempe ibidem propagatos nervos; ſimulque, ob commercium dictum *Ventriculi* cum *Hepate*, Viſcus hoc quoque pariformiter laborat, & bilioſi vomitus (ex violentis *hepaticorum* bilis ductuum conſtrictionibus) varii eveniunt. Verum enimvero haud congrua ſatis haec omnia videntur eſse ad originem illorum *Abſceſſuum* detegendam, quos ſupra in *Hepate* progigni, poſt gravia Capitis Vulnera, demonſtravimus. Si enim *Abſceſſus* ejuſmodi tunc ideo fierent, quia, contractis *ſpaſmodice* nerveis fibrillis ad *Jecur* pertinentibus, ejuſdem quoque Viſceris majora Vaſa pari ratione conſtringerentur, ita ut ſanguinis illuc tendentis curſus perverteretur admodum, ſegniorque evaderet; haud ſatis porro noſcerem, cur nam iidem *Hepatis Abſceſſus* in gravioribus etiam tertianis febribus eodem modo non emergerent, atque in illis praecipue, in quibus vehementiores bilioſi vomitus, atque *cardialgicae* Stomachi violentae paſſiones accidunt, eaeque ad plures dies continuare utplurimum obſervantur. Idem intelligendum venit de *convulſivis* gravioribus quibuslibet affectibus, qui (aut immediate a Cerebro proficiſcantur, aut in aliis partibus inferioribus enati, in Cerebro tyrannidem ſuam praeſtent) in *Ventriculo* maxime enormes contractiones, ac proinde in *Jecinore* excitant. Si ideo aliud dictorum *Hepatis Abſceſſuum* principium, ob graviora Capitis Vulnera, ſtatuendum eſt: ſatius erit innuere cum eodem Auctore (80) *ex Capite copioſum pus poſſe ad inferiora Viſcera delabi*, facta videlicet *metaſtaſi*, ut ajunt; non ſecus ac in *ſuppurationibus* grandioribus Pectoris evenire, ſuo loco in antea editis conſtitutionibus animadvertimus: ubi nempe docuimus, quod, deficiente congruo puris excreatu, ſanioſi ichores in inferioribus partibus accumulantur, varioſque *Abſceſſus* efficiunt. Revera enim utplurimum conſtat, quod tunc in *Hepate*, aut *Pulmonibus*, aut utrobique *Abſceſſus* illos evenire, obſervamus; cum, ob grave Capitis Vulnus, tam magna puris copia emergit, quae ſatis per apertum ejuſdem oſculum, etiam facta perforatione idonea, educi neutiquam poſſit: ſecus ac in minoribus vulneribus hiſce contingit, a quibus pus ſatis, & cito effluit. Idcirco remoratus ibidem ſanioſus humor, circumpoſitas undique premens partes, & urgens, venoſos aliquando ſubit ductus, indeque in univerſam ſanguinis maſſam traducitur: aut interſtitia partium ſubeundo, per ignotos, inuſitatoſve tramites ad Pectus & *Hepar* transfertur. Haec autem conformia maxime ſunt obſervationibus ab eodem Marchetto propoſitis, quando ibidem

(80) *Marchettus Obſervationes.*

dem animadvertit, *quod quando in his Vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis & Abdominis cavitatem, quae longiori mora cum Pulmones, tum Pleuram, aliquas nempe ipſorum partes erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quae poſtmodum ad Abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe.* Utplurimum tamen *methaſtaſes* haſce a Cerebro ad *Jecur* tunc fieri facilius poſſe exiſtimo, cum pus circumpoſitas Cerebri venulas paulatim ſubit, ab iiſque cum tota maſſa ſanguinis commixtus, quaquaverſus per univerſum Corpus divagatur (ut adaucta inde pari ratione *ſymptomata* teſtari ſatis poſſunt) atque in *Hepate* ſpecialiter conſiſtit, & accumulatur: ob peculiarem ejuſdem ſtructuram & molem. Idem porro putat, atque oſtendit Clariſſimus Bianchi (81) ubi ait: *quod, data imbibitione ſucci purulenti a ſanguine in parte aliqua determinata, ut in Capite, vagans inde commune hoc fluidum per Corporis partes omnes, majores puris hujuſmodi portiones deſpumet in Viſcere omnium maximo, omnibuſque conſiderabiliore, uti Hepar eſt; in quo longe majora, quam in aliis omnibus apponuntur vaſa, longeque majores quam in aliis partibus eorumdem diramationes; in quo leniter quam in aliis omnibus ſuccorum omnium eſt curſus; in quo viſcidius, quam in aliis omnibus ſecernitur liquidum, quod ideo, ob ſimboleitatem texturae, purulentam ſecum materiam per idem colatorium allicere a ſanguine poteſt; in quo denique nulla jacet muſcularis potentia, quae depoſitam, congeſtamque purulentiam repellat ad fluxum.* Si iſtae autem *Abſceſſuum* ejuſmodi *Hepatis*, ex Capitis gravibus vulneribus proficiſcentium, explicationes cuipiam non arrideant, potiorem ab ipſo rationem expectabimus, quam haud facile forſitan adferet. De curatione vero iſtorum *Abſceſſuum* fruſtraneum prorſus eſt agere, cum nullam plerumque admittant, atque inde Aegroti facile periclitentur. Caeterum, ſi ſpei locus aliquo modo ſuperſit, iiſdem inhaerendum erit ratiociniis, quibus ſupra fuſius *Abſceſſuum Hepatis* diverſas *criſes*, earumdemque rationes varias perpendimus: ut in hiſce etiam ſano conſilio *curativas*, ut dicimus, animadverſiones, & indicationes eruamus, quae congrua magis remedia denotent. Verum ſatius erit, ſi ex hiſce, quae de ejuſcemodi *Abſceſſibus* hic innuimus, adeo inſtruantur Chirurgi, ut in vulneribus Capitis ſedulo ſemper caveant, ne praematurè nimis *cicatrixantia*, atque *exſiccantia* adhibeant, vulnuſque citius occludant, anteaquam effuſus ibidem ichor ſatis prodierit; cum hoc tantummodo futuris in *Hepate Abſceſſibus* obſtare poſſit, eoſdemque potiore jure avertere. Eadem ratione, quoties ex rima in Cranio facta, multoque magis ex ſimplici validaque ejuſdem contuſione, abſque ruptura, effuſus inde humor extra fluere nullo modo poteſt: caute ſemper ſeduloque attendant modum, & tempus, quo Cranii perforationem inſtituere expediat, ut ſuffi-

(81) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part. 2. cap. 5. n. 5.*

ſufficiens ſtagnanti humori aditus pateat: pro ut ratione, & experientia duce multoties ibidem docet praelaudatus Marchettus; id quod fuſius & eleganter explicavit nuper Celeberrimus Laurentius Heiſterus in Inſtitutionibus ſuis Chirurgicis Capite proprio, ubi neque ad *Terebrationem* feſtinandum nimis eſſe, neque ad eandem inſtituendam plus aequo cunctandum, ſic merito monet. *Feſtinandum equidem ad Terebrationem iſtam, ſed lente tamen..... Cavendum quoque ſolertiſſime eſt, ne nimia cunctatio miſerum hominem conſumat. Simulatque enim uſque adeo gravis eſſe capitis noxa intelligitur, ut nihil Medicamenta, & Medicorum ſtudia proficiant, ſed malum potius ingraveſcat, veniendum protinus ad Trepanum eſt; ut nimirum depreſſae Cranii partes, ubi ſunt, vel eximere, vel rurſum excitari, haerenteſque intus humores evocari quamprimum poſſint. Namque tandem hic periculum in mora eſt.*



SECTIO SECUNDA

CAPUT TERTIUM

De Polychroniis Hepatis Morbis.

LXV. P*Olychronios*, ſive, ut plerique appellant, *chronicos Hepatis* morbos illos dicimus, qui natura ſua diuturniores aliis eſſe ſolent, inordinatoque vario modo incedunt, pro varietate immediatae cauſae ipſos efficientis; atque proinde varios ſortiuntur exitus. De hiſce dum agere breviter aggredimur, illos primo perpendendos eſſe arbitramur, qui ab acutis, ſeu *inflammatoriis* originem ſortientes in *chronicos* poſtea degenerant. Nemo equidem ignorat *phlegmonodes* quaslibet *ſtaſes*, quae neque *reſolutione*, neque *ſuppuratione* terminantur, in *ſcirrhoſos* tumores degenerare poſſe, qui, cum ex tenaciore latice, ideoque ad motum minus idoneo conflentur, *Polychronias* reddunt aegritudines, ac difficile admodum praeſidiis Sanioribus Medicis auſcultantes. In *inflammatoriis Hepatis* majoribus *ſtaſibus* hoc difficile admodum evenire poſſe, ratio ipſa atque experientia docet. Siquidem, cum iſtae mole grandiores ſint, magnam *Jecinoris* partem occupant, ſive in *Gibba*, ſive in *Cava* conſtiterint, adeo ut niſi cito, ut diximus quoquo modo finiantur, ad interitum neceſſario perducant, anteaquam *chronicus* vere evadat morbus, in *ſcirrhum* nempe degenerante tumore. Verum haud inficias unquam iverim, *inflammatorias* aliquando *ſtaſes* haſce majores, facta *ſuppuratione*, diuturnas evadere: quum nempe *criticae* aliquae, licet incompletae, eveniunt excretiones, quae ideo, tametſi morbum omnimode non evincant, lethalem tamen ipſius exitum diu avertunt. Non hinc vero *inflammatorium* tumorem in *ſcirrhum* migraſſe credendum ſemper eſt. Potiore itaque jure *ſcirrhi* naturam ſibi aſciſcunt in dies ejuſcemodi tumores, qui mole minores ſunt, ac proinde modicam *parenchymatis* hujuſce ſubſtantiam obſident, atque pleraque ejus pars conſuetis fungi muneribus aliquo modo poteſt, abſque quod oeconomia animalis ita pervertatur, ut Aegrotus cito interire neceſſario debeat. Parvi hi *inflammatorii* tumores illa ſunt *tubercula* maxime, de quibus ſupra ſatis ſuperque egimus, peculiaria eorundem *ſymptomata* breviter recenſendo. *Tubercula* haec non omnia tamen, neque eodem tempore ſimul in *ſcirrhos* tranſeunt: idque praeſertim, habita ratione temporis quo ſuccreſcere incipiunt, tum loci, ubi in *Jecinore* conſiſtunt. Si enim plura ſint, non omnia eodem

dem tempore utplurimum procreantur, neque ejuſdem, ut monuimus, molis adſunt; ideoque diverſis temporis intervallis ad maturitatem perveniunt. Inſuper *tubercula* illa citius, faciliuſque in *ſcirrhos* commutantur, quae in *Hepate* ibi implantantur, ubi major eſt a *biliariis excretoriis* ductibus diſtantia; ideoque contentus in illis humor hoſce ſubire difficilius poteſt, aut aditus etiam omnimode, habita ratione reſiſtentiarum, praepeditur: ſecus ac ſi de illis loquamur, qui minus a *biliariis* dictis tubulis diſtant.

LXVI. Dum itaque ejuſcemodi *tubercula* eveniunt, propriis, ut ſupra adnotavimus, ſtipata *ſymptomatibus*, eaque praeſertim prope extimam *Jecoris* ſuperficiem pullulant, neque reſolvi ſatis, aut poſt *ſuppurationem* diſſipari omnimode valent, in *ſcirrhos* migrant, atque contumaciſſimum efficiunt morbum, quem varia comitantur *ſymptomata*, ob multiplices rationes, de quibus infra loquemur. Hiſce enim in dies multiplicatis, atque mole adauctis, eadem ratione tumeſcit undique *Hepar*, tractuque temporis adeo augetur, ut in enormem excreſcat molem, propter quam oeconomia animalis haud parum perturbatur. Verum dum hic de morboſa *Jecinoris* mole praetermodum adaucta, atque proinde infenſa, loquor, haud ignorare me quiſpiam putet, quod aliquando (82) *vaſtiſſimae molis offenditur Hepar, duplae ſcilicet, ultra naturalem, triplae, quadruplae &c. inculpabili tamen undequaque ſubſtantia contextum*, cujus exempla aliqua ibidem Clar. Bianchi recenſet, atque praeſertim ex Boneti ſepulcreto deducit, ponderis 40. librarum aliquando inventum fuiſſe. Aſt *Hepatis* maximae hujuſcemodi moles, licet, contiguas comprimendo partes, Animali nocere quoquo modo poſſint, grave non adferunt damnum, cum ejuſdem ſubſtantia a naturali textura non receſſerit, contentaque vaſa omnia, & excretorii tubuli, juſta proportione, totius adauctae moli adaptentur. Si ideo, ex dictis, ob adnatos *ſcirrhos*, *Hepatis* moles ſupra modum augeatur, pulſus debilis fit, & frequens, eoque magis in veſperis; quammodicus undique invaleſcit calor, qui raro ad febrilem accedit. Tunc, ſi *Gibbae* magis laborant partes, tuſſis ſicca ſubſequitur, eaque crebra admodum & moleſta, cum gravaminis manifeſto ſenſu, dum ſpiritum ducunt, idque praecipue, cum *Hepar* in ſuperiore parte ita adaugetur, ut libero *Diaphragmatis* motui ſummopere obſtet. Si vero *Concava* ſpecialiter affecta ſit, cibi faſtidium magis patiuntur, nec raro inanes vomitus, eoſque identidem cum excretione virentis bilis, aliove quovis non naturali colore ſaturatae.

LXVII. Praedictas ideo ob cauſas, atque rationes, dum huc illuc in *Jecinoris parenchymate ſcirrhoſi* ejuſmodi tumores diverſis temporibus ſuccreſcunt, aut ſaltem augentur, pari pacto comprimuntur modo *ſecretorii*, modo *excretorii*, modo utrique bilioſi ductus: unde aut bilis ſecre-

(82) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 1.

ſecretio pervertitur, aut ejuſdem excretio diminuitur, retardaturve ſaltem, aut utraque eveniunt mala. Hinc ideo innumera univerſae oeconomiae Animali incommoda ſuperſunt, atque praecipue cum, deficiente in *Hepate* congrua ſecretione, impurus magis remanet ſanguis, caeteris obeundis actionibus minus idoneus. Hac de cauſa pravo colore univerſum Corpus inficitur, *cachecticumque* induit habitum, atque ſaepe paulatim omnimode contabeſcit, aliaque hujuſce indolis mala ſuſcitantur, juxta diverſas Aegrotorum peculiares diſpoſitiones. Verum, quum non ſecretio, ſed excretio bilis pervertitur, aut retardatur, citrino magis colore Corporis ſuperficies perfunditur, aut alio quovis foedo, pro ratione variae conditionis bilioſi ejuſdem humoris, qui a biliariis ductibus ſecedere debebat. Attamen, quia non eodem modo ſemper excretio bilis praepeditur, eadem habita proportione, modo magis, modo minus pravum habitum praeſefert Corpus. Viciſſitudines autem iſtae ab iiſdem *ſcirrhoſis* tumoribus in *Hepate* genitis pendent, dum illi nempe, ſecedente paululum aliquando contento humore, aut mole decreſcunt, aut, nova ſuperaddita materie, eo magis augentur, atque proinde minus, aut magis comprimuntur biliarii *excretorii* ductus, analogaque excernendo humori reſiſtentia emergit. Interea ob eaſdem creſcentium, aut decreſcentium mole tumorum in *Hepate* viciſſitudines, quandoque magis, quandoque minus ſanguinei etiam tubuli ibidem comprimuntur, unde circulantis in eodem Viſcere ſanguinis variae quoque vices derivantur, propter quas nunc affluentius *parenchymatoſam* ſubſtantiam pervadit, liberiuſque ſubit, nunc parce magis: id quod innumeris aliis ſuſcitandis *ſymptomatibus*, atque etiam *inflammatoriis* progignendis *ſtaſibus* anſam praebet, propter quas identidem novae febres iiſdem analogae procreantur, praeter caetera incommoda, de quibus poſtea diſſerendum fuſius erit. Dum interea excretio bilis congrua, ob dictas cauſas, praepeditur, ipſa in anfractibus *Jecoris* diutius remorata, acrem induit naturam, eoque magis, quum *ſecedentes* aliquando a praedictis *tuberculis* ſanioſi ichores cum ipſa immiſcentur, atque corrodentem ideo, fere dixerim, liquorem conſtituunt. Quanta nam, & qualia incommoda tum circa *Hepar*, tum in Inteſtinis (ad quae identidem tunc bili aditus conceditur) tum & in aliis contiguis partibus derivari poſſint ab acriore hujuſcemodi bile, nemo ex accuratioribus Medicis ignorabit, praeſertim ſi *pernicioſarum* febrium tertianarum *ſymptomata* ſedulo perpenderit, quae quidem ab eodem principio, paucis mutatis, derivari merito poſſe, ſupra ſatis oſtendimus, atque in aliis conſtitutionibus fuſius probavimus. Praedictis enim in *Hepate* poſitis repagulis, modo majoribus, modo minoribus: dum acrior haec bilis non aequaliter indeſinenterque, ſed per intervalla, nunc copioſius, nunc parcius ad Inteſtina tranſit: eadem ſervata ra-

tione,

tione, modo laxa nimis evadit alvus, cum moleſtis torminibus, modo plus aequo adſtringitur: nec raro premitus, cum *dyſentericis* fluxibus eveniunt, quorum ſingulas ſpecies fuſius poſtea proponemus. Si vero morboſa haec bilis inferius Ventriculi orificium tumultuarie & copioſe pervadat, vomitus bilioſos enormes, eoſque varios, pro varietate ipſius, excitat, una cum *cardialgicis* paſſionibus, aliiſque ejuſdem generis *ſymptomatibus*. Tamque acris quandoque eſt bilis iſta, ut, ſi in Inteſtinorum plicis diu iterum moram agat, ipſa corrodere adeo valeat, ut ulcera ſordida interdum efficiat, in inferioribus plerumque Inteſtinis non longe a Podice, ibi praeſertim, ubi Alvi excrementa diu magis conſiſtere ſolent, atque magis corrumpi. Ideo cum premitibus ardores quoque maximi, & dolores emergunt, dum egeruntur materies, aliquando & paulo ante eraundem expulſionem, ſanguineique ichoroſi fluxus ſequuntur. Quotieſcunque inſuper acrior hujuſcemodi bilis, ob praedictas cauſas, in *bilioſis Hepatis* ductibus *excretoriis* moram nimium trahit, eorundemque laterales *poroſitates* penetrat, ſanguineos quoque ipſis contiguos tubulos exedit, qui ideo ſanguinem ipſum in *biliarios* praedictos ductus paulatim, & identidem eructant. Quamobrem ſanguis una cum bile, nec raro ſincerus ad Inteſtina migrat, & per ſeceſſum effluit, quem tamen ab *Haemorrhoidalibus* vaſis prodire imperiti ſaepe Medici tunc perperam arbitrantur. In hiſce autem circumſtantiis, poſteaquam ſupra modum intumuerit *Hepar*, ob iteratos nimis ſanguinis ab ipſo ſic emanantis fluxus, iterum imminuitur, atque penitus aliquando gracileſcit, praecipue ſi diu admodum ſuperſtites poſtea Aegroti fuerint.

LXVIII. Haec omnia utique praecipua ea ſunt, ad quae diligenter attendere debet Medicus, tum ut quarumcunque occurrentium morbi hujuſce viciſſitudinum rationem in promptu ſemper habeat, tum ut tutiores inde eliciat indicationes, ad idonea ſeligenda remedia illa, quae *ſymptomatibus* quibuslibet edomandis apta magis ſint. Ita vero tumultuarias & temerarias illas effugiet methodos, quibus paſſim indocti, nulla ratione ducti, inhaerere videntur, dum curationes hasce perficiendas facile nimis ſuſcipiunt. Initio itaque morbi, dum *inflammatoriae* parvae illae *ſtaſes* occurrunt, ea omnia conveniunt quae earundem *reſolutionem*, ut ſupra innuimus, promovere valeant; cujuſmodi in primis eſt congrua ſanguinis emiſſio, iterata etiam, pro ut opus fuerit: *fotus* externi emollientes, & diſcutientes, tum & attemperantes aperienteſque potiones plenis hauſtibus ſaepe uſurpandae. Utilis quoque erit, imo neceſſaria *purgatio*, ob rationes ſupra propoſitas, dummodo ea non tumultuarie, non validioribus remediis, ſed paulatim iteratiſque vicibus promoveatur. In hiſce ideo circumſtantiis, prae caeteris conveniet Serum lactis optime depuratum, in quo congrua facta prius ſit Rhabarbari infuſio: hocque

aut

aut quotidie, aut alternis tantum diebus uſurpandum, pro ut opus fuerit, aut Aegroti tolerare commode poſſint. Neque omittendi erunt Clyſteres laxantes, attemperanteſque, ſi pro congrua *purgatione* ſufficere illi queant. Hinc copioſi potus aquarum thermalium, ac praecipue nitroſarum omni jure convenient. Niſi autem *reſolutio* haberi poſſit, tutaque caeteroquin appareant *ſuppurationis* ſigna, praeter praedictas potiones, neceſſaria quoque erunt balſamica diuretica, cum deterſivis vulnerariis: cujuſmodi ſunt decoctiones alias propoſitae. Terebinthus ideo, aut Balſamum de *Copayba* a me toties in hiſce morbis laudatum, cum praedictis decoctionibus in uſum revocari debebit. Verum enim vero, quum neque *reſolutio* haberi ullo modo poſſit, neque *ſuppuratio* affecti Viſceris infarctui tollendo ſatis conferat, ac proinde *Jecur* paulatim intumeſcat, ob *ſcirrhoſos* ibidem ſuccreſcentes tumores praememoratos; tunc ſedulo animadvertat Clinicus Medicus, num ſecretio bilis, num ejuſdem excretio, num utraque actio pervertatur: id quod ſummopere confert ad opportuna ſeligenda remedia, ad ea nempe, quae, ſi non omnimodae curationi, ſedandis ſaltem *ſymptomatibus* ſatius, & rationabilius conveniant. Sane, dum bilis ſecretio, propter *ſcirrhoſos* infarctus, ob recenſitas rationes deficit, aut non ſatis perficitur: praeſto ſunt *Chalybeata* quaeque remedia, atque praecipue tincturae ex iiſdem paratae, aut *Chalybis ſpuma*, aut ſimilia, quae cum aperientibus decoctionibus, aut Thermalibus dictis aquis copioſe epotis aſſumenda erunt. Interim *purgantibus* quoque mitioribus identidem uti fas erit, tum & *Gummi Ammoniaco*, addito *Chalybe*. Nec ſpernendus erit uſus Aquae Tettucianae conſueta methodo uſurpatae, praecipue cum Alvus parum fluat, atque tenaces maxime, craſſioreſque materies, in obaeſis ſpecialiter corporibus, ſecernantur. Hinc ipſae aquae omni jure quoque convenient ad excretionem bilis promovendam, ſi ipſa deficiat, aut ſaltem parce habeatur. Aſt, ſi remorata diutius in *Hepatis* anfractibus bilis, aliave quavis ratione, acrior, ut diximus, reddita ſit; ab omni ſtimulo cavendum prorſus erit, eoque magis, ſi ſanguis identidem ab *Hepate ſecedens* ad Inteſtina transfluat, aut vomitus eveniant, aut *cardialgicae* paſſiones, Ventris tormina, premitus, ardores, aliaque hujuſcemodi *ſymptomata*. Optimum autem tunc erit Serum lactis ſimplex optime depuratum clarificatumque, aut ejus loco decoctiones laxantes frequenter potandae erunt, non omiſſis Clyſteribus ejuſdem indolis. Quod reliquum eſt, ad ſedandas *cardialgicas* paſſiones, aliaque iiſdem analoga *ſymptomata*, utilem admodum expertus fui *mixturam ſtomaticham* in tranſactis conſtitutionibus deſcriptam. Ad haec etiam alia opiata conferent, ſi caute & cum ratione uſurpentur. Ad fluentem copioſe nimis ſiſtendum ſanguinem, praecipue ſi univerſum Corpus inde contabeſcat, adſtringentia congrua adhibenda erunt,

erunt, inter quae *Fungus Melitenſis*, merito in Commentariis Celeberrimae Bononienſis Academiae prae caeteris commendatus, conveniet. Caveant tunc vero Medici, ne intempeſtive nimis ad adſtringentia, eaque validiora confugiant; maxime ſi ſperandum aliunde ſit, quod effluens ab *Hepaticis* venis ſanguis, diſſolvendis ibidem tumoribus conducere quoquo modo poſſit. Idcirco tunc ſolum modo adſtringentia praeſcribantur, cum, aut copioſe nimis effluat ſanguis, aut, debili jam reddito emaciatoque Aegroto, ejuſmodi fluxus, tantum abſit quod quidquam proſit, ut nocere potius manifeſte videatur: de quibus omnibus prudens tantum Medicus, congruiſque ratiociniis inſtructus, judicare poterit.

LXIX. Non omittenda hic eſt ſpecialis obſervatio diuturni variique morbi, quo per biennium fere laboravit Dominus Joannes Baptiſta Confalonerius: utpote quae viciſſitudinarias ejuſmodi morborum *Hepatis* permutationes, atque *ſymptomata* pleraque adamuſſim proponit. Vir iſte carnoſo admodum Corporis habitu praeditus, atque ad *hypochondriacum* vergens, caeterumque antehac ſanus, Vino non parum, atque ſaccaratis praeſertim edulis ſummopere indulgens, Junio menſe Anni 1736. acuta febre laboravit, comite ſaepe bilioſo vomitu, una cum *cardialgicis* paſſionibus: ac prope finem optime convaluit, aut convaleſcere ſaltem viſus eſt, ope bilioſarum Alvi excretionum, quae modo ſponte, modo *purgantium* leviorum adminiculo evenerant: non neglectis ſanguinis emiſſionibus. Auguſto menſe contumaci ſiccaque tuſſi laborare coepit, a qua per ſequentes tres menſes modo magis, modo minus excruciatus fuit, laborioſa paululum reddita reſpiratione, abſque ulla febri, licet tamen pulſus conſuetum non ſervaret omnimode rhythmum. Initio Decembris modica ſanguinis copia per Alvum prodire viſa eſt, plerumque cum faeces dejiceret, qui ab *haemorrhoidalibus* venis exire tunc credebatur. Januario menſe anni 1737. eo magis frequens copioſuſque evaſit ſanguineus ille fluxus, ac fere ſemper cum bilioſis dejectionibus: ſicca adhuc crebrioreque comitante tuſſi. *Cardialgicae* poſtmodum acceſſerunt paſſiones, cum bilioſis vomitibus, iiſque plerumque inanibus, doloribus ventris circa *epigaſtricam* regionem, quibus utplurimum varia ratione vexabatur anteaquam ſanguis per Alvum efflueret, una cum mucoſis ſemiputridis ichoribus. Tum vero inordinata levique febri primum laboravit, quae in veſperis praeſertim invaleſcebat, atque ſaepe adeo diminuebatur, ut ad intermiſſionem quamproxime accederet, iterumque poſtea gravius inſurgebat. Ingraveſcente ſic morbo, frequentes Alvi premitus cum ardore paſſus fuit, eoſque modo inanes, modo cum conſueto ſanguineo fluxu, rarius quam antea effluente bile, cujus loco mucoſus viſciduſque, ac foetens admodum ichor virenti colore ſaturatus ſaepiſſime excernebatur. Quamobrem, accedente Aeſtate

ſympto-

ſymptomata omnia ſupra enarrata magis invaluerunt, levi ſemper comitante febri. Univerſum ideo contabeſcere Corpus coepit, adeo ut, gracileſcentibus atque laxatis undique Abdominis integumentis muſculiſque, *Jecinoris* magnus tumor tactu apparuerit, qui poſthac adauctus ita fuit, ut fere ad umbilicum pertingeret. Attamen nihil, aut parum ſaltem in illa parte dolebat: Tormina tamen identidem in Inteſtinis patiebatur, quoties, ob ichoroſae dictae materiei ab *Hepate ſecedentis* affluxum, in enormes contractiones ipſa cogebantur. *Cachectico* inde colore perfuſus undique fuit, nunquam tamen *Icterico*. Urinae ſanorum fere ſimiles utplurimum erant, ac ſaepe praeter conſuetum minus flavae; forſitan ob deficientem eo magis in *Hepate* bilis ſecretionem, obſtructis ibidem aut praeter modum compreſſis biliariis tubulis: prout in hiſce morbis evenire paſſim conſueſcit. Haec omnia obſervavimus tota Aeſtate, & Autumno anni 1737., tunc cum *ſymptomata* praedicta omnia modo gravius, modo levius ſaeviebant, eademque ratione nunc febris exacerbari videbatur, nunc omnimode fere decreſcebat, debili tamen & frequenti ſemper evadente pulſu. Alvi excrementa cinereum quandoq; liveſcentem, quandoque viridem atque *atrabilarium* referebant colorem, nunquā omnimode flavum. Sanguineus etiam fluxus aliquando copioſius, aliquando parcius fiebat, modo ſimplex, modo cum tenacibus craſſiſque ichoribus ſemper foetidiſſimis. Hyeme vero aliquantulo melius ſe habuit (quod in morbis quibuslibet *Hepatis* utplurimum evenit) cum eadem quidem, ſed rarius leviuſque ſaevirent *ſymptomata*. Febricula tamen fere ſemper adfuit, cum ſicca tuſſi, non adeo crebra. Sanguineus vero fluxus copioſior evaſit; unde magis magiſque totum contabeſcere Corpus viſum fuit, eademque proportione *Jecinoris* tumor, qui antea maximae molis evaſerat, aliquantulum decrevit. Accedente Vere anni 1738. *ſymptomata* quaeque eo magis invaluerunt, ac praecipue Ventris tormina, quibus ſaepiſſime detinebatur, una cum frequenti magiſque copioſo ſanguinis ichoriſque putridi fluxu. Ob indeſinentem ideo ſanioſae hujuſce materiei affluxum ad Inteſtina, moleſtiſſimos ac fere continuos patiebatur premitus, ardoreſque circa Podicem, una cum inanibus *ſecedendi* conatibus; unde non immerito conjicere ſe poſſe alii exiſtimabant, tum ſanguinis fluxum ab *Hemorrhoidalibus* venis derivari, tum & a genito ibidem tractu temporis ulcere premitus illos & ardores prope Ani ſphincterem ſuſcitari. Id falſum omnimode compertum eſt, expertiſſimo accerſito Chirurgo, qui, congruo inſtrumento partes illas ſedulo perſcrutando, nullum penitus ibidem latere ulcus, ſanguinemque a ſuperioribus aliis partibus derivari, certo certius aſſerere non dubitavit. Quamplurima utique ſunt, variaeque claſſis remedia, quae diuturno hujuſce morbi curriculo in uſum identidem revocavimus, interna nempe & externa, eaque ſimpliciora

ciora, tum ad praeconceptam in *Hepate* evincendam cauſam, tum ad occurrentia identidem *ſymptomata* quaeque evincenda, quae quidem enarrare hic non expedit, ut brevitati ſtudeamus. Praecipua tamen ſelectioraque ea ſunt praeſidia, quibus ſub finem morbi uſus maxime fuit, annuentibus Praeclariſſimis Expertiſſimiſque Bononienſibus Medicis, Albertino nempe, Donello, Laurentio, & Voglio, quos omnes, dum data opera Bononiam profectus fuerat, in conſilium vocavit. Omnia tamen fruſtranea prorſus evaſerunt. Etenim die decima quinta Martii dicti Anni 1738., cum ad *maraſmum* fere pervenisſet, tumido admodum reddito Abdomine, vehementibus praeviis doloribus ventris cum indeſinenti ardore & premitu, miſerrime occubuit.

LXX. Diſsecto Cadavere, Abdominis cavitas ſeroſo ſemiputrido latice non parum ſcatebat. *Lien* a naturali ſtatu nihil propemodum receſſerat. *Hepar* autem mole praetermodum adauctum decem & octo libras ponderabat. Extima ejuſdem ſuperficies inaequalis erat, livida, & albicante partim, partim ſubflavo colore perfuſa, ibi maxime ubi *ſcirrhoſi* plurimique eminebant tumores, ſeu mavis *tubercula* diverſae molis & figurae. Intima quoque ejuſdem Viſceris ſubſtantia dura admodum erat, *ſcirrhoſoſque* ejuſdem indolis tumores ubicunque, praecipue ad *Gibbas* partes, continebat, in quibus ſebacea putrida denſaque materies occludebatur. Fellea cyſtis, quae conſuetam ſervaverat molem, atra bile fere nigricante, adinſtar ſubputridi ſanguinis, repleta erat. In *Cava* parte rubebat maxime *Jecur*, minoremque praedictorum *tuberculorum* numerum obtinebat. Naturalis pene erat Inteſtinorum conſtitutio, licet plus aequo perfuſa rubore apparerent. Ea vero undique adſpicere intrinſecus neglex imus, cum loci ratio, ubi ſectionem peregimus, id neutiquam permitteret: unde certiores fieri haudquaquam potuimus, num etiam in Inteſtinis ſuperioribus ulcus lateret, a quo aliqua ſanioſi ichoris pars prodire potuiſſet. Conjicere tamen ex dictis nos tuto poſſe arbitrabamur, maximam ejuſdem ichoris partem ab *Hepatis* praecipue *Concava* parte effluxiſſe, ubi ſanguinea magis tumida vaſa in biliarios ductus ichorem illum putridum eructaſſe aperte videbantur, a quibus per *Hepaticum* tubulum ad Inteſtina aditus patebat: uti compreſſione magis aſſequi potuimus.

LXXI. Sicuti in enarrato caſu ſanguineae dejectiones identidem, ſed non magna in copia factae, protrahendo diutius morbo non parum fortaſſe contulerunt (nec raro etiam diſſolvendis penitus *Hepatis* tumoribus utique conferunt) non ſemper aeque fauſto omine in hujuſcemodi, aliiſque *Hepatis* morbis cedunt. Quotieſcunque enim, ob magnas haſce *ſcirrhoſas* obſtructiones, ſanguiferi plerique majores canales comprimuntur, ſanguiniſque ideo ibidem motui ſummopere obſtant: ipſe admodum ibi preſſus atque coarctatus, ſi ex quavis cauſa rare-

ſcere

ſcere & ſubaeſtuare cogitur, vaſa minus reſiſtentia diſtendit atque diſrumpit, atque extra aream circulationis, aut in alienigenos canales effunditur, ita ut inde *inflammationes* ipſae ſuboriri poſſint, graviſſimaque *ſymptomata* mortem ipſam citius accerſentia. Sano itaque modo intelligenda eſt Hippocratis ſententia (83) ubi ſic docet: *Quibus dolores hypochondrii, oris Ventriculi, Hepatis, & earum, quae circa umbilicum ſunt, partium, excreto per Alvum ſanguine ſervantur: non excreto pereunt.* Etenim quampluries, ut teſtatur Jacotius (84) *Cruenta dejectio non modo non liberat Aegrum, ſed morbum & periculum graviter auget.* Hoc ipſum obſervavimus nuper in Domino Nicolao Biſano, qui, cum plurimis abhinc annis magna *Hepatis* obſtructione laboraret, adaucto poſtea enormiter tumore, vehementi inde febri correptus fuit, cum manifeſtis *inflammationis* ſignis. Nec quidquam ipſi profuit ſanguinea copioſa excretio, non inferius tantum verum etiam ſuperius per vomitum facta; quin imo gravior inde morbus evaſit. Ideo ſingultuoſus & ictericus paulo poſtea factus, atque undique refrigeratus quam maxime, accedente aeruginoſo atrabilari vomitu, poſt paucos dies e vivis miſerrime diſceſſit. Praepoſita ideo Hippocratis ſententia in eo ſenſu intelligenda eſſe videtur, quod aliquando, dum a nimia ſanguinis copia, & aeſtu, *Hepatis*, aliarumve contiguarum Abdominis partium vaſa nimium diſtenduntur, indeque *dolores hypochondrii* emergunt; congrua ſanguinis effuſio ab *Hepaticis* vaſis, ejuſdemque excretio per Alvum optima eſt, & maxime prodeſt: dummodo identidem tantum, & cum moderamine habeatur, caeterumque morboſa nulla adſit ejuſdem *Hepatis* diſpoſitio alia ſpecialis. Tunc enim ejuſmodi ſanguinea excretio ejuſdem indolis cenſenda eſt, ac ſi *haemorrhoidalis* eſſet. In hoc itaque ſenſu ſtatuendum merito eſt, quod, qui *excreto per Alvum ſanguine ſervantur*, *non excreto pereunt*, cum deſit modus, quo ſupervacanea ſanguinis copia, *Hepatica* praeſertim vaſa praeter modum diſtendens, commode tollatur. Eo pejorem autem reddit morbum, graviſſimaque *ſymptomata* exſuſcitat effuſus ab *Hepate* in hiſce caſibus ſanguis, ſi cito ad Inteſtina aditum non obtineat, aut ea pervadere libere nequeat, ut foras eliminetur. *Etenim quoties aperta* (ut cum Jacotio loquar) (85) *rupta, vel exeſa hypochondriorum vena ſanguis effunditur, dolorem Hepati, Ventriculo, & partibus circa umbilicum adferre graviſſimum ſolet, niſi in Inteſtina incidens brevi excernatur. In quo affectu ſanguis in anfractibus ſinuoſis Inteſtinorum ita praeaſſatur, ac nigreſcit, ut etiam picem plane referat*; Id quod ego pluries obſervavi. Aſt de ſanguineis hujuſmodi fluxibus differendum fuſius poſtea erit.

SECTIO

(83) *Hippoc. Coac. lib. 3. Sect. 2. n. 26.*
(84) *Jacotius in Com. ibidem.*
(85) *Jacotius ibidem.*

SECTIO SECUNDA
CAPUT QUARTUM
De Intemperie Hepatis Calida.

LXXII. ALii inſuper recenſendi hic ſunt *Hepatis* proprii morbi diuturniores, ſeu *chronici*, qui abſque ullo ſpeciali hujuſce viſceris tumore, aut dolore eveniunt, iiſque dum laborant Aegroti, *Hepatici* proprie, ſeu *Jecinoroſi* dici vulgo ſolent. Hujuſcemodi illi ſunt, *quibus* (annuente Hollerio) (86) *infirmum Hepar eſt, ut jam deſit ſuo officio, neque ſanguinem naturae congruentem gignit, nullo tumore, non ſcirrho, non oedemate, aut inflammatione intercedente.* Hoſce vero ob *intemperiem* tantum *Hepatis* laborare veteres Medici omnes putabant: duplicem nempe intelligendo, *calidam* videlicet, ac *frigidam*, quae quidem diſtinctio non ſpernenda prorſus eſt, maxime ſi, juxta recentiorum Medicorum aſſerta, ſaniore ratiocinio explicetur. Equidem ſi praecipuum ſpectemus *Hepatis* munus, pro ſecernenda nempe a tota ſanguinis maſsa bile, eademque congruo modo & tempore excernenda; quotieſcunque nimia bilis copia, ob ſpecialem hujuſce viſceris conſtitutionem, ſanguiniſque diatheſim, ſecernatur, quae inſuper acris plus aequo ſit & pungens: ex ſuboriri videmus *ſymptomata*, quae *intemperiei* Hepatis *calidae* tribuerunt *Antiqui*. Sic vice verſa, dum ſecretio bilis, ob peculiare *Jecinoris* vitium, aliamve cauſam quomodocunque deficit, alia *ſymptomata* occurrunt, quae *frigidae intemperiei* propria vere eſſe ſtatuerunt. De hiſce autem ſingillatim in praeſens agere non incongruum erit, ut propoſitum de *Hepatis* praecipuis morbis tractatum compleamus.

LXXIII. Revera *Hepar* pro varia conſtitutione ſua, ſecernendae a ſanguine bili, idoneum magis, minuſve evadere poſſe ratio ipſa ſuadet, atque experientia confirmat. Non vacat autem hic more philoſophico intime nimis perquirere, unde nam fiat, quod *Jecur* muneri ſuo obeundo aptum varia ratione reddatur. Siquidem hoc accuratam nimis expoſcit indaginem, quam ideo ſolertioribus Phiſiologicis, de hac re ex profeſso tractantibus, relinquimus, ne ab inſtituto noſtro nimium deflectamus; maxime cum hoc ad rem noſtram parum conferat. Satis ideo ſit ſupponere, quod, quo magis amplis, plurimiſque ſanguiferis vaſis, caeteris paribus, ditatur *Hepar*, eo majorem bilis copiam

(86) *Holler. Com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sect. 2. n. 21.*

piam ſecernere dato tempore poteſt. Hoc autem eo magis verum comperitur, ſi tota ſanguinis maſsa iis praecipue moleculis conſtare magis ſupponatur, quae poſtea, ob mechanicam *Hepatis* ſpecialem ſtructuram majore in copia a ſanguine ſeparatae, atque in unum congeſtae, praedictum biliosum fluidum magis copioſum conſtituant. Quaenam vero ſint moleculae iſtae ſanguinis, quae magis quam aliae bilioſo liquido conſtituendo aptae ſint, quibuſve ex principiis conflentur, non tam facile ſtatuere quiſpiam poteſt, cum variae plurimaeque circa hoc adſint ſententiae. Omnes autem conſentiunt, quod particulae iſtae ſpeciali elatere, energeticaque potentia peculiari ditatae ſint (ſive eas a ſalibus, ſulphure, aut a ſpirituoſis quibuſvis aliis principiis originem habere velimus) propter quam oeconomiae animali plurima eveniant commoda. Hinc merito bilem *ſanguinis balſamum eſſe* innuit (87) Doctiſſimus Joſeph del Papa: quod nempe *ſanguinis corruptionem prohibeat, quod ejus motum promptiorem reddat, quod faciat illum vividum & floridum, eumque attenuet, comminuat, exhilaret* &c. Verum ſi bilis principia vividiora ſint, plurimaeque quam par ſit ejuſdem particulae ab *Hepate* ſeparatae ſimul uniantur, ſanguinique immiſceantur, ipſum diſsolvere nimis, atque in vehementes aeſtus cogere, ſolidaſque undique partes irritare ſummopere valent.

LXXIV. Dum quiſpiam ideo talem ſanguinis diatheſim ſortitur, quae majorem bilioſorum principiorum copiam in ſe contineat, ſimulque magis amplam *Hepaticorum* ductuum capacitatem, pro majore bilis ſeparatione, habeat; iſte *calida Hepatis intemperie* laborare, cum Veteribus dici jure meritoque poterit. Hujuſcemodi enim Homines colore pallido ad citrinum fere vergente quoquoverſus inficiuntur, habitumque corporis gracilem admodum habent, cum pulſu magno duro, & frequente, atque flavis utplurimum pilis. In iram praeterea proni maxime ſunt, croceas ſaepe, nec raro mordicantes urinas ſecernunt: calorem habent maximum in vola Manuum & Pedum: Jejunium difficile ferunt, bilioſaſque saepiſſime dejectiones cum levamine habent. Merito ideo Jacotius (88) docet ejuſcemodi *Hepaticos duobus ſignorum generibus maxime deprehendi. Uno ex colore, altero ab excrementis Alvi & Veſicae. Quia enim ſanguis ex Jecore prodiens impurus in totum Corpus tranſportatur, ideo color apparet in cute albicans, ſubcitrinus, aut ſubviridis, & fuſcus* &c. Hinc & ſpecialibus obnoxii ſunt morbis: Tertianis videlicet omnis generis, cum *cardialgicis* gravioribus paſſionibus, vomitibus variis, atque Abdominis doloribus, quos ſaepe cruentae dejectiones comitantur, aut bilioſi copioſi fluxus, qui plerumque in ipſis fauſto omine cedunt. Quam facile diarrhaeae, & dyſenteriae ſolitariae in ipſis eveniunt,

(87) *Del Papa Joſeph Exerc. de Humor. cap.* 8.
(88) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 6. *Sect.* 2. *n.* 21.

niunt, praecipueque Aeſtatis tempore, tunc cum in omnibus, ſervata corporum quorumvis ratione varia, copioſa magis fit bilis ſecretio a ſanguine.

LXXV. Quod ſi in hujuſcemodi Corporibus, praeter exuberantem bilis copiam, ejuſdem quoque pravam qualitatem (ſive ea à peculiari ipſius *Hepatis* mala affectione derivanda ſit, ſive univerſalem humorum peſſimam conditionem ſequatur) attendere debeamus: innumera innoteſcent mala, quae ab hoc unico principio pullulare facile poterunt. In hiſce enim circumſtantiis (89) *grandeſcens in Inteſtino proportionaliter cum copia, & bilis ſtimulus; iſque a competenti Chili, aliorumque liquidorum inteſtinalium mixtura non ſatis imbibitus, & involutus, nerveam ejuſdem canalis laceſſit, & quatit tunicam: hinc tenſiones ejuſdem, & criſpaturae, colica, hydrops ſicca, aliaeque orgaſmi bilioſi ſoboles: Borborigmi, & flatus praecipue, ob alterne introductum in fiſtulam inteſtinalem, colliſum, & rejectum externum aerem, ab eadem alterne contracta, & reſtituta. Perfluens uſque ad cavitatem ventriculi tumidum humoris hujuſmodi fluentum, nauſeam ibidem procreat, ſputationes copioſas, vomitus, praecordiorum anxietates, cardialgias, vertiginem, dolores in ſuprema cavitate lancinantes, anorexias, alioſque Stomachi, & Capitis morbos:* praeter tot alia hujuſce cenſus, aut, ex dictis, varia ratione complicata, quae juxta variam laborantium Corporum rationem, evenire diverſimode paſſim obſervantur. Hinc *hypochondriacarum* contumaciorum affectionum principium perſaepe derivatur: id quod agnoſcere ſagax Medicus poteſt, ſi, attenta Aegrotorum univerſali conſtitutione, *calidam Hepatis intemperiem* dictam demonſtrante, ſedulo animadverterit, quod *ſymptomata* pleraque, poſt bilioſas ſpeciales evacuationes, ſive per ſuperiora, ſive per inferiora factas, imminui ſoleant, aut ſaltem diutius averti, pro ut multoties evenit. Nec vellicare tantum, pungere, & ſtimulare maxime Inteſtinorum tunicas aliquando poteſt bilis haec copia adaucta, & qualitate peccans, atque proinde in eorundem cavitate ſubaeſtuans, atque furibundos tumultus excitans: verum etiam abradere, & corrodere ipſa perquam facile poteſt, praecipue ſi ibidem diu adeo conſiſtat, ut ex mora eo magis acris evadat. Hoc tamen, ſicuti experientiae, ita & rationi ipſi conforme admodum comperitur. Etenim, ſi bilis, in naturali etiam ſtatu conſtituta, ad hoc ſpecialiter comparata eſse ab omnibus putatur, ut moderati *cathartici* remedii vices in Inteſtinis gerat, ad educendas faeces: quotieſcunque nimia ejuſdem copia vigeat, ipſiuſque principia validiora ſint, praedictos omnes, alioſque hujuſcemodi effectus praeſtabit, & praecipue bilioſos copioſos fluxus, & dyſentericos contumaciſſimos, de quibus fuſius poſtmodum agendum erit. Non abſimile principium interdum ſortitur *Cholera* morbus, ſeu (90) *violenta ſurſum deorſumque expulſio*

F

(89) *Bianchi Hiſt. Hep. part.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. (90) *Boerhaave Inſtit. Med. n.* 810.

pulſio ex Ventriculo, & Inteſtinis, maxime ſi bilioſa vere ſit. Tunc enim *non ingurgitationem fructuum horaeorum*, crapulamve, aut convulſionem ſimplicem (ut aliquando evenit) pro genuina cauſa agnoſcit, ſed (91) *auctam Hepatis ſecretionem, ſeu copioſiorem ultra ſtatum naturalem in hoc Viſcere ſecretam bilem*, quae praeterea acris adeo ſit, ut Inteſtinorum enormes *ſpaſmodias* procreare queat. Id enim ex eo deducunt, *quod in denatis ex hoc morbo, fellis folliculus non ſolum bilem contineat ejuſdem tincturae, viridis, aeruginoſae, aut alterius, ac tulerant ſucci in affectus vigentia ſuperne inferneque erumpentes; ſed eadem ſemper extreme ſatur occurrat*.

LXXVI. Non hinc tamen aſserere unquam auſerim, quod ſupra enarrata haec mala, aliaeque hiſce affines morboſae affectiones a *calida* Hepatis *intemperie* hoc modo ſumpta, evenire ſimul, & ſemper, atque eodem modo debeant. Talia enim tunc ſolum evenient, ut diximus, quum bilis tum copia adaucta ſummopere ſit, atque prava qualitate peccet, eaque non facile, conſuetiſque temporibus excernatur. Quamobrem, cum aeſtivo praſertim tempore (ut omnes conſentiunt) bilis uberius in *Hepate* ſecernatur, ipſaque tunc ex tenuioribus ac magis potentibus principiis confletur: niſi, habita ratione ejuſdem ſeparationis, congrua per Alvum excretio ſubſequatur, praedicta facile evenire tune poterunt mala. Hinc emanat ratio, cur utplurimum recenſiti morbi, aliique quilibet *Hepatis* proprii, Aeſtate, aut Autumno ſuboriantur, atque tunc magis tyrannidem ſuam exerceant. Praeterea hinc patet, cur hiſce temporibus ſpontaneae ſaepe bilioſae dejectiones *Criſeos* vices in morbis tutius gerant: ipſaeque, ſi tempeſtive fiant, praedictas avertere affectiones facile poſſint, atque in illis etiam, qui caeteroquin, ob pravam *Hepatis* dictam conſtitutionem, iiſdem magis quam alii obnoxii eſsent. Praeter copiam autem, pravam etiam bilis ipſius qualitatem requiri, ſupra innuimus, ut praedicta *ſymptomata* ſuboriantur. Ad hoc vero maxime conducit incongruum victus regimen, hocque acriori progignendae bili magis accommodatum. Porro meracioris Vini liberalior uſus hiſce morbis anſam facile praebet; quod etiam ſaccharata edulia, immaturi fructus, Aromata, Spiritus Vini, & horaearia quaelibet praeſtant, ſi frequenter uſurpentur: utpote quae cruditates nimias accumulant, ſanguinique tenuiores ſuppeditant moleculas, quae ejuſdem, & bilis praecipue furibundos aeſtus procreare valent, & ſolent; ut experientia ipſa paſſim evincitur.

LXXVII. Tanta autem quandoque eſt bilis aeſtuatio in biliariis ductibus, & cyſti fellea, atque ejuſdem exuberans adeo copia, ut a conſtituentium membranarum meatibus undequaque & copioſe tranſudando, ſubpoſitorum Inteſtinorum extimis tunicis adhaereat, & ſpaſmodicas eorundem vehementes contractiones excitet. Hinc merito Corn.

Stal-

(91) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part. 2. cap. 6. n. 3.*

Stalpartius Vander VViel (92) adnotavit, quod a bile per poros cyſtis felleae tranſudante, ac duodenum, vicinaque viſcera inficiente, Ventris dolores ſuboriantur, nauſea, vomitus, febres, convulſiones, ac cardialgicae quaeque paſſiones, illaeque maxime quae perperam aliquando in Infantibus verminoſae cauſae tribuuntur; pro ut ipſe ex Cadaverum diſſectionibus didicit. Hujuſcemodi praeterea obſervationes ex Tulpio recenſet (93) tum ex D. Melchior (94) qui vicinorum viſcerum putrefactionem in febre ardente, ob bilis *tranſudationem* refert. Ob eandem cauſam dolores quoque colicos aliquando progigni cum Clar. Nicol. Vulpio lib. 2. Obſer. cap. 37 innuit Celeber. Fridericus Hoffmannus (95) hiſce verbis. *Colicus dolor ſaepiſſime fit a bile flava, innatante huic Inteſtino, quae ſaepius ab Anatomicis cum animadvertatur, veriſimile eſt eam tranſudare paulatim per tunicas folliculi fellis huic Inteſtino quam aliis viciniores. Qua propter male ſibi conſulunt illi, qui prae nimio ſtudio validius comprimunt Jecur; exprimit quippe prona haec flexi Corporis incurvatio bilem* &c.

LXXVIII. Quod ſi bilis ejuſmodi a meatibus folliculi fellis identidem tranſudans, atque Inteſtina extrinſecus tantummodo afficiens dolores hoſce, aliaque gravia *ſymptomata* producere valet: quid nam potiore jure dicendum de ipſa erit, dum pleno gurgite *choledocon* ductum, alioſq; pervadit, atque in eorundem anfractibus moram diutius agens, eo magis pravam induit naturam, praecipue ſi de praedictis agatur Corporibus, in quibus, ob *calidam* Hepatis *intemperiem*, & copioſa magis, & magis acris ſecernatur bilis? Ob hanc porro cauſam non infrequenter *Colicam* vehementem excitari paſſim obſervamus, quae ideo merito *bilioſa* nuncupatur, eamque graphice deſcribit praelaudatus Hoffmannus (96) cujus verba hic referre non incongruum erit, cum ea praepoſitis ratiociniis noſtris adaptentur. *Alia colicae ſpecies eſt bilioſa, quae ſecundum Veteres, a cauſa calida ſubnaſcitur, atque ab humore bilioſo, acri, corrupto, in Inteſtinis praeſertim duodeno copioſius collecto, & ſtagnante ortum ſuum trahit, a gravi frequentius ira, praeſertim in Corporibus calidae & ſiccae conſtitutionis, ſub aeſtate fervida, & aetate juvenili, vel virili, aut ab aſſumptis potibus nimis ſpirituoſis & calidis proficiſcitur.... Sympomata, quae hanc inſequuntur, potiſſima ſunt vox rauca, cardialgia, continuum ciborum faſtidium, vomitus materiae bilioſae, porraceae, ſingultus, intemperies aeſtuoſa & febriculoſa, inquietudo, ſitis intenſa, os amaricans, urina pauca & rufa, cui quandoque Alvi dejectio bilioſa & crebra ſuccedit.* Ejuſcemodi *Colicas* ego multoties obſervavi,

(92) *Vander VViel. Centur.* 1. *Obſerv.* 47.
(93) *Tulpius Obſerv. lib.* 2. *cap.* 25.
(94) *D. Melchior Decad. Ann.* 3. *Obſerv.* 100.
(95) *Frider. Hoffman. tom.* 4. *par.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 5.
(96) *Idem ibidem n.* 17.

vi, eaſque identidem, nunc ſaepius nunc rarius incrudeſcentes in *Picrocholis* dictis Corporibus, poſt ab uſum vini, vel fructuum, atque ex caeteris cauſis, quas hic cum Hoſfmanno adnotavimus. Eas autem nunquam ſedatas vidi abſque copioſis bilis excretionibus, quas ideo tunc modo laxantibus Clyſteribus, modo Oleo Amygdalarum dulcium, promovere cito citius expedit. Verum aliquando ſubaeſtuans in Inteſtinis bilis tenax adeo eſt, ut lenientibus hiſce remediis educi neutiquam poſſit. Quare leve *purgans* propinandum eſt, cui Aqua Tettuciana ſuperbibenda erit, quae intento commode utiliterque ſatisfaciet: pro ut ego pluries fauſto omine eveniſſe obſervavi. *Colicae* hujuſcemodi identidem, ut diximus, invadunt, plurimiſque utplurimum diebus perdurant; aſt non aeque ſemper intenſi, & vehementes evadunt dolores. Ratione ſiquidem habita ad *criticas* Alvi bilioſas excretiones, miteſcunt modo, modo exacerbantur, dum nova a *choledocho* ductu ad Inteſtina materies bilioſa acris tranſit, novoſque excitat tumultus, & ſic deinceps varia ratione progreditur morbus. Hujuſce ideo omnimodam ſolutionem noſcimus, dum urinae (quae initio morbi, atque maxime in ejuſdem progreſſu croceae admodum erant, & plerumque cum *lateritio*, ut ajunt, ſedimento) clarae evadunt atque naturalem pene conſtitutionem in caeteris referunt. Hujuſcemodi bilis aeſtum atque copiam in hiſce Aegrotis indicat *ictericus* utplurimum faciei color, aut ad *ictericum* quam proxime vergens, qui in *Adnata* oculorum tunica conſpicuus magis evadit: hocque praeterea teſtantur Oris amarities, vomituſque bilioſi, quibus non raro ſingultus accedens, peſſimum omen adfert. *Colicae* bilioſae iſtae praeſertim fiunt Aeſtate, ſaepiuſque ſub Autumnum; tunc cum, ob praegreſſam lymphae perſpirabilis nimiam per cutim effuſionem, minus contemperata, magiſque tenax evadit bilis, ac proinde magis apta, ut Inteſtinorum plicis ſtrictius adhaereat, eorundemque fibras vehementius irritet.

LXXIX. Animadvertere hic praeterea expedit, quod ab aeſtuante praeter modum in Inteſtinis bile hac, eorundem fibrae adeo violenter aliquando contrahuntur, ut univerſalem ibidem *ſpaſmodicam* contractionem excitent, quae Hydropem ſiccum adfert ab Hippocrate memoratum (97) ubi ſic docet: *quibus tormina, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur.* Profecto tunc niſi ope congrui purgantis, aut naturae ſolius adminiculo bilioſa illa acrior, & plerumque tenax materies educatur, in Inteſtinorum plicis diu haerens, praedictas ſaepe protrahere *ſpaſmodias* perquam facile poterit. Verum hic dum congrui *purgantis* praeſidium pro avertenda *ſpaſmodica* hac *colica* (quod etiam eidem evincendae conferet) utile, ac proinde neceſſarium arbitror: in ejuſdem tamen ſelectu cautum admodum eſſe debere Medicum,

(97) *Hippoc. Aphor. II. Sect.* 4.

dictum; pro certo habeo, ne, dum morbi cauſam evincere tentat, eo magis valentem ipſam reddat. Etenim, dum bilioſum illum fomitem accuſamus, non maximam ejuſdem humoris copiam in Inteſtinis accumulatam intelligimus: cum modica ejuſdem ſtaſis praeſtare hoc facile queat, dummodo ex tenuioribus, magiſque acribus particulis bilis illa conſletur. Ideo *purgantia* illa ſeligi debent, quae laxando potius Inteſtinorum fibras, eaſdemque demulcendo optatum praeſtare effectum commode valent, morbi nempe cauſam ſimul & *ſymptomata* eodem tempore edomando: ad quod etiam perſaepe ſoli emollientes Clyſteres, ſimulque leviter diſcutientes, cito, tutoque conducunt. Siquidem *Plebeius error eſt* (uti merito ſubdit oculatiſſimus Hecquet) (98) *ab humorum ſaburra enaſci omnes colicos dolores, omiſſis ſolidorum ſpaſmis, qui alterum conſtituunt colici doloris genus, quod ſpaſmodicum eſt. Teſtes hyſtericae, Pictorum, Figulorum, & e plumbo fictorum colicae, quae tam ſpaſmodicae ſunt, ut narcoticis maxime curari ament; Si aliunde indebitis tractatae medicationibus, vel debitis obſurdeſcentes remediis inſanabiles evadant, in pareſin deſinunt.* Opiata utique in enarratis ſupra circumſtantiis uſurpanda ſunt, poſteaquam congruis, ut diximus, *purgantibus* bilioſus fomes eductus omnimode ſit, aut magna ſaltem ex parte edomatus. Illa namq; contractas fibras mirifice laxando, ad priſtinum eas reducunt tonum, non ſecus ac in *Hyſtericis* affectionibus evenit.

LXXX. Cum hic autem inciderit ſermo de *Colica* Figulorum, aliorumque qui ex Metallicarum rerum adminiſtratione non abſimiles noxas contrahunt, non abs re erit hic paulullum diſſerere de analogis morbis, quibus Operarii quidam (quorum Cremonae maximus eſt numerus) tentari ſolent, qui & Cryſtallinas fictitias gemmas laevigant, variiſque modis perbelle complanant, tum & pretioſos alios parvos lapillos, *Amathyſtos*, & vulgo *Granatas* dictos, quibus Plebejae, & Ruſticae Mulieres ſe ornare ſolent, dum parvo ſumptu divitum pompam aemulari amant. Hujuſcemodi enim Operarii iis plerumque excruciantur morbis *ſymptomatibuſque*, quibus Figulos torqueri maxime, adnotavit erudiſſimus Ramazzinus (99) *Lienoſi* porro fere omnes evadunt, *veternoſi*, *cachectici*, *edentuli*, iiſque utplurimum *cadaveroſa*, & *plumbea eſt facies*. Contumaciſſimos ſaepe Capitis dolores patiuntur, & gravamina, cum Vertiginoſis affectibus. Obſcurantur ipſis dentes, ac pene nigreſcunt, & vacillant. Sicca identidem vexantur tuſſi, cum difficili reſpiratione: manuum tremores ipſis accidunt, atque univerſales adeo fortes contractiones, ut totum aliquando Corpus contorqueatur, cum ſtertore maximo ad aliquod tempus perdurante: Praecipuam vero *ſymptomatum* multiplicium tyrannidem in imo ventre perſentiunt. Ipſis enim modo adſtringitur omnimode ad plures

(98) *Hecquet. in Com. ibidem.*
(99) *Ramazzin. de Morb. Artif. cap. 5.*

ces dies Alvus, modo immoderate fluit, cum moleſtiſſimis premitibus, ardoribus, torminibuſque, quibus eo pejus & diutius torquentur, dum Alvum non exonerant. Taliter autem perſaepe ipſis adſtringitur, ut neque *purgantibus*, neque laxantibus medicamentis, neque iteratis Clyſteribus ſolvi, niſi poſt diuturnum tempus, poſſit. Caeterum aut immoderate cibum appetunt, aut ab ipſo penitus abhorrent, ita ut ipſis nauſeam moveat. Hinc, dum imi ventris Viſcera praecipua labefactantur, contumaciſſimis febribus obnoxii ſunt, quae ſemper abſque ordine procedunt, licet tertianae duplicis rhythmum ſervare aliquo modo videantur. Eas vero *cardialgicae* utplurimum paſſiones comitantur, & inanes vomitus, *lypothimiae*, & anxietates, una cum Ventriculi, Inteſtinorumque ſaevis adeo ardoribus & cruciatibus, ac ſi intrinſecus ibidem urerentur, aut pungerentur. Unde nam tot, tamque varia, moleſtiſſimaque eveniant ipſis mala, facile erit intellectu, ſi perpendamus modum, quo munere ſuo funguntur, eaque omnia, quibus uti ſolent. Illi namque, ut *Amathyſtos* illos, cryſtallinoſve lapillos complanent, laevigent, atque poliant, plumbea utuntur rota, ſupra quam, in gyrum citiſſime actam, molandos lapillos altera manu identidem figunt. Prius autem rotam illam luto quodam undique illiniunt, quod parant diſſolvendo in aqua arenam quamdam mineralibus particulis refertam, quam *Smerium* dicunt, eodemque luto lapillos eoſdem obliniunt, ut laevigari commodius poſſint. Infenſis adeo conſtat moleculis lutum iſtud, ut, ſi in aqua diſſolvatur, atque ex illa Feles bibant, vel Aves, aut extemplo moriantur poſt univerſales vehementeſque Corporis contorſiones, aut furibundi & phanatici ad aliquod tempus evadant, in gyrum undique cum tremoribus Corpus volutantes. Inſuper alio utuntur pulvere, quem in tenuiſſimum pollinem redigunt, ad confricandos, laevigandoſque magis complanatos lapillos, ut majorem ipſis largiantur nitorem. Pulvis iſte ex minerali alio lapide, ſeu mavis luto, elicitur, *Tripoli* dicto, ſaporis ſubdulcis partim & aliquantulum ſalſi. Dum haec praeſtant, acta ſaepiſſime in gyrum rota, ſuprapoſitum ipſi infenſiſſimum dictum lutum in pulverem redigitur, quem per aerem avolantem ore, naribuſque adſumunt, una cum alio tenuiſſimo pulvere. Hujuſcemodi pulveres, qui caeteroquin venenata pollent vi, eo magis ipſis infenſi evadunt, dum plumbea illa rota, a complanandis lapillis diu vehementerque preſſa, eodemque tempore velociter circumacta, brevi conſumitur. Tunc ſecedentes a rota plumbeae minimae moleculae praedictis aſſociantur pulveribus; unde venenatum magis emergit compoſitum, quod eo nocuum ipſis evadit, quo magis *prava femina* Plumbum *in ſinu recondit, quae per ſolam exhalationem exerit, dum conteritur, & aqua diſſolvitur, ut tam male afficiantur Figuli, qui illius opera indigent.* (100) Ideo tamen ex dictis incauti ejuſce-

(100) *Ramazzin. ibidem.*

ejuſcemodi Operarii praecipuam in imo ventre noxam contrahunt, atque praeſertim *ſpaſmodicam* atrociſſimam *Colicam*; quia, dum lutum illud & pulveres contrectant, conſpurcatis ſic manibus ori panem aliave alimenta admovent, atque ita cum eduliis venenatas moleculas in Ventriculum intrudunt, quae in dies magis, magiſque intrinſecus accumulatae, Inteſtinorumque & Viſcerum fibrillis infixae, *ſymptomata* praedicta, & morbos paulatim procreant. Quotieſcunque vero Operarii iſti mihi occurrunt curandi, ſedulo ab ipſis ſciſcitari primum ſoleo, num ex illis ſint, qui magis incauti foedatas enarrato corrodente luto manus ori paſſim admovent, ut alimenta aſſumant. Tunc cum ab imo praecipue ventre *ſymptomata* quaeque derivari noverim, idque ob ingurgitatum cum eduliis lutum illud; omnem adhibeo operam, ut venenatas ejuſdem particulas per Alvum leniter educam, contractas ſimul Inteſtinorum fibras laxando, non omiſſis narcoticis remediis, quae gravioribus *ſymptomatibus* obviam ire identidem valeant. Idcirco, ſi inanes vomendi conatus patiantur, cum amaritie oris, conſpurcataque ſit lingua; breviorem ſeligo viam, quam ſponte ſua natura indicat, pro hoſtilibus educendis moleculis, ope congrui *emetici*, *hypecaquanae* nempe, copioſos ſimul aquae tepentis hauſtus ipſis imperando. Poſthac decoctionibus laxantibus & attemperantibus ipſos uti copioſe jubeo, non neglecto Oleo Amygdalarum dulcium identidem in modica doſi ſumendo. Ejuſdem indolis ſunt Clyſteres, quos ipſis ſaepiſſime praeſcribo, praecipue ſi ex illis fuerint, quibus adſtricta Alvus omnimode fuerit. Quo ad *narcotica* vero & *ſtomaticha* edomandis *cardialgicis* paſſionibus accommodata, utilem maxime evaſiſſe ſemper novi *mixturam ſtomaticham*, de qua in aliis etiam conſtitutionibus locuti fuimus. Haec ea eſt methodus, qua Operariis hiſce opitulari conſueſco, atque plerumque fauſto omine. Nullum enim ex hiſce, tametſi graviter laborantem, praedictaque ratione curatum, occubuiſſe novi. Utplurimum tamen in illis tractu temporis *ſymptomata* quaeque recrudeſcunt, dum hoſtiles moleculae illae aut denuo accumulantur, aut iterum, ob extrinſecas alias cauſas, in actum reducuntur, ut peſſimum, ut alias, effectum praeſtent. Nullum ideo ex hiſce, qui in eodem munere perſeverant, ita ſanatum unquam novi, ut *recidivas* multoties pati non conſueverit. Etenim plerique *cachecticum* Corporis induunt habitum, atque valetudinarii ſemper vivunt, innumeris utplurimum incommodis obnoxii, atque maxime ſi ex illis fuerint, qui venenatas dictas particulas per os & nares cum aere copioſius hauſerint, ita ut aut Pulmones ipſi maximam inde contraxerint labem, atque univerſa ſanguinis maſſa, una cum primariis imi ventris viſceribus, coinquinata fuerit; tunc cum nullum ipſis praeſtantius auxilium ſupereſt, quam quod munus illud penitus deſerant.

LXXXI. Ex hiſce, quae de ejuſcemodi Operariis hic breviter per tranſennam innuimus, nonnulla mihi placet eruere, quibus illos maxime monitos vellem, qui validiora *cathartica* praeſcribere facile, & perperam conſueſcunt. Novi etenim plurimos, occaſione tertianarum febrium, iteratis vehementioribus *purgationibus*, ſeu potius *ſuperpurgationibus* hiſce peſſime curatos; qui poſtea *cachectici* prorſus evaſerunt, maximam inde imi ventris viſcerum labem nacti, iiſdemque propemodum *ſymptomatibus*, Stomachique paſſionibus maxime tentati, quibus Operarios illos excruciari adnotavimus. Eoſdem enim porro effectus in Ventriculo, in Inteſtinis, atque Viſceribus praeſtant *cathartici* potentioris ingurgitatae particulae, ac illae quas ex venenato illo luto hauriri diximus. Siquidem *cathartica* validiora, non laxando, non irritando leniter ſolida, ſed eadem in enormes, contractiones, ſeu mavis *ſpaſmodias* cogendo, per *expreſſionem*, ut ita dicam, humores copioſe educunt, dum non pravos tantum ſuccos in Inteſtinis, aut non longe ab ipſis latitantes depellunt, verum & bonos etiam & utiles per vim emungere potis ſunt, intima quoque viſcerum adnexorum penetralia ſubeundo. Solida ideo omnia, praecipue imi ventris labefactantur inde, adeo ut contumaciſſimi *Chronici* morbi emergant: *Hypochondriorum* nempe obſtructiones, tumores *Scirrhoſi*, & *Hydropes* etiam, aliaque hujuſcemodi gravia mala, quae praegreſsae Tertianae febris velut conſectaria haberi tunc perperam ſolent: nam caeteroquin ab uſu validiorum *catharticorum* proficiſcuntur. Hac de cauſa, dum in curatione Tertianarum febrium, aut aliorum morborum, pro *hoſtili* educendo humore, *purgantia* uſurpanda eſſe monui, ea me indicaſſe quilibet noſcet, quae laxando tantum, aut leniter Inteſtina abſque doloribus irritando opem afferant, atque intento ſatisfaciant, juxta Aegrotorum peculiares conſtitutiones, & morborum cauſas.

LXXXII. Quamplurima, imo pleraque *ſymptomata*, quae *intemperiei Jecoris calidae* propria vere eſſe, eaque variis modis ſaevire, juxta Aegrotorum peculiares diſpoſitiones, ejuſdemque Viſceris ſpecialem labem, hic obiter innuimus; eadem in contumacioribus *perniciosis* Tertianis febribus evenire paſſim obſervantur, in *Picrocholis* praecipue Corporibus, majoremque caeteroquin acrioris bilis, ſeu quavis alia prava qualitate peccantis, copiam ſecernentibus: ita ut cum ex hiſce, tum ex aliis propoſitis ratiociniis, maxime conſtet, febres haſce, ſive mediate, ſive immediate ab *Hepate* principium ſortiri; pro ut alibi animadvertimus. Enim vero, hiſce graſſantibus febribus, illiſque praeſertim, quae haud facile radicitus evincuntur, ſaepe ſaepius adnotavi, quod, antea quam *recidivas* quomodolibet Aegroti ſuſtineant, plus minuſve croceum in facie, aut in *Adnata* oculorum tunica colorem praeſeferunt, irrequieti noctes tranſigunt, calores patiuntur in volis manuum, *Anorexias*, internos aeſ-

tus,

eus, dolores in *epigaſtrica* regione, maxime ſub *mucronata cartilagine*, inordinatos ſudores, nec raro leves fere *lypothimias*, una cum aliis accidentibus, quae tum in hiſce, tum in aliis conſtitutionibus noſtris fuſius enarravimus. Hiſce praeterea accedunt quandoque premitus Alvi, & ardores in imo ventre; quae omnia utplurimum ſolvit bilioſa ſeu porracea, ut ajunt, ſeu flavo-viridis, aut aeruginoſa ſubſequens diarrhaea, vomitus, aut dyſenteria: qui tamen fluxus diverſimode fiunt, pro varietate peccantis bilis, habita ſcilicet ratione ipſius copiae, nocuaeque cujuſvis diatheſis, aut nimiae craſſitiei. Etenim experientia docet in hiſce febribus, quod juxta ſpeciales praedominantis bilis caracteres, variae in *Hepate* (progrediente diu nimis morbo) tunc fiunt *ſtaſes*, quae mox recenſitis *ſymptomatibus* anſam praebent, eademque ſolvuntur, dum (congruis per Alvum ſuccedentibus excretionibus, ſive ſponte, ſive arte promotis) illae evaneſcunt. Nihilotamen minus, tametſi, ſedatis hinc *ſymptomatibus*, febris quoque ſolvi videatur; ſi aut bilioſae illae *ſtaſes* in *Hepate*, ſive in ejuſdem confiniis factae non omnimode deſtruantur, aut univerſa ſanguinis maſſa illius ſit diatheſis, quae pravae iterum bilis ſecretioni conferre identidem poſſit; iterum febris recrudeſcere, variaque ratione ſaevire ſolet, ſervata proportione novae bilis in *Hepate*, ſeu in Inteſtinis una cum aliis humoribus turgeſcentis, aeſtuantiſque: quare nil mirum eſt, quod, poſt copioſas bilis excretiones, febrim, ipſique adnexa *ſymptomata* ſolventes, illa denuo reviviſcat, iterumque poſt hac ceſſet, iterato bilis congruo fluxu. Ideo *Chinae Chinae* uſus, dum ejuſcemodi bilioſum humorem attemperat adeo, ut minus potentem efficiat, non autem deſtruat atque educat; eo uſque Tertianas haſce febres, ipſarumque praenotata *ſymptomata* quaeque arcet, quouſque bilis peccantis copia iterum augeatur, ſive (enervata paulatim *febrifugi* remedii energia) bilis ipſa adeo potens iterum evadat, ut alias acceſſiones, priſtinaque accidentia excitare valeat; donec congruae denuo emergant bilioſae Alvi ſecretiones, quae morbi tumultus deſtruant, atque penitus evincant: id quod ſatis ſuperque eſſe mihi videtur, ut Tertianarum febrium viciſſitudinarios quoslibet contumacioreſque motus adamuſſim intelligamus: ut alibi demonſtravimus. Hinc videre eſt, qua nam ratione cum Sapientioribus ſtatuerimus, quod (ut tutius citiuſque febres haſce, omniaque ab ipſis proficiſcentia *ſymptomata* evincamus, aut diu magis arceamus) *epicratica*, ut diximus, Alvi *purgatio* congrua inſtituenda ſit, praeproperum, aut iteratum nimis *Chinae Chinae* uſum tunc ſolummodo praeſcribendo, cum imminentis *Lypiriae* ſuſpicio, ſive graviorum *ſymptomatum* nimia ſaevitia emergat. Nec quidquam *epicraticae* ejuſcemodi *purgationi*, leniter inſtituendae, aliquando obſtat, quod Alvus paululum fluat bilioſis dejectionibus, quae quidem evincendae cauſae

febris

febris ſatis eſſe neutiquam videantur: Imo, ſi per *Criſim* cum levamine eveniant, eas ultro promovere cum moderamine debet Medicus. Verumtamen ad hoc incongruus pene videtur uſus *Olei amygdalarum dulcium*, aut Seminum Lini: qui utique tantum abeſt, quod optatis excretionibus, atque praedictis edomandis *ſymptomatibus* utiliter conferat, ut potius Aegrotis hiſce moleſtiam ſaepe augeat, dum in Inteſtinorum plicis plus aequo reſidet ut aceſcat, nec quidquam morbi cauſam, aut tarde nimis tunc deſtruit, atque educit. Haec autem per tranſennam hic animadvertere iterum opportunum duxi, ut cuique pateret, qui fiat, ut perquam raro in hiſce circumſtantiis (ſecus ac aliqui minus caute faciunt) ad *Oleoſa* illa remedia confugiam. Praeſto enim mihi ſemper erunt Celeberrimi nec ſatis unquam laudati Boerhaavii animadverſiones in Elem. Chymiae Tom. 2. part. 1. Proceſ. 20. n. 10.: ubi, (poſteaquam ſedulo indicaverit quam cito *Olea* haec *a priſtino degeneraſcunt ingenio, abſque ulla omnino alieni admixtione*, ut acria, amareſcentia, inſipida, rancida, & erodentia evadant) merito docet, quid inde interioribus viſceribus accidat; unde appoſite admodum ſic ſubdit. *Vos cogitate porro, Auditores, obvium experimentum, quo breviſſime igne ebulliens hoc Oleum* (Amygdalinum intelligit) *tam cito flaveſcat, rubeat, nigreſcat, amareſcat, acre fiat, ſicque brevi evadat inſalubre. Tum intelligetis, Olea haec horarum ſex ſpatio in Ventriculo amariſſima fieri, atque, in fauces & os regurgitantia, falſo pro bile haberi: quum igni injecta ardeant, flammamque concipiant.* Hiſce addere etiam obiter placet monitum Clariſſimi Paſcoli in *libro de Homine*, quod inſtruere quemlibet ſatis poterit, ut noſcat, qua ratione ab *Oleoſis* ejuſcemodi remediis opem, tum in Tertianis febribus, tum in aliis morbis, expectare Medico vere liceat. Ibi itaque ſic ait. *Nil plane temporibus noſtris in re Medica frequentius, nil uſitatius, quam Olei Amygdalarum dulcium recens, & ſine igne extracti, ac per os, ad labem in morbis pleriſque, qualemcunque eluendam propinati, neſcio an dicam uſum, an potius abuſum. Oleum praefatum opportune ac debite praeſcriptum, hauſtumque in torminibus Ventris praeſertim, convulſionibus, atque irritationibus univerſis, in Nephritide potiſſimum ex Calculo, Pectoriſque inflammationibus plurimum proculdubio profuiſſe, inficias ire haud poſſumus. Attamen quotidie obſervavimus quoque, atque obſervamus in dies, eos, qui Medicis quibuſdam ad exceſſum, ut ita dicam, oleaceis, ſe ſe tractandos fidenter comiſerunt, ſi quando evaſerint, obſervavimus, inquam, viribus eos adeo exinde deſtitutos, atque tanto ciborum faſtidio correptos, ut longo tempore imbecilles, & nauſeabundos, per ejuſmodi tam oleoſam, tam lubricam, tamque incertam Medendi methodum, longe magis quam per morbi perniciem confractos extitiſſe. Enim vero nos docet experientia, Oleum, utpote quod vi polleat emolliendi, relaxandi, retundendique, Ventriculi aeque ac Inteſtinorum facultatem, item & fermentorum*

robur adeo enervare, ut maxima deinceps ſubſequatur apepſia, imbecillitas, aliaque perplura incommoda; quae non niſi vel in corporibus ipſis caeteroquin vegetioribus, diuturnitate temporis evincuntur. Hinc, niſi contra indicatum ſit, plurimum ſane confert Oleo per os in Aegritudinibus, quibus convenit, propinando immiſceri prius dracmas aliquas Aquae Cinamomi, qua volatilius factum, longe minus organa laedat. Quidquid de Oleo Amygdalarum dulcium innuimus, dicendum quoque autumamus de Oleo Olivarum communi, de Oleo Seminum Melonum, & prae caeteris de Oleo Seminum Lini; quod quamvis aliquando vix erutum inflammationibus diſcutiendis opportunum eſſe poſſit remedium, uti docet Ettmullerus, aliique, Plurimis tamen tantam quandoque noxam intuliſſe reſcivimus, ut valde ambigamus, an in morbis edomandis eam exerceat, quam ei paſſim adſcribunt, facultatem. Doctiſſimorum ejuſcemodi Auctorum de *Oleoſis* remediis animadverſiones haſce ad literam hic referre fuſius opus eſſe exiſtimavi, ut cuique innoteſcat, unde fiat ut in eorundem adminiſtratione cautus magis, quam alii, eſſe ſoleam: id quod ſpeciali diſſertatione aliquando melius oſtendam. Veruntamen haec eo magis ſolertes reddere debent Medicos quoslibet, ne tumultuarie, ne tam frequenter, ne inconſulto remediis hiſce utantur in praecitatis circumſtantiis; quoties nempe, aut ob ſpeciales *Hepatis* morbos *calida* ejuſdem *intemperies* una cum conſuetis Phoenomenis vigeat, aut poſt contumaciores Tertianas Viſcus illud adeo laedatur, depraveturve, ut acrioris bilis praedominium quoquo modo vigeat, atque praenotata *ſymptomata* ſubſequantur: quibus edomandis, arcendiſque congruas bilis illius excretiones conferre maxime, ex *Praxi vera* ſaepiſſime innoteſcit. Attamen haud unquam inficias iverim, eas magis prodeſſe, ſi per *Criſes* ſpontaneas, quam remediorum adminiculo fiant. Aſt, dum Arte illas promovere opus ſit (ſervata tamen laborantium corporum conſtitutione, congruaque habita morbi cauſae ratione) inutile ſaltem, & plerumque nocuum ex dictis putaverim *Oleoſorum* uſum: cum ad illas citius, & minore cum moleſtia conferat *epicratica purgatio* ſive cum moderata, iterataque Rhabarbari doſi, ſive cum mitioribus aliis *purgantibus* promota: de quibus alias ſatis per tranſennam loquuti fuimus.

LXXXIII. Ut autem ad propoſitum redeamus, ex dictis deducitur, quomodo moleſti admodum, contumaciſſimique varii in Inteſtinis, atque *Hypochondriis* morbi, a bile ipſa, copia nimis aucta, aeſtuanteque, infenſamve quamlibet conditionem nacta ſuboriantur. Dum enim ejuſcemodi bilis viget, atque in anfractibus *Jecinoris* diutius reſidet, indeque ob moram eo magis acris evadit, ſanguifera ipſa vaſa corrodere, atque diſcindere potis eſt. Tunc ideo una cum bile ſanguis ipſe effunditur, ſanguineumque fluxum adfert: de quo infra fuſius diſſeremus. Ex iteratis ejuſcemodi, ac diu nimis protractis cruentis dejectionibus, *Jecur* ſummopere una cum univerſo Corpore

Corpore contabeſcit in dies, *Hectica* fere febri ſubſequente, ut praxis & autopſia ipſa multoties docuit. Inſuper corrodens iſte bilioſus humor non ſanguifera tantum *Jecinoris* vaſa, verum & *lymphatica* ipſa (quorum magna copia prae caeteris viſceribus gaudet) aliquando diſcindit, effluenſque inde lympha aut in interſtitiis *Hepatis* reſidet, variaſque efformat *Hydatides*, *lymphaticoſve* tumores; aut ab iiſdem erumpens in Cavum Abdominis diſpergitur, *Hydropemque Aſcitem* procreat; qui ideo familiaris illis magis eſt, qui ſaepe, ob enarratas ſupra rationes & cauſas, Inteſtinorum aut *Hypochondriorum* doloribus, ardoribus ſaepius, vel diutius extorquentur: illos praecipue intelligendo, in quibus ſive Naturae ſolius, ſive congruorum *purgantium* adminiculo, bilis per Alvum neceſſariae excretiones haudquaquam evenerint: ut ſupra cum Hippocrate animadvertimus. Alia praeterea ratione *Hydrops* aliquando producitur, ob ſtagnantem in anfractibus *Hepatis* bilem illam: quoties nempe non copia tantum ibidem turget, ſed tartareas, terreaſve, aut mucoſas quaslibet particulas contineat, quae ideo tam inſignes obſtructiones in ejuſdem *parenchymate* pariunt, ut liber ſanguinis motus ſummopere praepediatur. Id ipſum explicat praeclariſſimus Hecquet (101) hiſce verbis. *Enim vero non infrequenter ab uſtulata, lixiviali, & alcaliſata bile, in Hepate fixa, initium capit Hydrops. Hinc namque ſiccato & dureſcente illo Viſcere, ſanguini multo ab omnibus fere Abdominis partibus per Portae Venam regredienti aditus praecluditur, indeque reſtagnatione orta in Vaſis ſerum exundat ex illuvie, ut cumuletur non tantum Hypogaſtrii foſſa, ſed, ut habet Hippocrates, aqua ſuper excreſcat ad partes ſuperiores, quod ad Omentum erumpere eſt.* (102) *Non eſt tamen quod hydrops ſemper ab infarctu Hepatico ſuboleſcat, ut arridebat Antiquis: ſaepe ejuſdem cauſae cum eo conſocia eſt productio; ut lymphae lentoris, colluviei: & per hoc in frequenti Cadaverum hydrope defunctorum diſſectione, non Hepatis ſolum Corpus obſtructum offendimus, ſed & Meſenterii, Pancreatis &c. Saepius autem nullum cum eo commercium ducit, ut patet ex frequenti obſtructi Hepatis praeſentia, abſque ullo hydropis adventu, & viciſſim ex frequenti hydropis aſſidentia, abſque ulla Hepatis obſtructione; adeo ut hydrops ex cujuſcunque alterius Viſceris principalis infarctu, imo & a quacunque majuſcula in Animali ſecretione depravata oriri poſſit.* Verum quid plura? Non enim eſt hujus loci multiplices *Hydropis* cauſas hic retexere, cum ſatis ſit innuiſſe, morbum hunc a *Jecore* ipſo, ob recenſitas rationes derivari poſſe: vitio nempe bilis, cujus ideo rationem inire ſedulo debet Medicus, anteaquam ſuccreſcentis ab ipſa *Hydropis* curationem inſtituat: attendendo primo nempe, num bilis tenax tantum & craſſior in *Hepate* ſtabuletur, num vero

(101) *Hecquet Com. in Hippoc. Aphor.* 55. *Sect.* 7.
(102) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 12.

vero tenuvior, & copia ſubaeſtuans, ſimulque corrodente vi pollens: quae omnia congruo ratiocinio aſſequetur, ut, aut lenteſcentem diſſolvat bilem, aut eamdem attemperet, congruiſve *purgantibus* cito educat.

LXXXIV. Turgeſcens quoque praeter modum in *Hepate* bilis, eaque viſcida, vappida, amurcoſa, ac iners ad motum reddita, atque propterea circa *biliarios* excretorios ductus diu nimis conſiſtens, eam adfert *Icteri* ſpeciem a Baglivio etiam adnotatam (103) cujus rationem optime profert Doctiſſimus Laurentius Bellinus (104) ubi ſic effatur. *Si craſſior ita fiat bilis, ut ſubſiſtat, atque ita influxum ejus è glandulis in canales bilis impediat; quae continue ſeparatur in glandulis non derivatur ex iiſdem in canales bilis: ſed refluit ſeparata quidem a ſanguine, ſed mixta cum eodem, hoc eſt non cohaerens cum partibus ſanguinis, uti cohaerebat prius.* Hinc ratio emanat moleſtiſſimorum *ſymptomatum*, quae *Icterum* utplurimum comitari ſolent, quo uſque, apertis iterum bilioſis excretoriis ductibus, ad Inteſtina tranſitus bili concedatur. Reſtitans enim ſic in *Hepatis* anfractibus bilis, tubuloſque undique diſtendens, fibrillas ibidem ſummopere irritat, atque praecipue ad *Cavam* ejuſdem partem, ubi, mediis nerveis ſpecialibus filaminibus, cum inferiore ventriculi orificio conſenſus maximus adeſt. Hinc vomitus inanes vehementeſque fiunt, una cum ſtomachi *cardialgicis* paſſionibus, tenſionibus, nauſea, nec raro *Lypothimia*. Gravamen tunc ſaepe patiuntur in *hypochondrio* dextro, una cum moleſto tenſionis ſenſu: Inteſtina parum ſuo munere funguntur, atque prodeuntia excrementa ſubcinereum praeſeferunt colorem, & urinae magis coloratae ſunt. Ad ejuſmodi evincendum *Icterum* aperientia congrua conveniunt, eaque ex *Rhabarbaro* maxime parata, quibus coronidis loco *Chalybeata* ſuccedunt. Attamen hic obiter adnotare fas eſt, quod interdum *Icterus* fit, etiam ſi bilis tranſitus ad Inteſtina non omnimode praepediatur, ſicuti ex croceo excrementorum colore deducitur. Tunc vero exuberantem bilis copiam agnoſcimus, quae ideo per Inteſtina quidem partim ſecernitur, partim autem in *biliariis* tubulis reſtitat, atque retrogrado, fere dixerim, motu lympham univerſam colore ſuo inficit. In hiſce etiam circumſtantiis *purgantia* idonea conveniunt, ad ſolicitandam bilis ſeparationem, dummodo ea paulatim & moderate uſurpentur, ſimulque alia evitentur remedia, quae bilis reſtitantis, & copia nimium auctae, furibundos tumultus excitare valeant.

LXXXV. Neque ſemper a nimia bilis copia, aut craſſitie, ac proinde ejuſdem *ſtaſi* in tubulis *Hepatis*, *Icterus* originem ſortitur, cum aliquando a nimio ejuſdem bilis ſubito aeſtu, atque tumultuaria commotione derivetur. Ejuſcemodi ſunt *Icteri* illi, qui derepente fiunt, abſque

(103) *Baglivius cap. de Ictero.* (104) *Bellinus prop.* 30.

abſque ullo praevio *Jecinoris* morbo, nulliſque apparentibus peculiaribus ſignis, quae latentem in eodem Viſcere labem antea indicaverint. *Icterus* enim iſte a violenta pendet cauſa, ut a ſubita vehementiore ira, ab aſſumpto veneno, aliove nimis potente pharmaco, ſeu mavis a quacunque *cauſa ſolutiva* (105) *ſanguinis*, quae bilem faciat *ſubtilem*, *volatilem*, &, *ut ait Sylv. de le Boë*, *ſpiritualiſatam*, *ideoque quaquaverſum in Corpore permeabilem*. Ideo fit etiam occaſione acutarum febrium, ut Hippocrates ipſe multoties monuit, illarum praecipue, quae humores nimium diſſolvunt, atque in furibundos aeſtus violenter cogunt. Ad hunc porro evincendum *Icterum* non ad incidentia validiora, non ad *purgantia* confugiendum illico eſt, ſed ad attemperantia potius atque demulcentia, quae bilis nempe nimios aeſtus cohibeant, atque tuto refraenent. Huc ſpectat Obſervatio ſpecialis humaniter mihi nuper communicata ab eruditiſſimo clariſſimoque Viro Carolo Franciſco Cogroſſio in Patavina Celeberrima Academia publico Medicinae Profeſſore, quam hic breviter exponam.

LXXXVI. Patavinus expertiſſimus quondam Medicus Laurentius Bacchetti, quartum ſupra ſeptuageſimum annum agens, ſanguinea temperie carnoſoque habitu corporis praeditus, poſt violentam animi paſſionem, una cum laborioſo admodum Corporis exercitio, initio Septembris anni 1732. *Ictericus* derepente evaſit, abſque febri, & doloribus, cum ariditate tamen faucium, quam toto morbi curriculo paſſus fuit. Nihil poſthac illi profuerunt aperientia vegetabilia, non Rhabarbarum, non concreti amari Succi, non antiſcorbutica, non Gummi Ammoniacum, aliaque hujuſcemodi. Parvum & oblungum mobilemque in dextero *hypochondrio* tumorem habebat, qui tactu optime percipiebatur, licet non in ipſo *Jecore* implantari, aut ſaltem inferiori ejus limbo adhaerere videretur. *Icterus* ad duos menſes obſtinate perduravit, quo tempore macie admodum confectus fuit. Urinae ſemper ſaturatae erant; Alvi vero excrementa alba ſemper & cretacea. Pulſus ſemper abſque ſenſibili febris indicio permanſit. Die vigeſima ſeptima Octobris primum febris apparuit, atque tunc urinae *atrabilarium*, ac fere ſanguineum obtulerunt colorem. Hinc eo magis contabeſcere viſus eſt, comitante ſiti, ariditate faucium, nauſea, nocturniſque vigiliis, una cum validiore febri. Tandem initio Novembris e vivis diſceſſit. Secto Cadavere inventa eſt *Cyſtis fellea* admodum turgida, & ſupra modum ad palmi menſuram fere extenſa, ita ut Inteſtino Colon incumberet; atque haec ipſa illa erat, quae tumorem praedictum mobilem tactui ſatis patentem conſtituerat. *Cyſtis* haec *atrabilario* ſucco repleta erat: *Hepar* variis nodis ſcatebat. Alter

autem

(105) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 10. *n.* 8.

autem ex Renibus labefactatus quoque fuerat, fortaſſe ob tranſitum billioſarum urinarum ſupra modum aeſtuantium, atque interdum fere ſanguinearum.

LXXXVII. Recenſitus ſupra *Icterus* iſte non adeo familiaris eſt, cum non tam facile evenire poſſit vehemens illa bilis aeſtuatio, propter quam ipſi aditus ad Inteſtina praepediatur. Magis frequens ille eſt *Icterus*, qui a copia bilis nimia pendet, quae ideo ſatis, & opportune excerni nequeat. Verum enim ſemper eſſe autumo, quod etiam ſi bilis ab *Hepate* magna in copia ſecernatur, nunquam *Icterus* evenire queat, niſi cum ejuſdem excretio praeviae ſecretioni proportionalis non evadat; id quod contingit ob praeviam *Jecinoris morboſam* diſpoſitionem, quae bilis excretioni, non autem ejuſdem ſecretioni obſtet. Ideo merito ſtatuitur (106) quod *Icterus perpetuus, eſt praecipuus effectus Scirrhi Hepatis*, cum iſte ſemper bilis congruam excretionem pari modo impediat. Calculi etiam in *Cyſti fellea* contenti contumacioris *Icteri* cauſa frequenter ſunt, unde veluti inconcuſſum ab expertiſſimo Baglivio creditur (107) quod *ſi Icterus ſemel curatus denuo ac saepius recidivet, ſignum eſt infallibile oriri a calculo veſicae fellis*. Nec *Icterum* tantum, verum & plurimos alios graviores morbos a calculis in *Cyſti fellea* congeſtis derivari poſſe, praxis docet, & ratio ſuadet. Hoc etiam innuit praelaudatus Bianchi (108) dum ſic effatur. *A calculis, ſeu tophis in cyſti degentibus oriri frequenter Icteros, Pſoras, univerſales puſtulas, & Tubercula, aliaſve habitus corporis defaedationes, tum Epilepſias, Hecticas, maraſmos, ignotoſque morbos, quotidiana eſt Medicorum meditatio, & inſpectio*. Siquidem cuique perſpicuum evadit, quod, cum bilis jam ab *Hepatis colatoriis* ſecretae congrua deficit excretio, ipſa humores caeteros, & lympham maxime inficit, ejuſdem texturam & proinde indolem admodum immutando. Qua de re, juxta ſpecialem non excretae, ut opus erat, bilis pravam naturam, lympha quoque, ipſa ſaturata, pari ratione infenſa evadit, moleſtiſſimaque Cuti praeſertim incommoda adfert, ubi maxima *lymphaticorum* ductuum copia adeſt. Hinc patet cur in *Ictero* univerſalis plerumque Cutis pruritus eveniat; a colliſione nempe particularum bilis, a lymphaticis tubulis ſecedentis, in nerveas papillas. Dum vero, eamdem ob cauſam, minima lacerantur Cutis ſtamina, puſtulae ſuccreſcunt, aliique analogi hiſce Cutis morbi. Quod ſi nonabſimile inquinamentum in univerſa lympha credendum inde eſt, nervorum quoque principia pariformiter laedi, atque graves emergere affectiones tractu temporis poterunt; ideoque & Corporis nutritio minus apta erit, cum a retrograda bile foedati humores ipſam per-

(106) *Boerhaav. Inſtit. Med. n.* 946.
(107) *Bagliv. de Ictero.*
(108) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 11. *n.* 2.

perficere ſatis nequeant. Eodem ratiocinio intelligimus cur in *Ictero* univerſa Cutis flavo plus, minuſve colore inficiatur, nec raro virenti, atque nigro, ut dicimus, *atrabilari*: cum hoc a diverſa retro pulſae bilis copia, & diverſa qualitate pendeat.

LXXXVIII. Neque ſemper verum eſt, quod, quotieſcunque *Calculi* in *Cyſti fellea* adſint, *Icterus* eveniat: cum hoc tunc ſolummodo contingere debeat, cum omnimoda, aut magna ſaltem ex parte, bili tranſitus ad *choledocon* ductum praepeditur. Numerus enim *calculorum*, moles, & configuratio varia, tum & ejuſdem *ubicatio* diverſa in *Cyſti*, plus, minuſve obſtare poteſt tranſitui bilis ad Inteſtina. Ideo nil mirum eſt, quod ſaepe in diſſectionibus Cadaverum *Calculi* inveniantur *Cyſtim* occupantes, abſque quod unquam *Icterus* praeceſſerit. Saepe etiam fit, quod, ſuccreſcentibus ibidem calculis, *Fellea* ipſa *Cyſtis* majus nanciſcatur ſpatium, ita ut non tam ſtricte inter ſe cohaerere ipſi cogantur, atque inter ipſorum plana permeare bilis libere queat, & ad *choledocon* ductum fluere: ut Autopſia docet. Hoc confirmat etiam ſpecialis obſervatio nuper ab eruditiſſimo Medico Franciſco Roncalli mecum communicata, quam a Sapienti Viro D. Suardo de Suardis Collegii Nobilium Medicorum Brixiae Priore ſibi relatam innuit. Agebatur de *Muliere 27. annorum, quae octavo geſtationis menſe vertiginoſis inſultibus, mox comitiali morbo derepente correpta, tandem omnibus remediis incaſſum adhibitis, cum ſpuma, ſtertore, caeteriſque extremi epileptici agenis ſymptomatibus deceſſit, in cujus Cadavere, praeter foetum mortuum, Heparque conſuetae molis, repertus eſt folliculus fellis non pyriformis, ſed quadruplo major, in cujus cavitate ſeptem lapides bilioſo ichore humectati innatabant, parvam nucem juglandem magnitudine ſua aequantes ..... Illa autem jam pridem, & toto geſtationis curriculo bonum habitum, bonamque nutritionem & colorem praeſetulit*: ex quo arguendum eſſe ſubdit, *quod ſtantibus licet in Cyſti lapidibus ſanitas perdurare poteſt, aut quod lapides ictu oculi, & protinus concreverint.* Num ex hiſce, quae ſupra cum Clariſſimo Bianchi ſtatuimus, dicendum in hoc caſu ſit, quod comitialis ille morbus, mediate ſaltem, a degentibus in *Cyſti* lapillis originem trahere etiam potuerit; Sapientes judicent, atque decernant.

LXXXIX. Cum autem verum ſit, quod, juxta peculiares humorum temperies, atque praecipue *Hepatis* ſpecialem diſpoſitionem varia bilis diatheſis emergat, & ejuſdem varia copia: (ad quod etiam victus diverſa ratio, atque anni temporum conditio confert) calculi etiam variae molis in *Cyſti* procreantur, & quidem variae conſiſtentiae & coloris: cum modo nigricantes ſint, modo virentes, crocei, aut flavo-virentes, alteteriuſve coloris ex hiſce omnibus mixti. Addam inſuper, quod aliquando non in *Cyſti* tantum, verum etiam in *pori biliarii* propagi-

nibus

nibus calculi coagmentantur, qui, pro diverſitate bilis *Hepaticae* a *Cyſticae*, diverſam a *Cyſticis* texturam praeſeferunt, pro ut teſtantur Clariorum quamplurium Medicorum obſervationes, ac praecipue praelaudati Clariſſimi Tacconi. Ipſe enim, dum *Cyſticorum* calculorum differentias ab aliis *pori biliarii* diligenter perquirebat, invenit primo (109) quod *Cyſtici* flammae admoti eamdem nonnihil alebant, atque inter ardendum crepitabant. *Secundo ex lamellis, ſive ſtratis quibuſdam ſibi mutuo ſuperpoſitis eoſdem coagmentatos fuiſſe; primam vero lamellam ex albo flavam, ſecundam viridem apparere. Tertio fere omnes in aquam projectos fundum petere. Quarto eoſdem diffractos nucleum laxioris compaginis nullius determinatae figurae, coloris vero ſaturatioris oſtendere, ſicque ſigna communia cum aliis calculis a Morgagno in ſuis adverſariis tertiis elegantiſſime deſcriptis, atque* ab ipſo *aliiſque in quamplurimis veſiculis felleis Hominum repertis, exhibere* tunc adnotavit. Alii calculi, quos Tacconius in pori biliarii propaginibus invenerat, flammae admoti citius inflammari poterant, & pondus reſpective gravius exhibebant, cujus quidem rationem optime ſic ſubdit. *Quod cum ab exuberantia particularum bilis ſaturatioris, aquoſis deficientibus, pendere arbitraremur, compage proinde illa laxiore eos caruiſſe cogitabamus, quam adipiſci conſueverunt, qui diutius intra cyſtim felleam commorantur*. Hinc poſteaquam ejuſcemodi calculorum analyſim variis modis ipſe diligentiſſime perfecerat, pro *diagnoſi morbi regii dum a calculis producitur elicienda*, ſic merito animadvertit. *Cum ſaepe Icterus a calculis biliferos ductus obſtruentibus enaſcatur, ambigua & obſcura remanent calculorum ſigna, quotieſcunque hi longius a puncto concurſus hepatici ductus cum cyſtico in alterutro eorum ſedem ſortiuntur, nec omnis deſcenſum bilis ad Inteſtina praepediunt. At ubi propius ad praedictum concurſus locum compulſi choledocum ſive communem ductum ſubingrediuntur calculi, tunc omni praecluſo bili exitu contumaciſſima ſequitur aurigo, in qua & albidae faeces, & in primis dolor mucronatae cartilaginis (notante diligentiſſimo Jacobo VVepfero) & ſpaſmodica tenſio dextri lateris & totius corporis laſſitudo veluti ſpontanea, producentis cauſae, ſcilicet calculorum ſpecialiora exhibent ſigna, quae tamen non eadem ſunt (docente Friderico Hoffmanno) (110) ſed diverſimode comparata pro ut, vel ingens calculus veſicam ipſam male afficit, vel plures per ductum choledocum tranſitum moliuntur*. Aliam praeterea calculorum ſpeciem, qui *hepaticos* ductus occupant, refert toties laudatus Bianchi (111). Illi nempe *lapidis laminam, ſeu tanquam cruſtam fiſtulae lapideam, aut ultimo ſolideſcentem obtenſam tunicam praeſeferunt*. Iſti vero calculi (ipſo docente) *raro obſervabiles ſunt in Hominibus, frequentius autem in Bobus, in quibus ad modum*

(109) *Cajetani Tacconi Obſervationes*.
(110) *Frideric. Hoffman. de cauſ. morb. latent. Sect. pr. cap.* 7.
(111) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 11. *n.* 2.

dum tubulorum excavati, per ramorum biliferorum progreſſus continuata ſerie propagantur, coraliorum brachiola aemulantes.

XC. Quo ad numerum calculorum in biliariis ductibus, aut *Cyſti fellea* repertis nil certi ſtatuere quiſpiam poteſt, cum aliquando pauciores, aliquando plures ibidem coagmententur. In helvetica quadam muliere invenit Tacconius biliarios ductus prope omnes una cum *choledoco* calculis refertos, quorum duo ſupra quinquaginta numeravit, *ſuperficiei durioris & laevis, differentis magnitudinis, figurae in pleriſque octaedricae, in quibuſdam vero, praeſertim majoribus, cuboideae*. Inſuper centum quadraginta quinque calculos colore, figura & magnitudine fere aequales idem Auctor eduxit a veſicula fellis, dum Cadaver alterius Mulieris ſecaret, quae tumore *Hepatis ſcirrhoſo* in *Concava* parte laboraverat. Calculi illi *thetraedricam figuram ſervabant, ad albidum, ſive dilute croceum colorem accedentem, & veſiculam fellis totam replebant*. Biſcentum & triginta tres calculos mediocris magnitudinis e folliculo fellis rejectos, atque hinc graviſſimam ſedatam colicam ex Horſtio refert Hoffmannus (112). Mirum utique eſt quod plures adeo calculi a *choledoco* ductu ad Inteſtina migrare poſſint, cum ſtrictam admodum plerumque capacitatem obtineat. Attamen hoc negare nemo poterit, utpote multiplicibus obſervationibus confirmatum. Ego quoque Mulierem quamdam curavi, quae identidem vehementi colica vexabatur, a qua tunc libera ſolum evadebat, cum modo plures modo pauciores calculos per Alvum excernebat, quorum plerique nucem juglandem mole referebant, inordinatae figurae, ſubflavo colore praediti, atque ex ſolida admodum materie coagmentati: eoſque ex *Cyſti fellea* eductos fuiſſe ſigna omnia confirmabant. Hoc ipſum a Fernelio, Riolano, Morgagno, & aliis obſervatum recenſet Tacconius in praecitatis obſervationibus, ubi de nobili Muliere loquitur, quae, *cum de mucronatae cartilaginis, nec non hypochondrii dextri tenſione, doloreque Hepatis quereretur, ſuſcitatis doloribus ſtatim icterica evadebat*. Liberabatur autem aliquando, *dum per Alvum exturbari cernebantur calculi variae magnitudinis & figurae*. Quid autem mirum, quod ſi Ureteres, ut ſecedentibus ſaepe calculis grandioribus Renum aditum concedant, ampli praeter modum evadunt, id etiam *choledoco* ductui evenire poſſit? Ductum hunc in pelvim quaſi quamdam expanſum, atque ita amplificatum, ut digitum intra ſe admitteret, ex Valſalva (113) refert Sapientiſſimus Morgagnus. Non hinc tamen quiſpiam unquam audeat, in *Ictericis* hiſce, veſiculae fellis calculos gerentibus, validiora *purgantia* praeſcribere, ut eos ad exitum ſolicitet. Id enim Naturae potius miniſterio, quam Medicamentorum violentiorum ope evenire ſolet, & debet. Quodſi juxta

(112) *Frider. Hoſſman. Tom.* 4. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 28.
(113) *Morgagn. epiſt.* 3. *n.* 10. *ad Valſalv. op.*

ta Naturae *criticos* motus, id provide quaerere amet Medicus, laxantibus potius tum intrinſecus tum extrinſecus utatur, quae emolliendo fibras, faciliorem calculis eliminandis aditum parent, non neglectis aliquando *purgantibus*, inter quae mitiora ſeligenda erunt, eaque identidem, & moderate uſurpanda. Sic & eos nunquam laudaverim, qui ut calculos Renum educant, ſpiritus volatiles, ac corrodentes praeſcribunt, qui anteaquam Renes petant, atque calculorum exitum promoveant, membranas hic illic irritare, atque in enormes contractiones cogere non parum debent. Praeter quam quod nemo mihi unquam ſatis probaverit, quod ejuſmodi ſpirituoſa volatilia remedia calculos ab Ureteribus educere valeant; cum potius, vehementes ibidem contractiones vi, qua pollent, maxima excitando, eoſque proinde ductus adſtringendo, calculorum exitum praepedire apta nata ſint. Laxantia ideo potius, & diluentia conveniunt, ad quae paſſim tunc utiliter confugere ſoleo; inter quae, praeter extrinſecos emollientes *fotus*, ſola foliorum Malvae, & Parietariae decoctio caeteris praeferenda eſt, qua jejuno ſtomacho ſaepiſſime & plenis hauſtibus utantur Aegroti, ipſi addendo ſuccum Mali medici recenter expreſſum, qui ejuſdem decoctionis exitum faciliorem reddit, atque calculorum expulſioni tutius citiuſque conducit. Ejuſcemodi enim decoctiones copioſe epotae, dum pleno gurgite Renum capſulas ſubeunt, & quidem maxima velocitate (quae earundem copiae, caeteris paribus, proportionalis eſt) cum Ureterum fibras laxant & capacitatem augent, tum in occurrentes ibidem calculos analogo impetu impingunt, eoſdemque ſecum ferunt, donec ad veſicam traducant.

XCI. Ut autem ad propoſitum noſtrum redeamus, generalis proponenda hic eſt ratio, qua *Hepatici* hujuſcemodi Aegroti curandi ſatius ſunt, illi nempe, quos *calida Hepatis intemperie* laborare diximus, quorum videlicet *Hepar* ita conſtitutum eſt, ut copioſam nimis bilem, eamque admodum aeſtuantem acrioremque ſecernat, propter quam tractu temporis ſupra recenſita evenire poſſe mala, demonſtravimus. Quoties ideo *Hepatici* illi occurrant curandi, ad illa omnia quae ſupra indicavimus, ſedulo attendere debet Medicus, tum ut occurrentium quorumcumque *ſymptomatum* rationem in promptu teneat, tum ut congrua inde magis remedia ſeligat, quibus opitulari ipſis melius poſſit. Valentem ideo nimis bilis potentiam quamlibet, atque exuberantem copiam prae oculis habeat. Quapropter, ſi copia etiam ſanguinis adſit, atque de Junioribus agatur, ſanguinem primo emittere fas erit, niſi peculiares tamen adſint rationes, quae huic praeſidio obſtant: cujuſmodi eſt ſpecialis ipſius *Hepatis* jam praeſens obſtructio, quae futuram quam proxime *cachexiam* indicet. Praeterea attemperantia quaeque, diluentia, & nitrata praeſertim conveniunt

in potu maxime exhibenda, ut ſanguinis univerſam maſſam facilius uberiuſque ſubeant, ad acrem ipſius diatheſim edomandam. Huc ideo referuntur Thermales acidulae aquae nitratae, & Balnea ejuſdem generis, quae nempe ſimul humorum ardores contemperent, atque perſpirationem leniter promoveant, cujus ope non modica praedominantis bilis copia avolare facile poteſt. Caveant a Vino, & meraciore maxime, tum & ab aromaticis aut ſaccaratis eduliis, quae bilis aeſtum & copiam augent; quorum loco attemperantia quaeque alimenta, quae ex Herbis parari ſolent, convenient, ejuſdemque ſpeciei potus, quibus Mali medici ſuccus utiliter immiſcendus identidem erit. Verum, cum bilis *critica* excretio per Inteſtina tutius faciliuſque haberi conſueſcat: *purgantia* praecipue in hiſce caſibus caeteris aliis remediis palmam praeripient, dummodo caute, & cum moderamine, juxta Aegrotorum ſpeciales diſpoſitiones uſurpentur. Propterea caveant ſemper Tyrones Medici, ne *purgantia* tumultuarie nimis tunc praeſcribant, eaque praeſertim, quae, utpote validiora, ſolida nimium irritare valeant, bilioſumque ipſum humorem in concitatiores aeſtus cogere potius, quam evincere atque educere. *Epicratica* ideo magis convenit *purgatio*, una cum copioſis diluentibus potionibus, promota, quae paulatim quidem, ſed tutius optatam excretionem perficiat, ad quod etiam aliquando ſufficit laxantium clyſterum iteratus uſus. Nec deſunt noſtro hoc aevo plurimi Amygdalarum dulcium Olei nimium amatores, qui illud in hujuſcemodi circumſtantiis, tanquam tutius magiſque efficax remedium, praeſcribendum eſſe autumant: quod equidem perperam faciunt. Etenim, ſi de laxandis ſolummodo Inteſtinorum fibris, ob nimios bilis aeſtus irritatis, agendum ſit, ipſorum conſilium utique laudaverim, & praecipue ſi premitus frequentes adſint: dummodo tamen attemperantes copioſae dictae potiones non omittantur. Aſt ſi copia ſit bilis aeſtuantis, eaque craſſior & tenax, ita ut biliariis ductibus, Inteſtinorumque plicis ſtricte nimis adhaereat: tunc inutile eſt Oleum Amygdalarum dulcium, & potius nocuum, cum illud nec aeſtuantem bilem compeſcere, nec eam provide educere, pro ut tunc opus eſt, queat; quin imo tunc oleum illud in Inteſtinorum anfractibus diutius ſubſiſtens, ob tenacioris bilis repagulum, acrem adeo induit conditionem, ut fibrarum ibidem ſtimulos augere potius, quam ſedare valeat. Tunc ideo Rhabarbarum omnem paginam adimplet, ſi paulatim & identidem uſurpetur in congrua doſi: quod maxime conveniet, ſi, facta bilis tenacioris *ſtaſi* in *excretoriis* ejuſdem ductibus, *Icterus* ille eveniat, de quo ſupra ſermo fuit. Inſuper, ſi tunc inanes vomendi conatus cum amaritie oris, atque flavo linguae colore, adſint, *emeticum* primo congruum praeſcribendum erit, cujus ope concuſſo Ventriculo, eademque ratione adnexis ipſi quibuslibet partibus, ad *Hepar* etiam impetus quo-

quo

quo modo propagatur, ut a biliariis ductibus recenſiti obices amoveantur. Attamen hoc caute admodum faciendum eſt, idque ſolum in robuſtioribus ſucciplenis Corporibus, quae praecipue Pectoris *Haemorrhagiis* obnoxia neutiquam ſint, neque *Icterus* a calculis procedat, qui ob validiores illas concuſſiones tumultuarie commoti, continentes partes irritare magis, magiſque poterunt. Quod ſi, poſt aſſumptum *emeticum* inanes vomendi conatus maximi excitentur, opportunum ſtatim eſt aquae tepentis copioſos hauſtus praeſcribere, quorum auxilio aut citius vomitus promovebitur, aut, ſedata *emetici* vi, pejora evitabimus *ſymptomata*. Poſthac vero, ſi in biliariis ductibus obſtructiones adhuc adſint, aperientes amarae conſuetae potiones, aut ſucci ejuſdem indolis praeſcribendi erunt; ad quod etiam conferent *chalybeata* remedia juxta indigentiam prudenter uſurpata, & *Gummi Ammoniacum*, aliaque ejuſdem claſſis. *Purgantia* vero congrua eo magis tunc in *Icterico* morbo convenient, cum, ob nimiam aeſtuantis bilis copiam, etiamſi bilioſae dejectiones quoquo modo habeantur, flavo tamen colore, ut diximus, univerſum extrinſecus Corpus nihilominus faedatur.

XCII. Caeterum quod attinet ad *intemperiem Hepatis calidam* a nobis ſupra conſideratam, hinc facile intelligere quiſque poteſt, quod non immerito ſtatuerint Veteres Medici, ſaepe *calidam* hujuſce Viſceris *intemperiem* cum *frigida* Ventriculi copulari, indeque innumera & varia ſuboriri *ſymptomata* illa, quae *affectionis hypocondriacae* propria ſpeciatim putantur. Si enim verum eſt (quod utique ab omnibus conceditur) bilem ipſam una cum *ſtomachalibus* ſuccis quoquo modo ciborum concoctioni & motui ad Inteſtina conferre, ſimulque *Chyli* diſſolutioni atque depurationi; Quotieſcunque nimia aderit bilis copia, eaque acri nimis vi pollebit, ciborum tranſitum ad Inteſtina praemature admodum ſollicitabit, ibidemque tunicas pari ratione corrugando, ſtricta plus aequo reddet *lacteorum* ductuum hoſtiola, ita ut minor *Chyli* pars tranſire per ea poterit. Ideo Corpus pari ratione minus nutrietur, ideoque cruda ſaepe alimenta ſub *Diarhaeae* ſpecie identidem copioſe dejicientur, quae veluti *inconcocta* ſeu mavis *indigeſta* putantes Antiqui, *frigidam* Ventriculi *intemperiem*, ac proinde ejuſdem deficientem admodum actionem, ob praeviam *Hepatis intemperiem calidam* non immerito accuſabant. Haec autem adamuſſim cum iis concordant, quae Clariſſimus Bianchi ſic indicavit (114) *Quod de Hepatis intemperie calida, indeque neceſſario faederata Ventriculi frigida pluribus in morbis vocitabat vetuſtas, nec obſoletum adhuc eſt a quorumdam ratiocinio, id facile cum politioris Medicinae ſermociniis conciliare poſſumus; perſpicientes ex bile naturaliter acriori varie chylificationem perverti poſſe, ut*

(114) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 3.

ut impar in hoc caſu functioni ſuae videatur ſtomachus, & cruditatibus auſcultans. Revera quo uſque in *Picrocolis* dictis Corporibus ejuſcemodi *Jecinoris calida intemperies* viget admodum, macies univerſa comitatur, cutis ſicca eſt & corrugata, nimioque undique fervet aeſtu, Ventriculi lanquor quidam adeſt, praecipue longe a cibo, ſoluta ſaepe evadit alvus cum bilioſis dejectionibus, utplurimum copioſis, atque irritantibus, aliaque caetera eveniunt, quae fuſius ſupra indicavimus. Merito ideo Galenus ipſe ſtatuit (115) quod, *calida intemperie circa Viſcus exiſtente, colliquationes fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipſius Hepatis, & evacuatur per Ventrem bilis craſſa, & abunde colorata, quemadmodum in peſtilentibus febribus contingit.* Haec omnia congruo ratiocinio perpenſa pravam univerſi Corporis nutritionem indicant, eamque ob incongruam *Chyli* minus ſubacti, minuſque in Inteſtinis remorati, atque acrioris bilis moleculis nimium referti conſtitutionem, quam a *frigida* Ventriculi *intemperie* eo, quo poterant, diſcurſu deducebant Antiqui. Quod ſi cum eorundem aſſerto, ſaniore utentes ratiocinio, conſentire ament Recentiores Tyrones maxime Medici, ab ipſorum tamen *curativa* methodo, quaeſo, diſſentiant. Siquidem illi, dum *frigidam* Ventriculi *intemperiem* agnoſcebant, contraria contrariis evinci debere ſemper opinantes, calidiora omnis generis aromatica remedia, pro refocillando, ut ipſi ajebant, augendoque ſtomachi deficiente calore, tumultuarie praeſcribebant; quae tantum abeſt, quod intento ſatisfacerent, ut morbum ipſum, ac proficiſcentia inde *ſymptomata* quaeque augerent, atque Aegroti potius in pejus ſemper ruerent: pro ut in praxi toties novimus, atque ratio ipſa ex dictis ſatis ſuperque evincit. Quamobrem diluentia quaeque & attemperantia maxime pro tutiore *curatione* praecipue laudavimus: ut ex antecedenti numero patet.

SECTIO

(115) *Galenus de compoſ. Pharmac. lib. 8. cap. 7.*

SECTIO SECUNDA

CAPUT QUINTUM

De Intemperie Hepatis Frigida.

XCIII. NUnc de *Frigida Hepatis Intemperie* diſſerendum eſt, ut aſſumpto noſtro faciamus ſatis. Lommium autem primum de *calida* loquentem adducam (116) ut inde *frigidae* notas aſſequamur. *Si id Viſcus impenſius calet, ut inedia inimiciſſima eſt, ita tamen cibi amittitur cupiditas, maximeque carnis: frequens etiam ac multa ſitis eſt: ipſe homo toto corpore calet, praecipue palmis, & plantis pedum: quae partes etiam, ſi ad calorem ſiccitas acceſſit, inareſcunt: ſi humiditas, madent. Fere autem contraria his contingunt, ſi Jecur frigidiore, quod raro fit, intemperie labefactatur.... frigidi humoris notae ſunt, alvus nec frequens, nec multa ſine foetore, ſine multa coloratione, rara febris tertiana: Corpus quidvis potius quam macrum, caeteraque alia, quae contraria eſſe ſuperioribus ſignis poſſunt.* Hiſce addenda ſunt alia ſigna a Foreſto propoſita (117) *Tactus* nempe *Corporis frigidus, & Corporis totius albedo, & oedemata, & pituitoſae febres, at tumida ſaepe facies, praeſertim oculi & crura, urinae tenues, albae: excrementa per alvum cruda, valde liquida & aquoſa, & non olida, ventriſque profluvium certis temporibus.* Porro talia, aliaque hujuſcemodi deficiente bilis ſecretione, eaque congrua vi pollente, ſuboriri merito poſſe, nemo inficiabitur. *Naturalis enim bilis elementa* (118) docet praeclariſſimus Mazzinus) *cum non parum ſulphuris & elateris obtineant, chylum & ſanguinem motu, & elatere agitant, qua in agitatione fit particularum quarumcunque attritio, diſſolutio, & mixtio.* Ideo, ſi bilioſus iſte humor in Corpore nimium deficiat, particulae quaelibet ſanguinis parum attritae, diſſolutae, minuſque inter ſe mixtae evadent: multoque magis, ſi praeter imminutam copiam, illa, quae ſecernitur bilis viſcoſa fit, &c, ut diximus, vappida, caeteriſque conſuetis actionibus parum idonea; pro ut ego obſervare toties potui in Cadaveribus quorumdam, qui & *cachecticum* diu, ob hanc rationem habitum praetulerant, raro ſitiebant, nulliſque etiam validioribus cauſis in iram ciebantur: in quibus reperta *cyſtica* bilis & pauca admodum erat, & aquoſa craſſa, & crocei conſueti coloris propemodum expers.

(116) *Lommius Obſerv. lib. 2. de Vitiis Jecinoris &c.*
(117) *Foreſtus lib. 19. obſerv. 2. tom. 2.*
(118) *Mazzinus Inſtit. Med. part. 1. diſſert. 2.*

expers. Quamobrem in ejuſcemodi *hepaticis* Hominibus peſſima evadit totius ſanguinis diatheſis, praedictiſque ſuſcitandis phenomenis apta: utpote quae aqueis craſſioribus partibus ad motum maxime ineptis conſtabit. Hinc facile in Viſceribus tractu temporis *ſtaſes* maximae ubicunque contingent, quae proportionatam praetereuntibus fluidis reſiſtentiam parando, in cauſa erunt, ut ineptus caeteroquin ad motum ſanguis in extremis partibus ſubſiſtat, in quibus, pro majore a Corde diſtantia, minor ſemper ipſius velocitas fit. Secedente ideo ibidem a ſanguine aquoſa ſubſtantia, eaque inter cutis interſtitia accumulata, *oedematoſi* tumores fient, & color albicans: humidae nimis evadent fauces, ob exuberantem lymphae, licet incongruae copiam, & ſitis aberit: Eademque lympha copioſius aliquando ad inteſtinales glandulas devecta, crudae copioſaeque dejectiones interdum apparebunt; unde & reliquorum *ſymptomatum* congrua ratio emanat.

XCIV. Duplicem vero ob cauſam congrua bilis ſecretio in *Hepate* deficit, eaque conſuetam neceſſariam amittit conditionem: nempe, aut ob pravam totius ſanguineae maſſae diatheſim, aut ob peculiare *Hepatis* vitium, aut ob utramque rationem: quod non raro evenit. Tota ſanguinis maſſa biliosae ſecretioni minus idonea evadit, ſi ejuſdem copia nimis parca ſit, aquoſiſque particulis praeter modum ſcateat. Porro illi praeſertim, qui paludoſa incolunt loca, & paluſtres limoſas aquas ſupra modum bibunt, Oleribuſque aut immaturis fructibus immoderate veſcuntur, facilius praedicta ſibi aſciſcunt incommoda. Ipſa quoque illis eveniunt, qui nimias quaslibet ſanguinis effuſiones paſſi fuerint: ut experientia ipſa paſſim docet. Haec omnia ſatis confirmat ſpecialis obſervatio nuper a me habita in Illuſtriſs. Domino March. Jo: Baptiſta Rodeſchino. Hic prope ſenium fere cōſtitutus poſt copioſam *diarrhoeam*, immoderatum ſanguinis fluxum per Alvum paſſus fuit, qui pro *hepatico* haberi jure meritoque poterat: unde frequenti *lypothimia* correptus ad agonem fere pervenerat. Poſthac tamen aliquantulum convaluit, atque valetudinariam ad annum vitam miſere traduxit. Ipſi enim modo Alvus adſtricta nimis erat, modo aqueis, aut coloris cinerei, aut ſubvirentis dejectionibus abſque dolore & premitu plus aequo fluebat. Viribus quoque deſtitutus maxime deinceps fuit. Nauſeam utplurimum patiebatur, atque *lymphaticos* ſubvirentes ichores ſalſos potius quam amaros quandoque evomebat. Fuſco ſemper pallore perfuſus fuit. *Oedematoſus* perſaepe tumor ſub oculis eminebat, ſicuti & in cruribus. Abdomen quoque univerſum diu obtumuit, *Aſcytem Hydropem* aemulando: atque prope mortem penitus evanuit, ad maciem potius redacto Corpore. Alvi excrementa flavum nunquam conſuetum colorem obtulerunt; aſt plerumque albicantia erant, cinerea, aut ſubvirentia. Febri aliquando, ſed raro, tunc detentus fuit, eaque

ſub

ſub veſperas invaleſcente, atque adeo levi utplurimum, ut ex pulſu vix ſatis perciperetur. Attamen pulſus naturalem omnino ſtatum nunquam ſervavit, plerumque parvus, mollis, atque aliquantulum frequens. A pleriſque *hypochondriacus* tantum credebatur; unde, pro exhilarando animo frequentem motum in Rheda, atque ruſticationes ipſi praecipiebant, quibus tamen impotens poſtea reperiebatur. Quandoque enim, cum curru veheretur, *lypothimia* correptus fuit; dum haud ſatis unquam viribus praeſtabat. In fine morbi magnam copiam virentis ichoris per plures dies vomendo eduxit: atque *aphonus* redditus, per *reſolutionem*, ut ajunt, abſque ullis gravibus *ſymptomatibus*, placide aeternum quievit. Haec autem omnia a peculiari *Hepatis* vitio, poſt *hepaticum* priorem fluxum ſuborto, pendere ſemper exiſtimavi, licet affectum ſpecialiter indicare haud ſatis poſſem: cum nullus unquam in ea parte tumor adfuiſſet, aut tenſio, aut dolor, exulante ſemper ſicca conſueta tuſſi. Tuto tamen aſſerere fas erat, congruam bilis naturalis ſecretionem in *Hepate* ſemper defuiſſe. Dum Cadaver ſecabamus gracile admodum *Hepar* invenimus, extrinſecus undique corrugatum, & ſubobſcurum, nulloque tumore affectum, atque potius plus aequo laxum. Ventriculi fundo, ubi *Pancreati* ſubſternitur, *cyſticus* adhaerebat tumor, in quo plus quam libra ſubvirentis ichoris continebatur, non abſimilis illi, quem ante mortem evomuerat, atque illi etiam, qui in *Cyſti fellea* occludebatur. Unde aperte patebat ſubvirentem hunc ſuccum a *biliari* communi ductu ad *cyſticum* illum tumorem ſub ventriculo repertum tranſmigraſſe per occultos meatus, circa inteſtinum duodenum factos, per quos fortaſſe copioſus ſanguinis ab *Hepate* ſecedentis fluxus primum foras prodierat. Ventriculi etiam cavitas ſubviridi eodem ichore maxime ſcatebat. Reliqua vero imi ventris viſcera gracilia plus aequo erant, caeterumque a naturali ſtatu parum receſſerant.

XCV. Vitioſa *Hepatis* conſtitutio, quae congruae in ipſo bilis ſecretioni obſtat, illa eſt, quae aut a minore ejuſdem mole, aut ab ipſius obſtructione univerſali, vel pene univerſali pendet. Aliquando enim, ſive ob praegreſſas ardentes febres, ſive ob antecedentem *intemperiem Jecoris calidam*, atque genitam proinde acriorem aeſtuantem bilem, fibras undique corrugantem, ac, fere dixerim, ejuſdem Viſceris *parenchyma* torrefacientem: pars iſta contabeſcit ita, ut ejuſdem moles ad ſummum imminuatur; unde etiam patet, quomodo ab *intemperie Hepatis calida* ſuboriri *frigida* poſtea poſſit. Sic porro exſiccatum *Jecinoris* Viſcus, aequa ratione minoris diametri vaſa quaeque habet, eademque proportione ſingulis Cordis contractionibus minor aequo ſanguinis copia illud pervadit, atque proinde bilis ſecretio decreſcit, atque excretio, quae tunc eo parcior & difficilior eſt, cum biliarii etiam tubuli, juxta imminutam totius viſceris

molem,

molem, pari pacto ſtrictiores redduntur. Quae nam vere ſit bilis copia, quae in Homine mediocris magnitudinis, *Hepate* bene, quo ad omnia, ſe habente, ſecerni quotidie debeat, haud certe ſtatuere quiſpiam poteſt: maxime quia ſecretio iſta non tantum temperamentorum varias rationes, verum etiam diverſum victus regimen, aequa proportione ſubſequi debet, atque praeſertim Anni temporum ſpeciales conſtitutiones; cum aeſtivo tempore, eoque magis ſervido, *bilis* maxime praedominium, tum quo ad qualitatem, tum quo ad copiam a Sanioribus omnibus concedatur. Iteratis pluries uti opus eſſet experimentis, iiſque in viventibus factis, ut veritatem in hac re aſſequeremur: quod certe impoſſibile videtur. Laudanda ideo merito eſt ſolertia diligentiſſimi Tacconi ſupra toties commendati, qui poſteaquam *abſceſſum* in *Hepatis Gibba* parte verſus *Cavam* uſque ad *Cyſtis felleae* baſim propagatum, ſcalpello diligentiſſime ſecuerat, atque, poſt eductum magna ex parte pus, bilem quoque emanare obſervaverat, *opportunum duxit periclitari quantum bilis una die ab eodem efflueret* vulnere; (119) id quod ſi in hiſce caſibus ſedulo facerent Medici omnes, de obtinenda aliquando veritate haud omnino deſperandum nobis foret. In hunc ideo finem, ſpleniis, repagulis, & faſciis, *quae vulneris orificio apponi debebant*, lance ponderatis, *tranſactis deinde horis* 24., *explorato iterum pondere*, inveniebat *priore detracto*, *bilem*, *quam linamenta attraxerant*, *& vulnus emiſerat*, *unciarum trium & drachmarum ſex ponderi reſpondere*. *Deinceps vero ſequenti artificio uſus fuit*. *Plumbeum vas infundibuliformis figurae roſtro inſtructum*, *ideſt tubulo recurvo*, *altera ſui extremitate in ſupremam ejuſdem vaſis oram infixo & hiante*; *altera in fruſtulum veſicae bubulae marſupii inſtar eidem alligatum appenſumque inſerto*, *ita* apponi *ad os vulneris* juſſit, *ut bilis intra ipſum paulatim fluentis quatuor fere uncias ſpatio horarum viginti quatuor* colligeret. Hujuſcemodi artificium adamuſſim hic referre ſatius duxi, ut ſolertiſſimi hujuſce Profeſſoris diligentia magis pateret, atque cuique adderet cupiditatem & modum talia pro optata problematis hujuſce ſolutione experiendi. Quamplures enim inde erui poſſent cognitiones, quibus bilis per Alvum prodeuntis copiam quoquo modo ponderando, eadem nobis ratione innoteſceret, num vere *Hepar* ſuo munere fungeretur; id quod ad *Jecinoroſos* Aegrotos hoſce dignoſcendos maxime intereſt: ut ex dictis patet. Alia omitto commoda quae evenire inde poſſent: cum haec quilibet animalis oeconomiae ſatis peritus intelligat.

XCVI. Verum etiam ſi *Jecinoris* moles, ut innuimus, non imminuatur imo excreſcat ob morbum, congrua bilis ſecretio imminui poteſt, ejuſdemque diatheſis ita alterari, ut *frigida* ejuſdem recenſita *intemperies* ſuccedat. Aliquando enim tartarei humores, tenacioreſve lymphae minimis

(119) *Caiet. Tacconi Obſervat. de Hepatis affect.*

minimis venae *Portae* ramis, aut ejuſdem *lateralibus ſecretoriis*, aut *excretoriis* bilis ductibus, nec raro omnibus ſimul adhaerent, ibidemque adeo concreſcunt, ut innumeras parvas *ſtaſes* efficiant, propter quas evenit, quod ſanguis tardo admodum motu per *Hepatis parenchyma* excurrat, nec bilioſas moleculas ſatis ibidem deponat, neque ad Inteſtinum duodenum, pro ſancitis oeconomiae animalis legibus, ſufficienter protrudat. Omni itaque hinc jure cum Clariſſimo Gorter ſtatuere poſſumus (120) *Hepar* ſic etiam ob internam cauſam refrigerari. Etenim, *ſi deteximus in nobis viventibus caloris naturalis cauſam, clare patebit quoque, quam ob rem ſpecialis in noſtro corpore pars refrigeretur. Caloris cauſam locavimus in attritu partium ſolidarum ad ſe invicem concitato a motu vitali. Si ergo pars, ut Hepar refrigeretur nimis, arguit in parte tali debiliorem fieri attritum, vel quod* ipſa pars ſit facta laxior, *vel minus mota actione vitali &c.* Profecto recenſitae in *Hepate ſtaſes* (a quibus ipſum obſtrui ſaepe demonſtravimus) & motum ibidem vitalem, & ſolidarum partium attritum praepedire ſummopere poterunt. *Ita bilis parcior* (ſubdit idem Auctor) (121) *& minus praeparata per tale Hepar ſecernitur, ſed iners, chylificationi inepta; unde non raro hi homines dyſpepſia & anorexia laborant, & multa cruda colligunt in primis viis. Alimenta ingeſta, defectu bilis cruda relicta, difficilius intrant oſcula lacteorum, ſed majore copia per Alvum deponuntur cruda: ita poteſt concipi Hepar, ob refrigerationem, minus attrahere Chylum, quoniam videmus per Alvum deponi.* Ab optimo hujuſce Doctiſſimi Auctoris ratiocinio praeterea patet, quomodo, ob *Intemperiem Hepatis frigidam*, aliquando & *ventriculum* refrigerari putandum ſit, ob defectum congruae alimentorum concoctionis, uti ſupra a *Jecinoris intemperie calida* evenire animadvertimus. Nihil enim propemodum obſtat, quod, ſi nimia bilis copia, ejuſdemque acrior diatheſis praemature alimenta a Ventriculo, & chylum ab Inteſtinis detrahit, anteaquam nempe illa rite concoquantur, iſte vero lacteas venas ſubeat: modica quoque ejuſdem copia, & iners nimium qualitas, alimenta minus diſſoluta relinquet, atque ideo inepta, ut lacteorum oſtiola permeare ſatis congruoque modo valeant. Deficiente ideo bilis idoneae in Inteſtinis ſtimulo, diutius ibidem haerere minus ſubactus chylus debebit, ac proinde plus aequo accumulatus, vi ponderis, copioſe poſtea cum excrementis per Alvum educetur, atque hinc identidem non concoctorum humorum *diarrhoeae* accident, in hiſce circumſtantiis non raro familiares, atque admodum moleſtae.

XCVII. Pro horum omnium confirmatione non incongruum hic erit ad literam adducere accuratiſſimas ſuper hac re animadverſiones praelaudati Doctiſſimi Bianchi. (122)

(120) *Gorter de minuta perſpirat. cap.* 12. *n.* 26.
(121) *Idem de inſenſib. perſpir. Com. in Aphor.* 304.

(122) *Varii a manca bilioſi laticis percolatione in Inteſtinum enaſci poſſunt in primis viis, & ex his in ſanguine affectus. Chylus a bilis verrentis penuria in competentem occaſionem non poſitus induendi indolem roris puriſſimi, & juſtae alchoolizationis ſublimitatem; crudus ſic remanens, caſeoſus, lentus, non tantum flatus in inteſtinis procreat, tenſiones putrilagines, inappetentias, vermes; ſed in meſenterio, aliiſque viis ſuis turpiter implicatus, infarctus contumaciſſimos; in ſanguine intromiſſus, faeculentias, & craſſamenta, indeque febres lentas, macies; in viſceribus omnibus, & habitu corporis, chronicas omnis generis congeſtiones, putreſque cachochilias. Sic facto vitiorum circulo omnes hydropis ſpecies ab hoc imminutae ſecretionis hepaticae ſtatu emanare paulatim poſſunt; quotieſcunque ſcilicet, poſt varias humorum diatheſes ab eodem inductas, aquoſae ſubſtantiae ſanguinis ab aliarum implicatione ſolutae, audeant in univerſo Corpore, vel in parte aliqua, veteribus a viis deviare, novas cudere, ac in occurſantibus capacitatibus recolligi*. Si autem verum eſt, quod qualis eſt ſanguinis conſtitutio (non neglecta ratione ipſius impetus, quo minimos quoſque tubulos ſubit) talis eſt totius corporis, & faciei maxime color; in hiſce circumſtantiis innuendum merito erit cum accuratiſſimo Jacotio (123) quod *Hepatis vitio interdum univerſum Corpus herbis albicanti colore infectis ſimile videtur: interdum plumbeum, aut etiam magis referre colorem: non nunquam etiam alias quaſdam ineffabiles colorum proprietates, quae Jecore ſuo munere non probe fungente ſine tumoribus praeter naturam accidere ſolent. Sic & propter Lienis vitia ejuſcemodi colores fieri ſolent, multo tamen nigriores, quam qui ab Hepate proveniunt. Lien* enim ad hoc ſpecialiter fabrefactus eſſe a Sanioribus Medicis creditur, ut ſanguinem idoneum magis reddat, ipſumque *Hepati* per truncum Venae *Portae* ſubminiſtret, ut ab ipſo bilis ibidem ſecernatur. Quamobrem, ſi ob *morboſas* in *Liene* genitas *ſtaſes*, ſanguis inde ad *Hepar* faeculentus, pravaque quavis conditione infectus tranſportabitur; peſſimae etiam qualitatis bilis emerget, atque univerſa humorum maſſa pari ratione admodum inficietur; unde duplicem hanc ob cauſam atri magis, teterrimique colores tunc cutim faedabunt. Sic vice verſa, congrua deficiente in *Hepate* bilis ſeparatione, impuroque ex dictis remanente ſanguine, eoque *Lienem* tardo nimis motu ſubeunte, in hoc etiam viſcere, ob *Jecur* male affectum, *ſtaſes* evenient, variaque vitia, quae poſtea viciſſim, aliunde laborans *Jecur*, eo pejus afficient. Mirum itaque minime erit, quod *nil* (124) *in Cadaverum extiſpiciis familiarius veniat, quam utraſque partes aequali infarctus culpa peccantes animadvertere: illaque, inter duo haec viſcera, in ſtatu ſano, & morboſo, conſenſus, & connubia explicata,*

(122) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part. 2. cap. 7. n. 2.*
(123) *Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib. 4. Sect. 2. n. 14.*
(124) *Bianchi Hiſtor. Hep. part. 2. cap. 5. n. 14.*

plicata, non munialia, & ſympatica, ut apud Antiquos, ſed vere mechanica, & in vaſorum habitudine conſtituta eſſe.

XCVIII. Quod ex male affecto *Liene*, aequa proportione, eo *reſpective* pejor bilis in *Hepate* ſecerni debeat, quae, ni congrua ratione excernatur, univerſam ſanguinis maſſam inficiat, teterrimoſque colores cutis afferat, *Hepar* ipſum pariformiter afficiendo: Id ex hiſce, quae de uſu *Lienis* paucis innuit Celeberrimus Bellinus, aperte deducitur. *In Liene certum eſt* (ait ipſe) (125) *Diſponi ſanguinem ad ſecretionem bilis, cum ſanguis ejus in Portam derivetur, & Animalia ſplenem exſecta ſalaciora ſint, voraciora, magis mingant &c. Argumenta certiſſima, ex ſecto Liene aliquid ſupereſſe in ſanguine, quod ipſum acriorem reddat.* Tamque propria eſt *Hepatis Lienisque* affectuum, ob allatas rationes, prava totius Corporis faedatio, praecipue in facie, ut merito ſic ſtatuat (126) Lommius. *Nihil aeque ſignificare Lienis, aut Jecinoris vitia, atque color Hominis poteſt, adeo ut ex eo quidem ſolo, non exploratis tactu viſceribus, morbum deprehendant.* Quod ſi ex Bellino, favente etiam experientia, ut alii monent, ſtatuendum ſit, in Animalibus *Liene* carentibus ſanguinem acriorem reddi; idem illis quoque evenire concedendum erit, qui adeo tumidum, ſeu mavis *obſtructum Lienem* habent, ut ſanguinem congruae bilis ſeparationi diſponere neutiquam valeat, quin imo faeculentum impurumque magis *Hepati* ſanguinem ſuppeditet, juxta Humorum in *Liene* latitantium corruptorumque pravas conditiones. Hujuſcemodi ſanguinis *acredinem Lienis* vitio occurrentem confirmant (praeter pravum totius Corporis ambitus colorem cum ſordidis ſaepe puſtulis, aut contumaci malo *Herpete*) gingivarum tumor, exulceratio, & dentium vacillatio, oris foetor, labiorumque peſſima ulcera, aliaque ejuſmodi quamplurima *Lienoſis* hiſce familiaria: quae utique conformia maxime ſunt obſervationibus acuratiſſimi Lommii. *Interdum morbi materia* (in propoſitum noſtrum optime ipſe animadvertit) (127) *ita corrumpitur, malignaque fit, ut totum quoque impetat Corpus, idque vel Ictero vel malo habitu turpe reddat. Sub eo malo habitu os male olet, gingivae exeduntur, & a dentibus diſcedunt.* Acris admodum, laborante maxime *Liene*, ſic redditus ſanguis, quaquaverſum impetum faciens, non modo ulcuſcula in laxioribus partibus procreat, verum & vaſa ipſa exedit, ut ſanguis aliquando effluat, modo per nares, modo per Uterum & quidem extra conſuetam periodum, modo per os, atque plerumque per *haemorrhoidales* venas: quod quidem utplurimum fauſto omine, niſi copia excedat, evenire comperitur. Etenim, *ſi neque ſanguis uſpiam erumpit* (obſervavit idem Lommius) (128) *neque os foetet, ulcera in Tibiis ſiunt, quae aut*

omnino

(125) *Laur. Bellinus Tract. de Febrib.*
(126) *Lommius Obſerv. lib. 2. de Lienis tumore.*
(127) *Lommii Obſerv. ibid.* (128) *Idem ibid.*

omnino non ſaneſcunt, *aut aegerrime cicatrice teguntur*. Porro in *Lienoſis* hiſce, dum alio modo malignus ille ichor diſſipari nequit, utilius admodum eſt quod in Tibiis ulcera illa producat, quam quod internas nobiliores partes exedat, aut graviter labefactare tentet. Revera hujuſcemodi Homines, quo uſque ulcera illa ſordida in Tibiis geſtant, eo diutius vivunt: illiſque praemature ſanatis lethalibus ſtatim morbis obnoxii redduntur, propter quos cito pereunt. Quamobrem ſedulo caveant Chirurgi, ne ulcera illa ſolicite nimis occludant, anteaquam neque congrua prius a Medicis praeſcribantur remedia, quae detergendo *Lieni* ſufficiant, aut Natura ipſa id ſponte ſua perficiat. Satius enim eſt Aegrotum cum ſordidis illis ulceribus (quae *cauterii* naturalis, ſive mavis *fonticuli* vices optime gerunt) diu ſuperſtitem, licet miſere, eſſe; quam ipſum ab illa foeda moleſtia liberare, ut Veſpillonibus citius tradatur. Non raro invenies Medicos, congruo ratiocinio carentes, qui (dum Aegrotos hoſce ſordidis puſtulis illis, aut analogis maculis foedatos, cum gingivarum ulceratione, vacillantibus dentibus, ulceratiſque Tibiis, ſibi commiſſos habent) de *Lienis* vitio nil pene cogitantes, illos *ſcorbuto* maligno laborare dicunt, atque *antiſcorbutica* omnis generis praeſcribunt, quae eatenus evincendo penitus morbo ſatis eſſe neutiquam poſſunt, quatenus primariam ipſius cauſam radicitus deſtruere nequeunt: ut praxis confirmat.

IC. Non abſimili incongruo ratiocinio, ſeu melius maleſano judicio inhaerent Chirurgi illi, qui externum ulcus, aut quempiam alium morbum in extimis Corporis quibuſvis partibus obſtinate perdurantem curantes: ſi forte gingivae intumeſcant, aut ulcerentur, aut extrinſecus Corpus puſtulis lividiſve maculis detineatur: Aegrotum ſibi commiſſum *ſcorbuto* affici ſtatim indicant, ita ut, niſi Medici ope ſomniatum ab ipſis *ſcorbuticum* Virus illud prius edometur, atque penitus deſtruatur, Chirurgica externa praeſidia inutilia penitus fore depraedicant, eamque ſic ſaepe Medico culpam tribuunt, quae ipſis potiore jure debetur. Haud enim animadvertunt, quod ideo ulcuſcula illa in ore, aliaque praedicta extrinſecus eveniunt, quia univerſa ſanguinis maſſa acribus praeter modum partibus ſcatet, quae modo in una, modo in altera parte conſiſtentes fibras exedunt. Ideo vero ſanguis *acredinem* ejuſmodi induit, quia ſecedentes ab extrinſeco morbo (cui medentur Chirurgi) ichoroſi imo purulenti humores, nec congruum ad extra ſibi aditum invenientes, per laterales exeſos, aut quoquo modo hiantes tubulos *lymphaticos* ſanguineoſve, in aream, ut dicimus, *circulationis* reducuntur, ſicque paulatim univerſam humorum maſſam labe peſſima illa inficiunt, quam ipſi *ſcorbuticum* eſſe virus falſo judicant. Omnem idcirco adhibeant operam Chirurgi, ut ulcera ſibi commiſſa a ſordibus repurgent, caventes ſedulo, ne citius quam oporteat exſiccantibus utantur, quae

ulcus

ulcus illud praemature nimis occludant, anteaquam latens ibidem ſanioſa materies omnimode expurgetur, atque foras educatur. Diligenter etiam perſcrutari debent, num latentes aliqui intrinſecus pullulent ſinus, per quos aut materia illa non libere educatur, aut ſecus abſorbeatur. Etenim ſinus illos aperire ſtatim expedit, ne omnimodam ſic ſanationem impediant, caeteriſque humoribus pravam labem ſuppeditent. Siquidem aliud eſt quod pravi quilibet extrinſecus ſuboriantur morbi, quia praevia adfuerit mala humorum Diatheſis, quae in externa illa parte magis, quam alibi vim ſuam exerit; aliud eſt quod inficientur quomodolibet humores, quia ab externo aliquo morbo ipſi labem contrahunt. In primo enim caſu ad Medicum ſpectat humores corrigere, ut facilius citiuſque Chirurgus morbo ſuo opituletur: In ſecundo vero Chirurgo praecipua debetur opera, ut externum morbum caute & ſedulo curet, ne labes univerſa ſanguinis augeatur, majuſque adſtanti Medico negotium faceſcat. Quamobrem, dum Chirurgos hoſce condemno, qui in enarratis circumſtantiis labem illam (quam *ſcorbuticam* appellant) a tota maſsa, tanquam a praecipua cauſa externi cujuſvis morbi ſibi commiſſi perperam derivantes, primariam curationem Medico competere praeſertim autumant; non illius utique ſententiae ſum, ut Medicum auxilium ſpernere omnino eos debere putem. Quacunque enim ratione & methodo munere ſuo optime fungantur Chirurgi dum externis curandis morbis ſedulo incumbunt, impoſſibile utique eſt, quod pus, aut pravi illi ichores ita expurgentur, ut aliqua eorum pars in ſanguinem identidem refluens, ipſum paulatim non inficiat, multiplicataque in dies labe, ſanguis eo magis magiſque inquinetur, atque ad affectam externam partem indeſinenter tendens, notumque pravum Virus ſuppeditans, eo difficilioris curationis Chirurgicum reddat morbum; quo modo mutua quaedam aderit cauſa, cujus tamen genuinum principium ab externo ulcere petendum erit, ejuſque medela, non neglecto Medico, ad Chirurgicā Saniorem operam ſpecialiter ſpectat. Ego itaque, dum, petente Chirurgo, ad hujuſcemodi Aegrotos accerſitus ſum, externi primo morbi indolem, & locum, attente perſcrutari ſoleo, atque ſedulo ſciſcitari, num magna ichoris copia ibidem generetur, num ſatis expurgetur, num ante externum morbum prava in ſanguine labes delituerit, aut ulcus illud ob vulnus, aliamve quamvis extrinſecam cauſam, vel internam *methaſtaſim* ſuccreverit: quibus rite perpenſis patet, quae potior curatio cenſenda ſit, mea nempe, aut Chirurgi. Quomodocunque autem res tunc procedat, Vulnerarias attemperanteſque ſimul potiones ex depurantibus Herbis parari jubeo, quas ſaepe bibere Aegroti debent. Caeterum praecipuum auxilium a Balſamicis internis, maximeque a Terebintho mutuari ſoleo, eo ductus conſilio, ut ichores illos in ſanguine

guine latitantes attemperem, ſimulque ita diſponam, ut, ni per apertum extrinſecus ulcus, ſaltem per conſueta emunctoria eliminentur, aliis non neglectis remediis, quae occurrentibus indentidem ſymptomatibus proſpiciant. Non hinc tamen reprobare unquam auſerim *antiſcorbuticorum* uſum (inter quae Naſturtium aquaticum praecipue, Coeleariam, & Raphanum ruſticanum, aliaque hujuſcemodi utiliora noſco) dummodo caute & cum moderamine congruo uſurpentur, juxta affectorum Corporum peculiares temperies, atque ſpecialem labem ab affecta extrinſecus parte ſanguini communicatam. Non ideo tamen ea tunc praeſcribenda eſse arbitror, quia vere *ſcorbuto* Aegroti laborent; ſed quia remedia iſta propriis pollent ſalibus, quibus, ſicuti *ſcorbuticum* Virus mirifice deſtruitur, ita labes praedicta corrigi tractu temporis poteſt. Ego vero in hujuſcemodi circumſtantiis *antiſcorbutica* illa cum ſero lactis diſtillari jubeo, ut ſaepe bibant Aegroti. Sic enim eo facilius ſanguini ea immiſceri puto, potius quam ſi ſucci illarum Herbarum uſurpentur, qui aliquando ſtomachum gravant, cruditates accumulando, nec tam facile lactea oſtiola ingrediuntur, ut ſanguinis vias ſubeant.

C. Eodem pene modo, quo reaſſumptis in ſanguinem putridis ichoribus ab externo ulcere aut alio quovis morbo, praviſque quomodolibet humoribus a *Liene* derivatis, univerſam humorum maſsam infici, probavimus, indeque internos plurimos morbos ſuboriri, aut cutim extrinſecus maculis puſtuliſve foedari; idem & de aliis Viſceribus labefactatis dicendum eſt, a quibus ſecedentes noxiae particulae, quae foras cito eliminari nequeant, infenſam ſanguini toti analogam qualitatem largiuntur, propter quam partes aliae variis modis, & cutis ipſa inficiuntur. Sic a Pulmonum ulceribus, haud rite per *exſcreatum* aut per alias vias expurgatis, reaſsumptis in ſanguinem purulentis humoribus, puſtulae ſanioſae in cute ſuccreſcunt cum pruritu, & ſtimulis variis, quibus, haud ſatis perſpecta eorum primaria cauſa, ſpecificis opitulari remediis abſque levamine ullo Medici quidam ſatagunt, atque ſaepe, retrocedentibus ſic praemature puſtularum ichoribus, eo magis magiſque ſanguinem foedant, criticoſque naturae motus praepediunt: id quod multiplici ratione periculoſum maxime ab omnibus cenſetur. Hujuſcemodi ferme ſunt pravae illae cutis affectiones (praeter *Icteri* varias ſpecies a ſola bilis deficiente congrua ſecretione, ejuſdemque reaſsumptione in ſanguinem derivantes, de quibus ſatis ſupra egimus) quae putridis in *Hepate* reſtitantibus diutius humoribus, iiſque ſanguini, aut lymphae ſuppeditatis, evenire paſſim comperiuntur. Vides hinc ſaepe in *Jecinoroſis*, ſic dictis merito, hominibus faciem praecipue rubicundis puſtulis conſpurcatam, quae plerumque ſuppurantes, eam ſum-

ſummopere foedant, aut ipſa praeter modum undique rubore perfunditur, eoque utplurimum ad ſubcroceum colorem vergente, a quo Saniores Medici, abſque aliis etiam ſignis, *Hepar* ipſum laborare cognoſcunt, atque aſſerunt. Ab hoc unico ſaepe principio, eandem ob cauſam atque rationem, pullulant morbi illi faciei ab expertiſſimo Foreſto (129) deſcripti, quos *Varos* cum Latinis, *Jonthos* autem cum Graecis nominat, ad quos reducitur *Morphea rubea* a Valeſco ibidem in Scholio diligentiſſime indicata. Morbi iſti *fiunt autem plerumque* (adnotante Foreſto) *ex craſſo humore, cum tenui quadam ſanie*, quam ab internis male affectis partibus ſaepe, frequentiuſque ab *Hepate* ſpecialiter labefactato derivari poſſe, ratio ipſa & praxis docet: id quod tamen in *calida* ejuſdem *intemperie* potius quam in *frigida*, ob quamplurimas rationes, contingere facilius animadvertitur. Quamobrem inter externas & familiares iſtorum morborum cauſas merito Crapulam, Vinique abuſum maxime Auctor iſte ibidem ſic recenſet. *Hoc tamen inter cauſas addendum, quod in his noſtris regionibus plerique crapula cereviſiaria utentes, aut Vino continue ſe implentes, ejuſcemodi puſtulis ſaepe afficiuntur, ut omnis generis lapides ſupra naſum & faciem, ut Topazios, Saphiros, Turcheſios cernere te putes*. Si verum eſt, ut ipſe teſtatur, quod illarum puſtularum materies immediata ſit *ſanguinis acuti, vel cholerae multitudo, vel ipſius ſalſi phlegmatis*; illico patet, cur a *Jecinore* derivari ſaepe omni jure debeat, atque praeſertim in Hominibus illis, qui aromaticis calidioribus eduliis ſaepiſſime veſcuntur, atque meracioribus Vinis magis quam par eſt indulgent. Haec enim ſanguinem nimis efferveſcere cogunt, tartareaſque plurimas ipſi particulas largiuntur, propter quod *Hepar* in primis afficitur, & ſaepe graviter. Porro Viſcus hoc, quod grandioribus vaſis praeditum eſt, eorumq; majore numero maximam ſanguinis copiam ſingulis Cordis contractionibus recipit, qui dum, ob recenſitas ſupra cauſas, plus aequo ſubaeſtuat, praecipueque ob commixtionem ſecernendae ibidem bilis acrioris, minores diſtendit adeo tubulos, ut diſrumpantur, aut quacunque alia ratione *ſtaſes* illae fiant, a quibus poſtea ichores putridi in ſanguinem reaſſumuntur, & dicta mala procreant. Praeterea ejuſcemodi producendis in *Hepate ſtaſibus* tartareae meraciorum Vinorum moleculae conducunt maxime, dum variis modis ibidem concreſcunt, atque tenuiora dilacerant vaſa, aſpera ad id conferente earundem ſuperficie, angulis plurimis referta, quibus, accedente momento ſanguinis illuc celerius irruentis, in vaſorum parietes vehementer impingunt. Non hinc tamen me putare quiſpiam arbitretur, *ab Hepate* tantum, eo quo diximus modo, & non aliunde recenſitas illas faciei puſtulas derivari debere, cum ob alias cauſas aliquando evenire eas

(129) *Foreſtus Obſerv. 7. tom. 4. lib. 5.*

non ignorem: ſaepius tamen ob *Hepatis* praedictas affectiones. In hujuſcemodi ideo circumſtantiis faciei fruſtra apponentur ſaniora quaelibet remedia ad puſtulas illas maculaſve deſtruendas, niſi prius illa uſuveniant, quae univerſam ſanguinis labem deſtruant, atque *Jecur* praecipue a praeexiſtente mala diſpoſitione dicta liberent. Hinc attemperantia congrua, cum mitioribus detergentibus conveniunt in potu copioſe aſſumpta: cujuſmodi etiam erit ſerum lactis diſtillatum cum *antiſcorbuticis* Herbis, de quo in antecedente numero locuti fuimus. Huc etiam ſpectant Thermales nitratae & acidulae aquae, & Balnea. Nec ſpernendae erunt mitiores congruae purgationes, *Epicratice*, ut ajunt, maxime uſurpandae, ut genitae in *Hepate ſtaſes* deſtruantur, atque reſtitantes ibidem pravi humores per analogas vias educantur, ſicque, praedictis eodem tempore adhibitis auxiliis, univerſa ſanguinis maſſa paulatim corrigatur, ne amplius in extimis partibus putridam, aut quacunque ratione noxiam deponat materiem pro enarratis efficiendis puſtulis.

CI. Alia hic, praeter dicta, recenſenda ſunt mala, quae, *frigida Hepatis* manente *intemperie*, progigni facile obſervantur, praecipue cum bilis magis quam par eſt, craſſa, viſcoſa, & glutinoſa evadit, magiſque ad concretionem diſpoſita, utpote quae volatilioribus conſuetis partibus admodum caret, & iners ad motum redditur. Ejuſcemodi bilis lymphae tenacioris potius naturam refert, nec crocea eſt, imo fere albicans, ad virentem colorem aliquantulum vergens: ut ſaepe ex diſſectionibus Cadaverum didici, illorum praeſertim qui *phlegmaticae* naturae erant, difficile in iram proclives, atque in actionibus omnibus ſummopere tardi. In hiſce praeterea, deficiente in Inteſtinis congruo bilis ſtimulo, Alvus utplurimum adſtricta erat, atque ſeroſis multoties copioſis dejectionibus obnoxii fiebant; cujus ratio ex alias dictis deducitur. Talia obſervantur paſſim in *chloroſi*, quando ſcilicet, feriantibus menſtruis purgationibus, univerſa humorum maſſa labefactatur, atque pari ratione ſecedentes ab ipſa ſecundi, ut ajunt, humores caeteri parem contrahunt noxam. Idem evenit poſt copioſas quaſcunque ſanguinis effuſiones, tunc cum reſiduus ſanguis *lymphaticam* magna ex parte naturam praeſefert: praeter alias extrinſecas cauſas, quae ex dictis facile deducuntur. Caeterum, quotieſcunque, juxta univerſalem ſanguinis conſtitutionem, viſcidam *lymphaticamque*, ut diximus, indolem bilis aquirit, in interſtitiis *Hepatis* levi quacunque occaſione ſtagnat, atque concreſcit, & *ſtaſes* varias efficit; ad quas reducuntur *lymphatici* quilibet *Hepatis* tumores, quos *frigidos* dicimus. Si *lymphaticae ſtaſes* iſtae, quod ſaepe evenit, in extima *Jecinoris* ſuperficie conſiſtant, *hydatides* varias afferunt, quae ſi plurimae ſint, aut mole magnae, & quomodolibet diſrumpantur, contentum ichorem in Cavitatem Abdomi-

dominis eructant, quo in dies magis magiſque accumulato, *hydrops aſcites* ſubſequitur, quem a cauſa *frigida* ſic profectum nominant. Lenteſcente autem hinc inde in interſtitiis *Jecoris* ichoroſa illa bile variae ſpeciei *obſtructiones* emergunt, plus, minuſve periculoſae, pro diverſis eorundem characteribus. Duplicem merito *obſtructionum Jecoris* claſſem adnotat praelaudatus Bianchi (130) quorum alteram leviorem dicit, alteram graviorem. Prima efficitur *a ſucco in ſubſtantiae jecorariae interſtitiis inſpiſſato, ſed ea tamen fluiditatis quantitate adhuc praedito, quae ſufficere aliquando poſſit ad eum rurſus deducendum in proprios canales. Haec illa eſt Hepatis obſtructio communior, quae febres, alioſve morbos frequenter praecedit, comitatur, aut ſequitur; quae non difficile ſolvitur, vel vi naturali, vel remediorum.... Venit inde firmior concretio alia, in qua tenaci adeo cohaeſione ſiſtuntur grandiores lymphae particulae, ut tenuioribus ejuſdem, ac agilibus partibus vel pene in totum evolatis, vel pene in totum implicatis, omni pene deſtituuntur fluiditate, qua removeri poſſint ab adhaeſionis loco; ſicque fit ordinario inſolubilis concretionis haec ſpecies, quam varie ſubdividunt Medici ab habitudine aliqua diſſimili humoris concreti*. Hinc modo *Atheroma*, modo *Stheatoma*, modo *Melicеridem* tumorem in *Jecore* ſuboriri ab obſervationibus Auctor iſte Clariſſimus deducit, ubi & lymphaticas, ſeu mavis *ichoroſas* concretiones haſce ad *ſuppurationem* nunquam proclives eſſe omni jure docet.

CII. *Maximus in Hepate concretionis lymphaticae gradus* (ut ejuſdem Auctoris verbis utar) *ille eſt, in quo exhauſta omni rorida lympharum portione, ſtrictiuſque compacta gelatinoſa; ſeu deperdita omnimode mobilitate, in firmum, in durum vertuntur collecti latices, nullimode amplius in liquiditatem reducibiles. Hujus generis morbus eſt Scirrhus Hepatis*, qui aliquando in una tantum ipſius viſceris parte ſubcreſcit, grandiorem tumorem praeſtans; aliquando plurimis in locis minores mole concretiones procreat, in quibus albicantes & ſubflavae tenaciores lymphae ſtabulantur; pro ut Autopſia ipſa pluries cognovi. Hujuſcemodi tumores nullum pene afferunt doloris ſenſum, atque ex *gravitationis* moleſtia (praecipue dum ſiniſtro inhaerent lateri Aegroti) aliiſque praeviis aut concomitantibus ſignis cognoſcuntur. Siquidem in hiſce (ut Lommius innuit) (131) *Vultus obſcurum, foedumque colorem habet: Spiritus difficulter trahitur: languet appetentia: ſumptis epulis homo gravatur, detractis rectius habet: ubi jam vetus ſit malum, maxillae quodam modo laxantur: urina non aeque largiter, ut ante, profluit, tandemque totus Venter, crura, pedeſque intumeſcunt, pectus atque humeri extenuantur*. Verum, licet quo ad hujuſce tumoris ideam Practici omnes inter ſe conſentiant, quo ad cauſam utplurimum differunt. Plerique enim *ſcirrhos* hoſce *inflammationi Jecinoris* ſuccedere non immerito

(130) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 9. & 10.
(131) *Lommius Obſerv. Medicinal. lib.* 2. *de Jecinor. tumor.*

rito opinantur, quibus adhaeret Celeberrimus Boerhaavius. Ego vero ab utraque cauſa *ſcirrhos* hoſce pendere poſſe neutiquam vereor aſſerere, pro ut quamplurimis obſervationibus cognovi. Quotieſcunque enim durus & indolens tumor ille producitur in *Hepate*, nec ulla antea acuta febris, cum gravioribus *ſymptomatibus*, ejuſdem *inflammationem* indicantibus, praeceſſerit, nemo profecto ipſum ab *inflammatione* derivatum eſſe arbitrabitur: ſecus vero ſi oppoſito modo res proceſſerit: ut experientia evincitur. Quod autem ad eorundem tumorum curationem ſpectat, fruſtra a Medicis petuntur auxilia, cum nulla tunc adſit ſalutis ſpes, maxime ſi de inveterato admodum agatur morbo. Si vero eo initiante Medicam Aegroti expoſtulent opem: perſcrutari primo debet Medicus quaenam antea praeceſſerint aegritudines, ut, cognitis rite remotis cauſis, iis obviam ire Sanioribus praeſidiis ſtudeat: quod ex ſequentibus notum fiet. Interea adnotandum eſt, quod, dum quovis modo ex dictis ita obſtruitur *Hepar*, ut mole excreſcat admodum, contentaque ſanguifera vaſa pariformiter comprimantur, ſanguis e naribus identidem profluit; id quod etiam ex magnis *Lienis* obſtructionibus evenit. Hujuſce phoenomeni rationem optime affert Bianchi (132) ubi aſſerit, quod *tantum ſpatii detrahitur ab orbita ſanguinis, quantum capacitatis aufert a vaſis ſanguiducis per Abdominis viſcera diſſeminatis, vel comprimens vel offerciens obſtructionis materia; ſicque in anguſtiorem locum coacta ſanguinea moles, non tantum grandiori volumine ſuperiora impetet vaſa, ſed liberiora eorum ora recludet, in Nares ſcilicet hiantia*. Haec etiam potiſſima ratio eſt, propter quam ejuſcemodi *Haemorragiae* illis facile contingunt, quibus praecipuum membrum aliquod ablatum fuit.

CIII. Quod attinet ad curationem cujuſvis pravae Jecinoris affectionis, quam a *frigida* ejuſdem *intemperie* derivari contingat, juxta allatas paulo ante rationes; propoſita quaeque ratiocinia ſedulo fas erit primo perpendere, atque diſtincte noſcere, quo nam ſpeciali modo mala illa phoenomena ſuboriantur, ut inde tutiores emergant indicationes. Etenim ſi ea eveniant *ſymptomata*, quae ab imminuta bilis ſecretione derivari probavimus; Hocque ideo evenerit, quia immoderata aliqua praeceſſerit *Haemorragia*; tunc nutrientia quaeque potius atque incraſſantia convenient alimenta, utpote quae, ſanguinis maſſam augendo, ipſique congruas magis ſuppeditando particulas, minus diſſolutum quoque ipſum reddent, atque bilis optatae ſecretioni magis idoneum. Triſtes quoque animi curas, gravioraque omnia ejuſdem pathemata penitus effugere opus erit. Caeteroquin reliqua praeſidia Medica aut fruſtranea prorſus, aut nocua evadent. Verum ſi *Hepatici* ejuſmodi ex illis ſint, in quibus noxia praecedens ſanguinis diatheſis, *ſtaſes* in *Hepate*, ſive

(132) *Bianchi Hiſtor. Hep. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 12.

ſive mavis, *obſtructiones*, ut diximus, effecerit, propter quas bilis ſecretio, & excretio imminuatur; alia utique methodo curandi ſunt. Tunc ideo, ad reſerandas paulatim *Jecoris obſtructas* vias, *purgantia* praeſcribere ſatius & tutius erit, dummodo mitiora ſeligantur, atque *purgatio* ipſa blande iteratiſque vicibus inſtituatur. Nil enim pejus, nihil nocuum magis Aegrotis hiſce evadere poteſt, quam quod validioribus *catharticis* tunc curentur. Siquidem, poſitis in *Hepate* diuturnis infarctibus ob tenaciorum humorum *ſtaſes*, vehementiora hujuſcemodi *purgantia*, cum reſtitantes ichores illos removere ſtatim nequeant, maximamque ideo ſuis ictibus reſiſtentiam inveniant, in ſolida vim ſuam vehementer exerunt, ſicque pejoribus ſuſcitandis *ſymptomatibus* anſam praebent; eoque magis, ſi, tenuiores educendo humores, reliquos tenaciores efficiant atque difficilius mobiles: unde pari ratione contumax magis redditur morbus. In hiſce ideo circumſtantiis merito militat Hippocratis praeceptum, quod nempe primum purgandis humoribus congrua fluiditas largiatur. Tunc aperientes decoctiones praeſcribendae erunt, tum & Thermales chalybeatae aquae plenis hauſtibus bibendae, maxime ſi liber per urinas earum tranſitus eveniat. Inter *purgantia* vero Rhabarbari moderatus & iteratus uſus huic ſcopo ſatisfaciet; ſive in Sero lactis optime clarificato infuſum illud ſit, una cum aperientibus aliis remediis, ſive in pillulas redactum cum Ammoniaco. *Aloeticae* quoque pillulae, additis incidentibus amariſque vegetabilium ſalibus optimae erunt. Ego utiles admodum expertus fui ſequentes pillulas, quarum ſex alternis diebus ſumendas juſſi, aut etiam ſingulo mane, pro ut Alvus facilius difficiliuſve ſolveretur, & ſpecialis morbi indoles expeteret.

R. e

Gumm. Abjetini el. drach. V.
Rhabarbari el. drach. II.
Salis Tartari drach. I.
Cum ſufficienti quant. pulv. rad. liquiritiae, M. f. pillulae XLVIII.

Mille alia recenſeri hic poſſent remedia, quae pro *epicratica* hac *purgatione* uſurpari poſſent: ſed non vacat haec ſingillatim referre. Id tamen innuam, quod quo magis ad ſimpliciora confugimus, eo tutius & felicius in hiſce morbis agimus, aut ſaltem, ſi adeo contumax ſit ejuſdem cauſa, ut nullis praeſidiis evinci queat, nullum Aegrotis emergit damnum: quod maxime ſemper intereſt. Expurgato ſic aliquantulum Corpore, reſeratiſque obſtructis viis, ad Tettucianae Aquae potus confugiendum erit, quibus exhibitis, juxta conſuetam methodum, & Aegroti commodum, pro curationis coronide Martialia adhibenda erunt, quorum cum innumerae praeparationes adſint, illas ſeligere oportebit, quae occurrentibus circumſtantiis magis ſatisfaciant. Si de *cachecticis* agetur Corporibus, in quibus Ventriculi aliarumque partium fibrae praeter modum laxae evaſe-

evaſerint, caeteris praeferre opportunum erit Chalybis infuſionem in generoſo Vino, una cum amaris aperientibus Herbis, Abſyntio nempe, Agrimonia, Marrubio, Abrotano, & ſimilibus: cujus congruam doſim quotidie Aegroti iſti bibant. Haec autem ſimplicior illa eſt methodus, qua *Jecinoroſos* ejuſcemodi quamplurimos ſanatos omnimode vidi, neglectis remediis aliis, quae ad pompam potius praeſcribi conſueſcunt.



SECTIO SECUNDA

CAPUT SEXTUM

De Cruentis Morboſis Excretionibus.

CIV. VT propoſitum de morbis *Hepatis* tractatum, pro inſtituti noſtri ratione complectamus, aliqua dicenda reſtant de cruentis Alvi excretionibus, quae perſaepe a male affecto hoc viſcere derivari comperiuntur, ut ſupra raptim diximus, qua occaſione & de aliis verba facere non incongruum erit. Nomine ideo cruenti hujuſcemodi fluxus ſanguineae quaelibet excretiones per Alvum factae intelligendae veniunt, quae ad morboſas affectiones merito referuntur. Galeno enim teſte (133) *excepto eo ſanguinis fluore, qui Mulieribus ab Utero defluit, reliquae omnes ſanguinis expulſiones toto genere praeter naturam eſſe cenſentur.* Verum cruenti iſti fluxus non eodem ſemper modo ſpectandi ſunt: cum alii utiles ſint, alii inutiles & nocui, neque ab eadem ſemper parte proveniant, neque ob eaſdem cauſas fiant. Attamen, dum eorundem cauſas nomino, non huc evidentes quaslibet & externas referendas eſſe autumo. Siquidem, cum innumerae ſint, non eſt nobis immorandum in iis, quippe qui non omnes ſanguinis fluxus particulatim explicare decrevimus, ſed eos tantum, qui ob *Hepatis*, aut Inteſtinorum vitium ab interna cauſa ſuboriuntur. Notum enim cuique ſuppono, *dyſenterias* quaslibet ad *Hepaticas*, aut ad *Inteſtinales* rationabiliter reduci. Primae autem ad *Hepaticos* fluxus ſpectant: ſecundae vero *dyſenteriae* nomine appellari proprie ſolent. Verumtamen, cum fluxus iſti non eodem ſemper modo fiant, neque eadem afferant *ſymptomata*, diverſumque penitus praeſagium utplurimum praeleferre ſoleant; ſedulo diſtinguendi adinvicem ſunt, ut melius cognoſcantur, & rationabilius curari queant. Anteaquam de hiſce ſingillatim agamus, operae pretium erit, generales eorundem cauſas primo proponere, ut poſtea tutius ipſorum differentias perſcrutemur. Cauſas haſce Galenus *de ſymptomatum cauſis* a ſanguine ipſo, aut a vaſis, aut ab utriſque petendas eſſe jure meritoque animadvertit; quippe quod ſanguis aut nimia copia, aut qualitate pecans id praeſtare optime poteſt: tum & vaſa ipſa ſi nimis mollia, ſi valde dura, aut tenuia ſint. Siquidem *quod immodice molle eſt* (134) *facile rumpitur, ob imbecillitatem. Tenue ob venarum utraſque*

(133) *Galenus de ſymp. cauſis.* (134) *Galenus de ſymp. cauſis.*

hujuſmodi affectiones, non ſolum ab internis cauſis, verum etiam ab externis rumpi facile poteſt. Verum non omnia vaſa ſimiliter erodi poſſunt. Nam durum craſſumque erodi contumax. Ita de hiatu quoque dicendum eſt. Nam vaſa imbecilla, mollia & tenuia, prona ſunt ut ora ipſorum pateant. Robuſta vero & craſſa, & dura ſunt ad hiatum inepta. Accidit quoque hiatus ab his quae vaſorum ora irritant, & a plenitudine gravante, non nunquam a Natura, cum excernit ea quae ſibi moleſta ſunt.

CV. Attenta generali quarumcunque ſanguinis effuſionum cauſa, ut ad propoſitum noſtrum accedamus, cum Veteribus omnibus Clarioribus Medicis cruentas quaſlibet excretiones per Alvum factas ad quatuor reducimus claſſes, Jacotio praeſertim docente(135) Prima eſt, *quam venoſam dicere licet, ex immodico, ſed minime noxio ſanguine, in qua derepente multum ſanguinis dejicitur, adaperto nimirum vaſis oſculo.* Hujuſcemodi excretio tum ab *Hepaticis* vaſis, tum ab Inteſtinalibus, atque etiam ab aliis, extra morbum, non ſecus ac *haemorroidales*, & *menſtruales* expulſiones fiunt, deduci omni jure poteſt. Id ipſum confirmat Galenus (136) hiſce verbis. *Excernitur id quod redundat, tum in Criſibus, tum non nunquam per bonam valetudinem, quemadmodum in Mulieribus ſinguis menſibus fieri videmus. Itidem per cruentas dyſenterias. Hippocrates accidere dixit illis, quibus membrum aliquod mutilatum eſt. Atqui videmus id non ſolum illis, ſed aliis quibuſdam, per definitos circuitus evenire. Quotquot autem ita inanitos vidimus, omnes prioris vitae exercitationem cum ignavo ocio permutaverant: atque hujuſcemodi excrementum ſola quantitate abalienatum eſt.* In Plethoricis ideo Corporibus, in ocioſis Hominibus, quorum perſpiratio pari ratione minor eſt, atque in illis, qui Vino nimis copioſioribuſque cibis optimae naturae indulgent, hujuſcemodi *venoſae dyſenteriae* eveniunt, tum ab *Hepate*, tum ab Inteſtinis ipſis, aliiſque ſuperioribus vaſis; Item in Junioribus Mulieribus, Virginibus maxime, quibus conſuetae Uteri menſuales excretiones omnimode, aut magna ex parte ſaltem defecerint. Fiunt tunc plerumque abſque Ventris doloribus, abſque vomitu, aliiſque hujuſcemodi accidentibus, praevio aliquando ſolum Capitis, & Lumborum gravamine, utplurimum praeeunte gaſtricarum arteriarum inſolita pulſatione. In Viris tamen nullam periodum ſervant, ſed affatim & extemplo fiunt, atque derepente ceſſant. In Mulieribus ſaepius, atque ſtatis utplurimum temporibus eveniunt, ſed parcius. Illarum plurimas noſco ex ſacris praecipue Virginibus, quae, deficientibus aut imminutis quam maxime lunaribus conſuetis fluxibus, fere quotidie ſanguinem toto anno per Alvum educunt, in modica tamen copia, copioſius vero illis, quae rarius cruentas haſce dejectiones patiuntur.

(135) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sect. 2. n. 38.*
(136) *Galenus loco ſupra citato.*

patiuntur. Porro ex hiſce illae, quae frequentius hoc incommodum patiuntur, ardoribus quoque vexantur, dum urinam ejiciunt, dolent ſaepe circa Ilia, & circa Uterum, & Pudenda, ubi & pulſationes, tenſiones, & calores maximi eveniunt, qui uſque ad Anum exporriguntur. Sanguis enim Uterina, adnexarumque ipſi partium vaſa diſtendit, ubi, cum majorem aequo reſiſtentiam inveniat, ad Inteſtinales tubos motum ſuum dirigit, eaque plus juſto diſtendit, donec ipſi aditus pateat; unde praedictorum *ſymptomatum* congrua ratio emanat. De hiſce vero aliiſque admirandis morboſis phoenomenis, quibus ſacrae praecipue Virgines obnoxiae ſunt, fuſius alias data opera agemus, dum earundem peculiares morbos perſcrutabimur, ut illis maxime ſatisfaciamus, qui illorum cauſas haud ſatis intelligentes, Diaboli, aliaſve ſupranaturales Vires nimis facile accuſare ſolent, ut quoquo modo propriae ignorantiae conſulant. Quamcunq; ideo ob cauſam, aut quovis modo fiant *venoſae* dictae *dyſenteriae*, ſive in robuſtioribus & ſanis Viris, atque in his, quos *Jecinoroſos* dicimus, ob aeſtuantem in *Hepate* & turgeſcentem nimis ſanguinem: ſive in Mulieribus, ob recenſitas rationes, nihil timere prorſus debet Medicus, & nihil agere. Siquidem eas adſtringentibus remediis cohibere nefarium penitus eſt, cum ad ſalutem undecunque tendant. Aſt, ſi conſuetae aliquae aliae deſint excretiones aut in Viris, aut in Foeminis, rationi utique conſonum erit eas praevenire, congrua ſanguinis facta emiſſione, itemque Corporis exercitationem laudando, atque minus liberalem menſam.

CVI Secunda differentia *Dyſenterici* fluxus evenit, ex Galeno loco ſupra citato, *quum ob imbecillitatem Hepatis aquoſus ſanguis dejicitur, haud abſimilis ablutarum carnium lavacro*. Iſtam vero proprie *Hepaticam dyſenteriam* appellat Jacotius (137) dum ſic ait. *Si vero excretio quidem cruenta ſit ſine torminibus, ſed neque eo ſtatim feratur impetu, & cibi faſtidium conjunctim habeat, hepatica dyſenteria eſt, in qua utplurimum quaſi carnium lotura, & ſanies ſanguinis tenuis ac diluti inter initia excludi ſolet..... Tandem vero trahente morbo, cum male admodum Jecur affectum eſt, quaſi ſanguinis fex etiam apparet, & tanquam grummus, fluxuſque nocte excitatur magis & longioribus intervallis*. Dum cruentae ejuſcemodi eveniunt dejectiones ad *Hepar* maxime attendat Medicus, omnemque ſolicitudinem dirigat, ut veridicam earundem cauſam aſſequatur. Quapropter, ſi aliunde ſatis noverit, Viſcus illud tenui admodum mobilique, atque acri bile ſcatere, quae vaſa minima aperiat atque corrodit (ut in *cholericis*, ſeu *Picrocholis* corporibus ſupra deſcriptis contingit) attemperantia quaeque & demulcentia praeſcribat primo: non autem adſtringentia, ne intempeſtive nimis fluxum illum cohibeat, qui aliunde ad Aegroti ſalutem tendere aliquando conſue-

ſcit.

(137) *Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sect. 2. n. 41.*

ſcit, & tunc maxime quum levamen affert, nullumque incommodum. Verum ſi de ſanguinea nimis temperie agatur, optimum conſilium erit ſanguinem ſemel, & pluries etiam emittere, quo uſque Vires, affectique corporis conſtitutio peculiaris poſtulare tuto videantur, atque praegreſſum victus regimen: praeſertim ſi de *Hepatis* obſtructione nulla prorſus adſit ſuſpicio. Poſthac autem, ſanguine emiſſo, attemperantes eaedem potiones opportunae erunt, & congrua dieta, ad violentos ejuſdem cohibendos aeſtus, alioſque fluxus praecavendos. E contrario caute admodum, & parcius educere ſanguinem expediet, ſi affectum quoquo modo eſſe *Hepar* conſtet: praecipue ſi *tuberculis* laboret, aut *inflammatoria* vera *ſtaſis* praeceſſerit: unde Viribus deſtitutus admodum Aegrotus evaſerit, neque aliunde exuberantis nimium ſanguinis notae adſint; de quibus omnibus ex enarratis ſupra toties ſignis certiores fieri poſſumus. Porro tunc, Galeno ipſo teſte (138) *paulatim, & brevibus intervallis dejectio fieri ſolet, non nunquam ſinceri ſanguinis, non nunquam grummoſi, cum quo interdum puris quoque non nihil excerni conſpicitur, itidem & ramenta* (*Graeci ephlecidas vocant*) *& partes quaedam inteſtinorum membranis ſimiles. Saepe numero denſum quoque ſtercus excernitur cruentis guttis reſperſum*. Si talia eveniant, eo magis cavendum eſt, ne praemature nimis fluxum hunc, adſtringentium ope, cohibeamus, cum pro critico plerumque haberi merito debeat. Quamobrem attemperantia ſimul, leviterque detergentia Sanioribus omnibus indicationibus tunc ſatisfacient: illa nempe, quia bilis aeſtus compeſcunt, haec vero, quia ejuſdem tenacitatem diſſolvunt, excretoriaque Vaſa liberiora reddunt, ut foras citius expellatur, anteaquam, ibidem diutius remorando, acrior facta, ſanguinea circumpoſita vaſa corrodat, cruentumque copioſiorem fluxum excitet. Idcirco, ſi graves urgeant ſtomachi paſſiones cum inanibus vomendi conatibus, aliaque hujuſcemodi *ſymptomata* vigeant, quae turgeſcentem in excretoriis ductibus, atque in Inteſtino duodeno bilem patefaciant; *Emetico* primum uti fas erit, mitiore tamen, ne ob vehementiores inde ortos conatus, novam ſanguinis effuſioni anſam praebeamus: id quod, ob imperitorum audaciam ſaepe numero evenit. *Emeticum* magis idoneum *ypecaquana* eſt, utpote quae ſpecifica ad hoc vi pollere communiter creditur. Verum hoc remedium iteratis vicibus in minore doſi exhibere ſatius erit, quam ſecus: habita videlicet ratione contumaciae morbi, fluentiſque materiei copiae, nec non Aegrotorum conſtitutionis variae. Nec quidquam huic methodo obſtare videtur Hippocratis ſententia (139) ubi ſtatuit, quod *Dyſentericis vomitus bilioſus initio malus*

(138) *Galenus de ſympt. cauſis.*
(139) *Hippoc. in Coac. lib. 6. Sect. 2. n. 39.*

lus ſit. Siquidem ipſe *ſpontaneos* vomitus damnat, non autem illos, qui remediis promoventur. Illi enim *initio morbi* facti praedominantis bilis nimiam copiam oſtendunt, ſeu etiam (ut cum Hollerio ibidem loquar) *magnam vim aeſtuantis bilis indicant, quae ſuperiorem ventrem pariter atque inferiorem turbat.* Qua de re aut morbi contumaciam inde merito pertimeſcimus, aut pejora etiam alia mala, quae cuique nota ſatis exiſtimo. Ideo ſatis ſuperque patet, quinam vere ſint vomitus ex Hippocratis mente initio damnandi in *dyſenteriis*: illi nempe (uti ſubdit ibidem Jacotius) qui a *ſymptomatica* excretione vere pendent: *ut in cholera morbo, in quo vomitus Alvi profluvio jungitur, propter acrimoniam & redundantiam humoris circa Ventriculum, & e toto corpore ad Ventriculum confluxum, quem colliquatio inſequi ſolet. Alia eſt ratio vomitus, qui robore Naturae, aut Medici artificio ſolicitatur.* Poſteaquam ideo, ope hujuſce *Emetici* turgeſcens in confiniis *Hepatis*, ſtomachique bilis ſatis ac placide educta fuerit, expedito ſic magis ad inferiora reddito tramite, opportunum erit ad attemperantes detergenteſque, ut diximus, potiones confugere: cujuſmodi ſunt decoctiones Sonci, Acetoſae, Endiviae, Plantaginis, aut Portulacae & ſimilium. Verum ſi purulenti ichores una cum ſanguine quoque prodeant, Vulneraria & Balſamica, ut alias monuimus, neceſſaria erunt. Convenient tunc quoque copioſi Tettucianae aquae potus (pro ut ego multoties expertus fui) maxime cum de Inteſtinorum ſuborta inde labe ſuſpicio propria emergat. Id enim peculiare eſt in hujuſcemodi cruentis fluxibus, in quibus acrior bilis una cum ſanguine ſecernitur; unde docet Jacotius, quod (140) tunc *ſumma quoque Inteſtinorum tunica humoris acris tranſitu abradi ſolet, unde Inteſtinorum ipſorum particulae quaedam, quas Strigmenta Graeci dicunt, ſimul dejiciuntur. Ex quibus perſpicuum eſt, in utraque hac Dyſenteria ſubrubra, coenoſa & multa excrementa per Alvum defluere, atque interdum utramque ſimul invadere, nonnunquam etiam alterutram cum ea, quae proprie dyſenteria eſt conjungi. Neque enim in ſimplici Inteſtinorum ulceratione cum dolore ac torſione ventris ſubrubrorum ac coenoſorum excrementorum copia eſſe poteſt, ſine alterius ſpeciei acceſſione.* Quapropter, dum utraque ſimul ſpecies ſic conjungitur, praeter praedicta remedia, non omittendi erunt Clyſteres tum attemperantes, tum detergentes, quibus aliquando Terebinthum addere opportebit luteo ovi diſſolutum, praecipue ſi in inferioribus Inteſtinis eroſiones factae fuerint, quae non curatae in ulcera facile tranſeunt. Innumera tot alia hic omittimus remedia quae a tumultuariis quibuſdam Medicis in uſum revocari perperam conſueſcunt. Satius enim tunc eſſe arbitror, paucis & ſimplicioribus uti Medicamentis, quam plurima magiſque compoſita exhibere, quorum ope, tantum abeſt quod magis proficiat

(140) *Jacotius Com. in Coac. ut ſupra n.* 41.

ſiciat Medicus, ut potius nimis fatigentur Aegroti, atque in deterius multoties ruant.

CVII. Huc etiam ſpectat alia *Hepatici fluxus* ſpecies, quae tametſi ab *Hepate* pendeat, oppoſitam omnimode agnoſcit cauſam. Veteres Medici fluxum hunc ab *intemperie Hepatis frigida*, ſeu ab ejuſdem *imbecillitate* derivabant, priorem vero mox enarratum a *calida*. Etenim *ſi ſine calore infirmum eſt Jecur* (Lommii haec eſt deſcriptio) (141) *parumque ea occaſione retinet, dejectio ſequitur ſanguinis limoſi, ac veluti in grumnos coacti, eademque neque aſſidua, neque multa eſt, diverſis excrementorum fere coloribus imbuta, certis tamen temporibus cumulatior eſt, ac ſemper haud multum foetens: ipſum diutius trahitur malum, ac ſine febri incipit, quamquam interdum languida ea oritur, putrefacto in viſcere ſanguine*..... Tunc vero *cruenta feruntur ſine dolore, ſine ramentis, idque cumulatim & majoribus intervallis, duorum ſcilicet & interdum trium etiam dierum*, aliquando plurium. Fluxum hunc non a corrodente bile (ut ſupra de alio diximus) ſed a laxitate nimia fibrarum *Hepatis*, ſanguiniſque ſimul nimia ſolutione, ſeu mavis ſeroſa conſtitutione pendere poſſe exiſtimo: unde non immerito pro *catarrho Hepatis*, ſeu pro *liquamine ſeroſo in ſanguine Venae Portae* habet Clar. Bianchi (142) *Et de facto patet, ex liquabili laxitate hac ſanguinis fluxus Hepatici principium auſpicari, eo quod ſaepe in detentis ab hoc fluxu, ſanguinolenta comparia effluant ulterius per Nares, Os, Uterum, Haemorrhoides, ſpiracula cutis &c.* (ut notat etiam Lommius loco ſupra citato) *Praecipue quod colliquativis frequenter morbis haec affectio ſuccedat*. In hiſce fluxibus diutius protractis conſumitur omnimode *Hepatis parenchyma*, adeo ut ſola aliquando ejuſdem membrana ſuperſit, aut *ad inſtar pomi putris* corrumpatur: ut patet ex obſervationibus ab eodem Bianchi propoſitis. Hinc dum in dies labefactatur magis magiſque Hepar, atque univerſa ſanguinis diatheſis pejor redditur, morbus *aut in malum corporis habitum, aut in ipſum vertitur Hydropem*: adnotante ibidem Lommio. In hoc fluxu ſtatim ad adſtringentia confugiendum erit, tum & ad incraſſantia, ut illorum ope fibrae *Hepatis* roborentur, atque ſanguis tenacem magis indolem acquirat, ne tam facile a vaſis profluat. Fungus Melitenſis in hoc caſu, ſicuti & in aliis cruentis fluxibus commendari prae caeteris debet. Verum tamen eſt, quod fluxus iſte non adeo frequenter, ſicuti alii, evenit.

CVIII. Alia eſt *Dyſenteria*, quae proprie *atrabilaria* a Jacotio nuncupatur, *ex aduſto in Hepate ſanguine*, quae vera *hepatica* ab omnibus creditur. Copioſus adeo interdum evadit hujuſcemodi fluxus, ut graves animi defectus afferat, una cum ſtomachi vehementibus paſſionibus; quare frigidis undique ſudoribus perfunduntur inde Aegroti, *hippocraticam*,

(141) *Lommius Obſerv. Medic. lib.* 2. *de Dejec. Cruentis*.
(142) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 9. *n.* 5.

craticam, ut dicimus, praeſeferentes faciem, atque ad agonem fere perducuntur. Revera dum copioſae iſtae cruentae & nigricantes excretiones fiunt, niſi cito ceſſent, paulo poſtea mortem adferunt. Quod ſi cito etiam finiantur, *chronicis* utplurimum morbis anſam praebent: *Cachexiae* nempe, *Hydropi*, aut ſpecialibus *Hepatis*, *Lieniſve*, aut utriuſque viſceris tumoribus; uti pluries obſervavi. Iis vero plerumque eveniunt, qui aromaticis eduliis frequentius utuntur, meracioribuſque Vinis, aut ſpirituoſis potibus facile indulgent, ſedentariam degentes maxime vitam: caeterumque *hypochondriacam* bilioſamque a primordiis ſortiti ſunt temperiem, habitumque Corporis ſucciplenum. Cum de *atrabilario* hoc fluxu inciderit ſermo, non abs re erit aliqua hic proponere, quae ad paſſim obvias circa ejuſdem eſſentiam controverſias pertinent. Aliqui enim nigrum hujuſcemodi dejectionum colorem a ſimplici ſanguine deducunt, qui poſteaquam ab *Hepaticis* vaſis effuſus eſt, atque extra aream circulationis alicubi diu conſiſtit, nigrum & atrum induit colorem, uti Jacotius aperte indicat (143) ubi ſtatuit, quod effuſus tunc *ſanguis in anfractibus Inteſtinorum ita praeaſſatur ac nigreſcit, ut etiam picem plane referat*. Alii vero, cum animadverterint, *atrabilares* hoſce fluxus Aeſtate eaque fervidiore potiſſimum evenire, atque plerumque poſt praegreſſas copioſas bilioſaſq; *diarrhoeas*: partim a ſanguine, partim a bile craſſiore, quam aduſtam nuncupamus, derivari arbitrantur, ita ut nigricans ille & ater cum ſplendore quodam color emergat. *Sanguis enim* (Galeno docente) (144) *tantum abeſt ut ſplendorem ullum acquirat, ut etiam eum, quem ab initio habuit, amittat. Sed atra bilis vel ſanguine ipſo ſplendidior eſt, quemadmodum & mortui maris Bitumen, quod Judaicum vocant*. Praeterea, dum ſanguis a ſuperioribus vaſis prodiens ater, & liquidae pici ſimillimus evadit, eo *tamen tincta lintea rubent* (ut Lommius monet) *ut hac nota is quoque facile diſſidere ab atra bile poſſit*. (145) Atra ſiquidem bilis a Boerhaavio optime deſcripta, quae *aliquando ſaporem acerrimi aceti* (146) *quandoque vero putrefacti cruoris* naturam refert, peſſimae utique eſt indolis, ſolidaque *rodit*, *urit*, *eliquat*, *inflammationes*, *gangraenas*, *ſphacelos*, *dolores atrociſſimos*, *efferveſcentias enormes excitat*. Hinc judicatu facile eſt, quod recenſiti nigriores fluxus iſti tum ab effuſo in *Hepate* ſanguine, tum ab atra hac bile cum ipſo immixta derivari merito poſſint. Quotieſcunque enim bilis tam pravam induit naturam, & acris admodum evadit, non tantum proprios, verum & ſanguiferos *Hepatis* ductus corrodere, atque diſcindere facile poteſt, maxime ſi in copia abundet; ita ut una

cum

(143) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 3. *Sect.* 2. *n.* 26.
(144) *Galenus de ſymptom. cauſis*.
(145) *Lommius Obſerv. Medic. lib.* 2. *de Cruent. deject.*
(146) *Boerhaav. inſtit. Med. n.* 789.

cum ipſa hac bile ſanguis prodeat. Quamobrem fluxus iſte potius quam alius ex dictis, *hepaticus* dici meretur, cum ab *Hepate* tantummodo provenire poſſit. Namque cruentae dejectiones aliae, tametſi frequentius ab apertis *Hepatis* vaſis fiant, a *Liene* tamen quandoque, ab Inteſtinis, atque a Ventriculo originem ſortiri poſſunt: tunc cum peculiaria alia emergunt ſigna, quae hic ſingillatim enarrare non vacat, ne ab inſtituto noſtro diſcedere nimis videamur. Quae cum ita ſint noſcere quiſque poteſt, quonam jure Divinus Senex ſtatuerit (147) quod *dejectiones nigrae, qualis eſt ſanguis niger, ſponte venientes, ſive cum febri, ſive ſine febri peſſimae ſint, & quanto colores magis pravi fuerint plures, pejus &c.* id quod alibi pluries confirmat. Atrabilaris enim praedicti humoris peſſimi commixtionem indicant, ex cujus exiſtentia eo pejor redditur morbus, magiſque exitialia ſuperſunt *ſymptomata*. Cum itaque *hepaticus* ejuſcemodi fluxus ob nimiam acrioris bilis copiam potiſſimum fiat, eae ſtatim hinc emergunt indicationes, quae nimios ejuſdem aeſtus compeſcere, atque corrodentem vim attemperare valeant. Caute enim admodum ad adſtringentia tunc confugiendum eſt, praecipue ſi non immoderate evacuationes iſtae fiant, vireſque ſatis vigeant, neque graviora urgeant *ſymptomata*. Porro, cum *criſis* loco haberi fluxus iſte aliquando poſſit, ſi citius quam par ſit cohibeatur, gravibus *Hepatis* ſuſcitandis *ſtaſibus*, vehementioribuſque *ſymptomatibus* anſam praebet. Inſuper foecoſus iſte ſanguis atra bile imbutus, quoties ob adſtringentium praeproperum uſum in Inteſtinorum cellulis diu nimis agere moram cogitur, graves ibidem atrociſſimaſque affectiones exſuſcitat, quae maximam Aegrotis moleſtiam pariunt. Tutius itaque tunc atque rationabilius curatio inſtituetur, ſi attemperantia pinguia uſurpentur, illa nempe, quae bilis acrimoniam, ut diximus, edomare, eandemque blande educere potis ſint. Serum ideo lactis ſimplex optime *clarificatum* omni jure conveniet; ſicuti & juſcula alterata foliis Sonci, Lactucae, Endiviae, & ſimilium, quibus uti ſaepe Aegroti debent. Huic etiam ſcopo ſatisfacient Emulſiones ex ſeminibus frigidis ſic dictis paratae, tum & Aquae Thermales, quae *bolares* dicuntur, & praecipue *Nocerianae*, & *Blandulenſes*. Clyſteres quoque emollientes injiciendi ſaepe erunt, ad effuſum ſanguinem ab Inteſtinis quamprimum educendum. Graves animi paſſiones, & bilis praecipue vitentur. Calidas nimis potiones effugiant, a quibus in omni ſanguinis alio etiam fluxu cavendum merito erit. Reliqua, quae uſurpari paſſim ab imperitis ſolent, remedia, aut fruſtranea prorſus, aut nocua cenſentur; cum illa morbi genuinam cauſam neutiquam reſpiciant.

CIX. Hiſce ſuccedit alter ſanguineus fluxus, qui *Dyſenteriae* nomine potiore jure ab omnibus appellatur. Fit autem, ut Jacotius anim-

(147) *Hippoc. Aphor.* 21. *Sect.* 4.

animadvertit, *exulcerato inteſtino, utplurimum a bile acri, aut pituita ſalſa & corrupta, quae praecedente Hyeme auſtrina, Vere aquilonio graſſari ſolet, aut Aeſtate fieri & Autumno, cum Hyems aquilonia fuerit, & Ver auſtrinum & pluvioſum*. Quod hiſce praecipue temporibus, poſt viciſſitudinarias haſce aeris conſtitutiones, *dyſenterici* hujuſcemodi fluxus evenire quamfacile poſſint, ratio ipſa ex Sanctorianis legibus deſumpta ſatis ſuperque ſuadet. Etenim poſt auſtrinam conſtitutionem Hyeme dominantem, ſi Ver aquilonium ſuccedat, quod, meatus cutis ſtrictiores efficiendo, neceſſariae perſpirationis menſuram imminuat (dum caeteroquin humorum univerſa maſſa mole plus aequo rationabiliter turget) diſtenti pari ratione canales omnes diſrumpi facile poterunt, illique praeſertim, qui tenuioribus ditantur tunicis, aliarumque partium contiguitate haud ſatis ſuffulciuntur. Hujuſcemodi ſunt minima quaeque ſanguiſera vaſa Inteſtinorum mollem ſubſtantiam pervadentia, quae ideo levem quamcunque ob cauſam in eorundem cavitatem hiant, atque ſanguinem effundunt. Idem propemodum evenire intelligimus Aeſtivo & Autumnali tempore, ſi aquiloniam Hyemem Ver auſtrinum & pluvioſum exceperit. Siquidem tum pluvioſum coelum, tum auſtrina conſtitutio univerſas Corporis fibras laxat adeo, ut minus elaſticae evadant; atque Aer ipſe pari ratione levior quam par eſt redditur, extimamque corporum ſuperficiem, ſicuti & bronchiales Pulmonum tubulos eadem proportione minus premit, atque in reticularibus eorundem plexibus ſanguinem haud ſatis concutit comminuitque. Multiplici hac ideo ratione ſanguinis velocitas decreſcit admodum, atque proinde perſpiratio pariformiter imminuitur, dum cutis meatus undique concidunt, minorique ſanguinis illuc tarde irruentis impetui haud leviter reſiſtunt. Quamobrem totum id quod ſupervacaneum aut quomodocunque nocuum Veris tempore per Cutis porulos expelli debuerat, univerſam ſanguinis maſſam haud parum inficit, juſtaque ratione ſupramodum adauget, quae inde Aeſtatis accedente tempore rarefacta, Autumnoque (tunc cum iterum perſpiratio decreſcit) mole denuo excreſcens, duplici ratione univerſa vaſa ita diſtendit, ut ſiquae minus reſiſtant, diſrumpi facile queant. Vaſorum autem ejuſcemodi diſruptio in Inteſtinis potiſſimum non ſolum ob enarratas rationes evenit, verum etiam quia *acrior bilis* (quae Aeſtate maxime & Autumno abundat) *aut pituita ſalſa & corrupta* (ut cum Jacotio loquar) illuc magna in copia delata, Inteſtinalem mucum abradens, eorundem quoque diſcindit fibras: unde turgeſcenti ſummopere ſanguini vaſa ibidem vix paululum nec ſatis reſiſtunt. Hinc jure meritoque non copiam tantum, ſed etiam qualitatem humorum in *dyſenteria* inculpare debemus, atque ad utrumque ſcopum Sanioris utilioriſque curationis ratio dirigenda eſt. Quaprop-

ter

ter Jacotius (148) admonet, quod diſtinguenda rite ſit *dyſenteria cruenta critica & a toto Corpore, ut quandoque in otioſis contingit, & quibus libere non perſpirat corpus, vel ſolemnis evacuatio ſuppreſſa eſt, aut pars mutilata, aut venae Meſeraicae reſudant. Dyſenteria* enim haec copiam tantummodo, non humorum qualitatem pravam pro cauſa potiſſima agnoſcit: pro ut & de *venoſo Hepatis fluxu* n. 105. ſtatutum fuit. Animadvertit inſuper Jacotius (149) quod *fieri quoque poteſt, ut dyſenteria utriuſque affectus ſymptoma ſit, Hepaticae videlicet imbecillitatis, & ulceris Inteſtinorum; aut plenitudinis & Hepatici affectus. Proinde Galenus merito reprehendit Medicos, qui, neglecto Hepate, ſolius ulceris in curanda Dyſenteria rationem habent.*

CX. Si quis ideo congruam *Dyſentericis* quibuslibet adferre opem quaerit, ad haec omnia ſedulo attendat, ut noſcat, num a plenitudine tantum, num a prava humorum qualitate, num ab utraque cauſa proficiſcatur morbus. Praeterea diſtinguat, an cruentus ichor ille ab Inteſtinis tantum, an potius a ſuperioribus *Hepatis* vaſis quomodolibet emanare comperiatur, ſive id *critice*, ut ajunt, ſive *ſymptomatice* accidat. Inſuper quotieſcunque in Inteſtinis vera morbi cauſa lateat; aliud eſt, quod, hyantibus ſolummodo, ob plenitudinem, vaſis, ſanguis tunc prodeat; aliud eſt, quod, ob corroſionem aut ulcus quodlibet, fluxus iſte proveniat. Praeter haec diverſa etiam morbi ratio habenda eſt, ſi Inteſtina tantum ſuperiora afficiantur, aut inferiora, aut omnia ſimul. Singula haec omnia, propriis penſitatis ſignis, facile Medicus aſſequetur, ſanioremque inde curationis methodum agnoſcet, quae utique non una omnibus competit: pro ut quamplurimi abſque congruo ratiocinio Medicinam facientes putare & facere perperam conſueſcunt. De hiſce autem ſingillatim agere inſtituti noſtri ratio non poſtulat, neque permittit. Non nulla tamen innuere non abs re erit, quae ad reliqua diſtinguenda non parum conferent, noſtraeque in hujuſcemodi curationibus methodi familiaris rationem optime patefacient.

CXI. Cumprimum itaque *dyſentericus* quiſpiam curandus mihi committitur, nec epidemica hujuſcemodi communiter graſſatur Aegritudo: ſi copioſe ſanguis dejicitur, abſque doloribus, magnis ſaltem, abſque febri, nulloque praevio analogo morbo: ſciſcitari ſoleo num *menſtrualis* aut *Haemorroidalis* conſueta defecerit excretio, praeſertim in ſucciplenis Corporibus, optimeque caeteroquin conſtitutis, atque poſt deficientem maxime perſpirationem, Veris tempore. Dum haec omnia, aut pleraque ex hiſce animadverto, plenitudinem tantum pro cauſa noſcens, deplendis ſolummodo vaſis incumbendum tunc eſſe, autumo; ſive fluxus ab *Hepate* ſpecialiter, ſive ab Inteſtinalibus ſolum canalibus, ſive utrinque proveniat: quod nihil

(148) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 5. *n.* 31.
(149) *Idem ibidem lib.* 6. *Sect.* 2. *n.* 38.

nihil penitus ad curationem tunc refert. Idcirco ſanguinis illico emiſſionem celebrari toties jubeo, quoties peculiaris affecti Corporis conſtitutio poſtulat, aut ferre poteſt abſque damno. Congruum ſimul victus regimen ſtatuo; cavendo nempe ne liberalius cibis utantur, iiſque praecipue, qui citius magiſque nutriunt. Vini abſtinentiam laudo, aliarumque potionum omnium, quae, ſpirituoſas nimis ſanguini moleculas ſuppeditando, ipſum ad concitatiores aeſtus cogunt; id quod & graves animi curae, vehementioreſq; Corporis motus praeſtant, a quibus ideo cavere Aegroti debent. Inſenſibilem quoque perſpirationem promovere non omitto, blande tamen, ne humorum tumultus nimios excitem. Satis enim eſt quo cooperti in lecto Aegroti maneant, animum quoque exhilarando, moderate tamen. Etenim *laetitia moderata juvat coctrices facultates*; quare (ut doctiſſimus Gorter ſubdit) (150) inde *melius elaborantur humores, & expellitur id quod eſt inutile & abundat*: quod maxime in hoc caſu intereſt. Nec omittendae ſunt attemperantes potiones; ut Aquae Nocerianae, atque decoctiones demulcentes ſupra indicatae, quae ſanguinis nimios aeſtus refraenare valeant, concitatioreſque ejuſdem motus compeſcere, bilis quoque acrimoniam corrigendo. Haec vero omnia non tantum optima ſunt in cruentis hiſce fluxibus, verum etiam in *Haemorrhagia* qualibet, ſi praeter conſuetudinem ab alia quavis parte, ob plenitudinem tantum (per criſim nempe, ut dicimus) copioſe nimis illa eveniat. Tunc enim adſtringentia nulla ratione conveniunt; quin imo ipſis ſtatim uti periculoſum eſt. Innumera enim mala ab ejuſcemodi ſuppreſſa affatim *dyſenteria*, aliave conſimili excretione, oriri poſſe ratio ipſa ſuadet, atque experientia confirmat: cum hinc ſpontanei illi Naturae motus ſiſtantur, quos ipſa utiliter moliri tentat. De hiſce vero Clinicos expertos Medicos certiores ultro facere ſupervacaneum eſt. Reliqua etiam remedia fruſtranea penitus, & nocua evadere poſſe prorſus arbitror: de quibus ideo fuſius agere neutiquam vacat. Aliis enim ſupra recenſitis praeſidiis caute uſurpatis, cito tutoque morbus auſcultat, nec raro etiam ſua ſponte deſinit.

CXII. Alia autem prorſus iis competit curatio, qui pravum Corporis habitum gerentes, ob noxiam quamlibet humorum diatheſim, *dyſenterico* fluxui huic ſubjiciuntur. Porro in hiſce primo rite expedit noſcere, num tota ſanguinis maſſa acrem atque mordacem qualitatem ſecum ipſa ferat: num ob malam alicujus peculiaris partis affectionem, tanquam a perenni fonte nocuam quomodolibet conditionem ſortiatur, propter quam Inteſtina ipſa labefactentur ita, ut eorum fibrae plus aequo laxae evadant, parvaque adnaſcantur ulcera, a quibus *dyſenteria* iſta proveniat. Tota ſanguinis maſſa pravam praeſefert dia-

(150) *Johannes de Gorter Aphor.* 480.

theſim in *Scorbuticis* maxime, atque in illis, qui *venerea ſordidiore lue* laborant, nec raro etiam in Virginibus *Chloroſi* affectis, tum & in aliis, quae *hyſterica* contumaciore affectione vexantur. In hiſce ideo, cum pari ratione acrior lympha univerſa evadat, *dyſentericus* fluxus facile accidit, qui a toto, ut ajunt, ſuboriri cenſendus eſt. Quapropter in hujuſcemodi circumſtantiis fruſtra Inteſtinorum curationem molimur, ut *dyſenteria* ceſſet, niſi & univerſae ſanguinis maſſae congrua ratio habeatur. Si autem fiat, ut una cum prava humorum diatheſi, vaſorum quoque nimia plenitudo adſit, praecipue in robuſtioribus junioribuſque Aegrotis; ipſa in primis deplere ſatis fas erit, ſufficiente ſanguinis emiſſione, anteaquam ad alia tranſeamus. Verum ut univerſali cauſae proſpiciamus, optima erunt illa omnia, quae acrem lymphae conditionem immutare, nimioſque ſanguinis aeſtus compeſcere certe poſſint. Ad hoc faciunt incraſſantia quaeque & demulcentia: cujuſmodi ſunt decoctiones Radicum Chinae, Arundinis Montanae, Ligni Lentiſci, una cum limatura Eburis, ſecundum artem in aqua, aut melius in juſculo Vitulino paratae, quibus pro potu ordinario uti *dyſenterici* debebunt, donec opus fuerit, ut a Vino omnimode abſtineant. Alimenta quoque ejuſdem indolis ſint, iis omnibus omiſſis, quae volatilibus nimis aromaticiſque particulis ſcateant, aut quacunque ratione alia foecoſum reddere ſanguinem valeant, & praeſertim lympham coinquinare. Hinc lactea diaeta ab omnibus ſummopere laudatur, quia optimum nutrimentum Corpori ſuppeditat, craſſiores nempe glutinoſaſque particulas, quae noxiam humorum qualitatem demulcent, atque immutant. Congrua tamen Inteſtinorum *purgatio* identidem praeſcribenda erit, quae eo magis neceſſaria utiliſque evadet, quo magis *ſtercoroſa dyſenteria* erit. Secus autem, ſi Ventris adfuerint tormina, cum frequentibus ad dejiciendum ſtimulis, ac perſaepe inanibus: *purgatio* minus congrua erit. Hujus tamen loco utiles admodum erunt frequentes Clyſteres ex Lacte & Butyro cum luteis ovorum. Conveniet tunc etiam Conſerva floris Caſſiae Donzelli identidem uſurpata, cui & Rhabarbari torrefacti modica doſis adjungenda erit, ſi purgare magis aliquando opus fuerit. Iterum autem dicam, quod haec omnia, aliaque hujuſcemodi remedia morbum radicitus evincere neutiquam poterunt, niſi prius diuturno aliorum univerſalium remediorum uſu, prava univerſae humorum maſſae diatheſis dempta omnimode ſit. Idcirco, praeter dicta, ſi de *ſcorbutica* praevia labe ſuſpicio adſit, *antiſcorbutica* congrua diuturno tempore uſurpanda erunt, ſicuti & *antivenerea*, quoties *Celtica Lues* dominetur: de quibus hic extra aream ſingillatim diſſerere, fruſtraneum eſt, cum cuique ſatis nota ſint. *Paregorica* etiam, ſeu ut alii dicunt *hypnotica* praeſcribere opportunum erit, ſi tormina ventris urgeant, tum etiam ad *dyſentericum*

fluxum

fluxum identidem ſed non omnimode cohibendum, quoties copioſus magis fit, ut viribus inde nimis deſtitui Aegroti videantur. Aſt cum hic de *hypnoticorum* uſu in *dyſentericis* agimus, eorum agendi modum perpendere non incongruum erit. Non nulli, cum ex Sanctoriano effato didicerint, quod *Somno magis, & magis lubrica redditur alvus*, atque ex *hypnoticis* ſomnus concilietur: haud ſatis intelligere ſe poſſe autumant, cur (151) *in diarrhoea, dyſenteria, aliove alvi profluvio, damus hypnotica, ut compeſcatur alvi fluxus, atque ſuperveniens ſomnus eum ſiſtat.* Quaeſtionem hanc paucis optime reſolvit Doctiſſimus Gorter, dum ſic ibidem dicit. *Si aliquid acre ſtimulans haeret in Inteſtinis, humorum fluxum verſus ea dirigens, ut major ſequatur alvi evacuatio, ablato ſtimulo, quemadmodum fit poſt datum purgans in dyſenteria, reſtitat tamen ille motus in Inteſtinis, & pergere facit alvi fluxum; ita etiam in hypercatharſi, quamvis medicamentum purgans omnino eductum fuit, hoc tempore dato hypnotico, compeſcitur alvus.... Alvus autem ab his conſtipatur, quia compeſcunt motum inordinatum, non vero conſtringendo inteſtina, vel exſiccando excrementa.* Hinc vero patet quod *hypnotica* haec propinari tunc ſolum debent in *dyſenteria* hac a toto pendente, cum univerſa humorum prava diatheſis dempta maxime ſit. Secus enim, dum copioſus viget acriorum humorum ad inteſtina confluxus, qui indeſinentem parit ſtimulum; hunc certe *hypnotica* neutiquam ſedare poterunt, & inutilia evadent.

CXIII. Verum ſi non a toto, ut diximus, ſed a ſpeciali alicujus partis labe *dyſenteria* haec originem habeat, alio utique ratiocinio curatio inſtituenda erit. Hujuſcemodi namque fluxus *Phthyſicis, Hepaticis, & Lienoſis* plerumque contingunt, nec raro etiam iis, qui externis *abſceſſibus ulceribuſque* laborant: quorum omnium ideo ratio haberi merito debet. In *Phthyſicis* utplurimum *dyſenteria* evenit, quotieſcunque purulentus exſcreatus imminuitur, aut copioſum adeo pus in Pulmonibus progignitur, ut non ſatis educi per os poſſit. Tunc purulentus ichor laterales ſubit tubulos, univerſaeque ſanguinis maſſae immixtus, & in circuitum actus, ad inteſtinalia *emunctoria*, ad *peyerianas* nempe glandulas defertur, ibidemque membranacea ſtamina paulatim exedit corroditque, donec ſanguifera minima hient vaſcula, & ſanguis effluat, qui cum iiſdem ichoribus per alvum prodiens *dyſenteriam* affert. Tanta autem eſt, atque adeo patens vis acris, purulentis hiſce ichoribus a Pulmonum ulcere venientibus, inſita, ut ſi forte cum urinoſo latice ad Veſicam transferantur, ardores in ejus collo premituſque vehementes excitent, ſicuti & moleſtum cutis pruritum, dum ipſius glandulas ſubeunt: uti experientia conſtat. Tunc ideo cum perennis ejuſcemodi *dyſenteriae* cauſa in Pulmonibus latet, eaque in magnis ulceribus tolli nulla ratione poteſt: id ſolummodo viribus omnibus praeſtare debet Medicus,

(151) *Johannes de Gorter de inſenſ. perſpirat. aph. 398.*

cus, quod puris exitum per exſcreatum promoveat, faciliòremque reddat, ſicque minor ejus pars ad Inteſtina deferatur. Hoc utiliter perficiet, pectorales, demulcentes, laxanteſque potiones praeſcribendo: tum & detergendo Pulmonum ulcus, ope Balſamicorum, aliorumque (quae vulneraria dicimus) puris ibidem nimiam generationem impediet, illudve ad alia *emunctoria* deducet, cum minore Aegroti damno. Eamdem ob cauſam monendi maxime Chirurgi ſunt, ut ſedulo ſemper caveant, ne puris exitum in externis *Abſceſſibus*, *ulceribuſve* praemature nimis adſtringentibus cohibeant, quin imo faciliorem quoquo modo reddant, praeſertim ſi *dyſenteria* hujuſcemodi ſucceſſerit. Verum in utriſque etiam hiſce caſibus, Inteſtinorum laborantium curatio non omnimode negligenda eſt, etiamſi ad univerſalem humorum evincendam labem incumbere praecipue Medicus debeat. Clyſteres ideo ſaepe injiciantur, qui laxantem & detergentem ſimul vim habeant; neque a congrua *purgatione* abſtinendum penitus erit, ſi maximi Inteſtinorum infarctus ſuſpicio emergat: dummodo blanda adhibeantur remedia, quae graves non excitent ſtimulos. *Dyſenteria* tamen magis familiaris (ſi epidemicas excipiamus aeſtivo praeſertim fervidiore tempore, aut Autumno graſſantes, aliaſque a pravo victus regimine ortas) illa eſt, quae *Jecinoroſis* aut *Lienoſis* contingere ſolet, aut poſt ſpeciales quoslibet morbos, qui ab *Hepate* aut *Liene* mediate, ut dicimus, aut immediate originem ſortiantur. Siquidem raro admodum *dyſenteria* ſolitaria, exeſis ſolummodo Inteſtinorum membranis, abſque alterutra ex ſuperioribus cauſis evenit; & ſi unquam iſta fit, neque adeo contumax eſt, ſolis remediis, quae Inteſtina affecta rite reſpiciant, curari facile utplurimum ſolet: illis nempe quae ipſa leniant, detergant & roborent; id quod iterati ſolummodo Clyſteres praeſtant. Si autem in *Lienoſis dyſenteria* accidat, praeſto nobis ſemper ſit Divini Senis effatum illud (152) *Dyſenteria, quae lunga non ſit, Lienoſis utilis*. Plerumque enim *Criſis* loco habenda eſt, eamque ideo praemature compeſcere periculoſum evadit. *Ea enim deſinente in hydropes, vel lienterias, lethale eſt*. Quamobrem adſtringentia quaeque ſero, & caute admodum praeſcibere oportet, cum utplurimum *dyſenteriam* non curare tunc melius ſit, ideoque illa tantum praeſcribenda ſint remedia, quae inteſtinales affectas fibras abluant, emolliant, atque detergant, ne ulcuſcula ibidem ſuboriantur, quae, ut paſſim evenit, contumaciſſimum efficiunt morbum & magis periculoſum.

CXIV. Non abſimili ratiocinio in *Hepaticis* utendum eſt, quoties *dyſenteria* laborent. Hujuſce morbi duplex ſpecies plerumque attenditur. Prima eſt, dum ab acriori bile, aut ſalſa lympha in *Hepate* ſecreta originem habet, tunc cum ad Inteſtina defertur, ibidemque mora m diutius

(152) *Hippoc. in Coac. lib. 6. Sect. 2. n. 42.*

diutius agens, illa eo uſque irritat & mordicat, donec, minimis exeſis vaſculis, ſanguis cum torminibus identidem prodeat, comitante febri, quae ab ejuſdem bilis aeſtibus atque ſtimulis excitatur. Neque mirum cuipiam ſit, quod a ſola acriore bile hujuſcemodi *dyſenteriae* principium deducamus. Siquidem *faecundiſſima morborum mater eſt bilis ultra conſuetum acrior* (153) ...... quae ideo *per inteſtina oberrans*, *colicas ibidem acerrimas excitat*, *quas ideo bilioſas vocant*, *efferoſque teneſmos*, *& diarrhoeas*, *quibus contumaces dyſenteriae ſuccedunt*, *ſi a mucco inteſtinali imbibitus*, *& remoratus erodens hic liquor*, *fixam ibidem eligat ſedem ad fodicationes ſuas circumpoſitis tunicis commodius*, *& validius indendas*. Hinc videre eſt cur *dyſenteriae* graviores contumacioreſque iſtae poſt tertianas pernicioſas febres Aeſtate, & Autumno ſubſequi utplurimum ſoleant. Altera *dyſenteriae* ſpecies illa eſt, quae *Hepaticos* excruciat, quoties a ſuppuratis in *Jecore tuberculis* aut *Abſceſſibus* purulentus ichor emanans, Inteſtina ſubinde pervadit, atque acri & corrodente vi ſua ipſa exedit, pungit, aut quomodocunque lacerat. Utraſque *dyſenterias* haſce graphice admodum deſcripſit Jacotius (154). Ipſe enim quoque novit, quod eae *interdum ortum habent ab abſceſſu rupto in ſuperioribus partibus*, *ex quo pus effuſum*, *& putredine acrius redditum inteſtina exaſperat & abradit*: *interdum vero a Pituita ſalſa*, *aut bile acri*, *aut utriſque ſimul*; *quae initio inteſtinorum muccum tantum*, *mox pinguedinem illis adhaereſcentem exiguo cruore perfuſam abradunt*, *& in excrementis repraeſentant*: *progrediente malo interiorem etiam Inteſtinorum tunicam exulcerant*, *cujus pelliculae & fibrae dejectionibus permixtae apparent*: *tandem vero altius penetrante*, *& depaſcente ulcere*, *ipſam carnem*, *propriamque inteſtini ſubſtantiam putrem & exeſam ſimul educunt*: quod extremum eſt hujuſce aegritudinis.

CXV. Praegreſſi itaque morbi ratio habenda primo eſt, ut *dyſenteriae* occurrentis ſpeciem diſtinguamus. Etenim, ſi in acuta febre, praevia *Hepatis* qualibet *ſuppuratione*, *dyſentericus* fluxus iſte appareat, tutum erit aſſerere, ipſum a purulentis ichoribus ab *Hepate* ſecedentibus procedere. Magna autem bilis exurentis copia in hiſce morbis prodiens pro potiſſima eorundem cauſa haberi debet. Hinc ideo fit, quod prout major aut minor fuerit bilis copia, aut ſanioſi ichoris ab *Hepate* venientis, atque magis, minuſve acri vi praediti ſint pravi humores illi: *dyſenteria alia acutior ſit &* (155) *celerior*, *alia tardior*. *Et quae acutior*, *febrem acutam conjunctam habet*, *excrementa ſtatim bilioſa pinguia*. *Alia eſt ſine febre*, *aut cum ea quidem ſed levi*: *excrementa vero non ita acria*. *Illa cum gravibus torminibus*, *doloribus & vigiliis*: *haec citra haec*, *aut multo leviora*. *Nam in dyſenteriis nonnunquam atra*, *nonnunquam flava bilis meraca excer-*

(153) *Bianchi Hiſtor. Hepat. part.* 2. *cap.* 9. *n.* 4.
(154) *Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib.* 6. *Sect.* 2. *n.* 40.
(155) *Hollerius Com. ibidem.*

excernitur, fervens, deſpumans, acris, interdum aquoſa & mucoſa. Hac itaque poſita hujuſce *dyſenteriae* utriuſque idea, facile erit intelligere, cur *dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa abſceſſum facit in lateribus, viſceribus, vel articulis.* (156) Hoc ibidem confirmat Hollerius, dum ait: *& quantum licuit cognoſcere experientia, alios vidi, ſuppreſſa intempeſtive dyſenteria, in Epilepſiam incidiſſe, alios in pleuritidem. Cuidam quoque, converſa materia ad manus, foedam denſamque ſcabiem leprae perſimilem puſtulis ſanioſis confertim invexit.* Non haec autem tantum, ſed innumera pene alia mala a ſuppreſſa perperam *dyſenteria* hac derivari omni jure poſſe, experientia teſtatur, atque ratio ipſa oſtendit. Sive enim acrior bilis, ſive ſanioſus ille, quem indicavimus, ichor *dyſenteriam* excitare comperiatur; quoties ad Inteſtina ipſi aditus praecludetur, in Hepatis anfractibus remorabitur, aut univerſam ſanguinis ſubeundo maſſam, hucque illucque per totum Corpus divagando, graves variaſque *ſtaſes* efficere poterit, plus, minuſve metuendas, pro affectae inde partis diverſa ratione. Adſtringentia itaque remedia omnia in ejuſcemodi *dyſenteriae* curatione damnari merito debent; ad quae ideo confugere tunc ſolummodo expediet, cum jam ſufficiens copia hoſtilis humoris prodierit, jamque ad declinationem vergere morbus videatur.

CXVI. Si ideo acrioris bilis nimia copia vigeat, a qua *dyſentericus* fluxus procedat, *emetico* ſtatim uti oportebit, potius quam *purgante*. Melius enim eſt, quod noxia bilis per ſuperiora, per breviorem nempe viam, praecipue ſi vomitus urgeat, educatur affatim, quam per inferiora; cum id tardius perficiatur. Inſuper, dum per ſeceſſum, ope *purgantis*, educitur, Inteſtina ipſa magis irritantur; cum vehementes inde ſaepe aeſtus excitentur, qui teterrima in hiſce circumſtantiis *ſymptomata* afferunt. Ideo, ſi ab *Emetico* averſentur Aegroti, ipſorumve ſpecialis conſtitutio obſtet, aut alia quavis de cauſa omittere illud expediat: aſſumpto *purgante*, ſtatim ſeri lactis, aut laxantis alterius potionis copioſos hauſtus identidem ipſis ſuadeo: quod fauſto tunc quidem eventu fit. Siquidem, dum *purgans* expeditam magis vi ſua reddit Inteſtinorum ſemitam, potiones ejuſmodi qua data porta ruentes, irritatas eorundem tunicas leniunt, abluunt, atque blande detergunt. Verum Ypecaquanae radix in hujuſcemodi curationibus prae caeteris commendari debet. Illa porro, tum vomitum promovendo, bilioſum facile humorem educit, tum Inteſtinorum etiam tubum pervadens, peculiari vi ſtiptica, qua pollere maxime creditur, affectis ipſorum membranis *ſpecifice* medetur. Nec una vice tantum, ſed pluribus etiam, quoties contumax magis morbus ſit, ea uti opportunum erit. Ipſi tamen electuarium *Diaſcordeon* adjungere utiliter ſoleo, tunc cum ſtomachi vehementes paſſiones, aut Ventris tormina urgent.

Hiſce

(156) *Hippocrates in Coac. lib. 6. Sect. 2. n. 38.*

Hiſce vero praeviis auxiliis, ſi craſſior & tenax magis bilis una cum viſcidioribus aliis ichoribus excerni videatur, neque hinc morbus ſolvatur, ſatius utique conſilium eſſe puto, ad *Tettucianas* aquas confugere, quas ſequenti utplurimum methodo praeſcribere ſoleo. Primum binas aut tres uncias *Mannae* in libra ſemiſſem hujuſce aquae diſſolvi jubeo, pro potu diluculo ſumendo. Hinc quoties Alvus ſolvitur, libram unam circiter ejuſdem aquae potandam pleno hauſtu exhibeo, ſicque iterum iterumque, donec quatuor ſaltem libras ebiberint. Poſthac quotidie ſummo mane *Tettucianam* ſolam aquam ipſis praebeo ad libras quatuor vel quinque pro ipſorum tolerantia, donec morbus imminuatur, atque ad declinationem vere tendat. Quod ſi inanes ſaepe premitus (quod paſſim evenit) urgeant, una cum torminibus Ventris: laxantibus & attemperantibus Clyſteribus utendum eſſe moneo, iteratiſque etiam vicibus eadem die; Non neglecta *Stomatichâ* mixturâ noſtra. Dum haec non ſufficiunt, iterum *Mannam* cum eadem *Tettuciana* aqua exhibere poſt aliquot dies oportet, indeque ſimplicis ejuſdem âquae uſum, ut ſupra, quotidie denuo continuare. Mirum equidem eſt, quam tuto, quam utiliter *Tettucianae* âquae in hujuſcemodi *dyſentericis* uſurpentur, utpote quae viſcidiores hoſce bilioſos humores optime diſſolvunt, atque blande educunt, ſimulque minima, ſi quae adſint, in Inteſtinis, ulcera detergunt; fibraſque roborant, & firmant. Simplici hac methodo quamplurimos *dyſentericos* omnimode curatos a me fuiſſe, teſtari certe poſſum. Verum quia in *dyſentericis* hiſce fluxibus, praecipue cum diuturniores fuerint, Ventriculi Inteſtinorumque fibrae defatigantur admodum atque relaxantur: roborantia quoque uſurpanda ſunt. Inter haec Vinum malvaticum palmam caeteris praeripit, ni tamen dulce ſit: quod etiam in contumaciore *diarrhoea* utiliſſimum experimur. Illud enim non tantum collapſas, ob praegreſſum morbum, vires admodum reficit, ſtomachum refocillando: verum etiam inteſtinales fibras roborat, fluxumque refraenat, atque plerumque ſiſtit. Hoc ego ſaepiſſime expertus fui in *cholericis* omnibus fluxibus, maxime cum, ſive ob fibrarum nimiam irritationem, ſive ob nimiam inanitionem, *Lypothimiae* eveniunt, univerſumque refrigeratur corpus: quod in *Lypiria* febre frequentiſſimum eſt, prout in aliis conſtitutionibus fuſius indicavimus.

CXVII. Si tamen altera *dyſenteriae* hujuſce ſpecies occurrat, diverſa tunc uti methodo fas erit. Dum enim Inteſtina irritantur atque abraduntur a purulentis ichoribus, qui ab *Hepate*, aut ab aliis ſuperioribus quibuſvis partibus, ut diximus, ſeparantur, atque ad Inteſtina tendunt, ut prodeant: *Emetica* omittere ſatius eſt; praecipue quia in hiſce caſibus bilioſi vomitus non eveniunt, aut ſaltem inanes profſus fiunt. Inſuper ſanioſi illi ichores ſi ad ſuperiora vergant, pejora

adferre *ſymptomata* poſſunt; parteſque illae, quae pus in Inteſtina eructant, a violentis vomendi conatibus, vi *Emetici* excitatis, praetermodum patiuntur. Id circo, dum pus illud ſatis facileque tunc educitur per alvum, melius eſt Naturae ipſi totum opus committere, ſi hoc congrua ratione praeſtet. Gravia tamen, ſi urgeant, *ſymptomata* ſedare opus eſt. Fiunt haec autem maxime, ob violentiores ſtimulos atque corroſiones a praeterfluente pure in Inteſtinorum fibrillis occurrentes. Quamobrem lenientia quoque huic ſcopo ſatisfacient, quibus etiam detergentia mitiora adjungenda erunt. Irritatas ideo nimis fibras illas prae caeteris leniat Oleum amygdalarum dulcium identidem uſurpatum, dummodo in Inteſtinorum tubo diu nimis non conſiſtat, ut aceſcat, indeque acre redditum pejorem ibidem moleſtiam pariat: quod eveniſſe non ſemel obſervavimus. Quare, niſi tam cito educatur, Clyſteres adhibere neceſſarium & utile erit. Tenaciores autem ichores diſſolvent, atque detergent decoctiones Hordei, foliorum Plantaginis, Conſolidae, florum Ipperici, Chamaemeli, & ſeminum Lini, quibus aliquando modica Mellis doſis addenda erit, praecipue cum inchoata jam in Inteſtinis ulcuſcula ex propriis ſignis cognoverimus; id quod teſtantur permanentes diu in eadem parte acuti dolores, tum & ſecedentes Inteſtinorum minimae fibrillae, cum copioſo ſordidoque pure: quod haud raro evenit. Imminuta ſic puris excretione, atque declinante morbo, *Tettucianae* aquae in hoc etiam caſu convenient, una cum modica *Mannae* doſi, ut ſupra indicavimus, prima vice exhibendae. Iſtae enim laxatas a praetergreſſis ſanioſis ichoribus fibras mirum in modum reſtaurant, & firmant, ſalibuſque ſuis, minima, ſi quae adhuc reſtent, ulcuſcula detergunt, atque conſolidant. Attamen ab iſtarum aquarum uſu cavendum tunc merito eſſe puto, cum nimia ſanguinis copia per Alvum excernitur, atque de vehementioribus Abdominis doloribus Aegroti conqueruntur. Timendum enim hinc merito eſt, ne ab earundem ſalibus affectae partes nimium exaſperentur, minimaque Inteſtinorum vaſa eo magis, magiſque dehiſcant. Sane, cum iſta eveniunt, atque Corpus una contabeſcit maxime, Lactis uſus, ipſaque lactea congrua diaeta magis conveniet: dummodo nimia tenacioris ſanioſi ichoris copia prodire non videatur, nec valida vigeat febris. Adſtringentia tamen omnia peſſima ſunt, cum ejuſcemodi *dyſentericus* fluxus *criſis* loco a Natura ipſa promoveri ſaepe ſoleat, ad ſuperiores male affectas antea partes ſanandas: id quod praegreſſorum morborum commemoratio & ſcrutamen ſedulum teſtantur, quorum ideo certiores adamuſſim eſſe Medici debent, anteaquam, ut diximus, ſanandae *dyſenteriae* incumbant. Plerumque tunc tamen iterati ſaepe Clyſteres omnem operam adimplent, praecipue ſi ex decoctione Hordei, Ipperici, & Malvae, addito Melle roſato ſimplici parentur,

tur, ut puris exitum faciliorem reddant, atque occurrentibus *ſymptomatibus* ſuccurrant.

CXVIII. Utiles tamen magis & neceſſarii ſunt Clyſteres, quoties morbus inferiora praeſertim Inteſtina non longe a Podice excruciet; *Rectum* nempe, ubi ſub finem affectio iſta conſiſtere utplurimum ſolet. Hoc autem *eſt aliud dyſenteriae genus* (157) *& tenaſmum vocant, ob Recti Inteſtini ulcus eveniens. Ac caetera quidem ſymptomata dyſenteriae ſimilia habet, tentionis vero vehementia, dyſenteriam longe ſuperat.* Cum hoc accidit dejiciendi premitus indeſinenter Aegrotos vexant, cum ardore, & dolore: licet nihil fere educant. Tunc ideo tutior citiorque medela a Clyſteribus ſperanda eſt. Parantur ideo ex ſimplici decoctione Hordei, & florum Verbaſci, Sambuci, addito Melle roſato ſimplici, aut ſirupo de roſis ſiccis. Aliquando Terebinthus Vitellis ovorum diſſolutus immiſcendus cum ipſis eſt, & ſaepe etiam ad detergendum & conſolidandum ulcus, juxta indigentiam. Verum *balſamici* iſti Clyſteres fruſtra prorſus, aut modico tantum cum levamine injici a quibuſdam ſolent, quando ſuperiora tantum Inteſtina vere morbus obſidet, ad quae immediate non perveniunt injecti liquores, cum ſatis obſtet Inteſtini *Colon* valvula. Satius ideo tunc eſt, Terebinthum ſuperius una cum decoctionibus abſtergentibus propinare; ſicuti & de Melle diximus. Sanguinis emiſſio in hujuſcemodi *dyſenteriis* utplurimum inutilis & nocua evadit; niſi de plethoricis admodum agatur Corporibus. Plerumque enim Viribus tunc maxime deſtituuntur Aegroti; praecipue quia morbus iſte ex aliorum, ut ajunt, *decidentia* ſuboriri conſueſcit. Verum ſi *dyſenteria* haec ex acutis magis ſit, maxima comitante febri, caeterumque Juvenes Aegroti ſint, viribuſque ſatis valentes; venam tunc ſecare opportunum erit, quo modo depletis paululum vaſis, remanens ſanguis eorum parietes minus diſtendit, minuſque ideo momentum habet, quo in laceratas impingat partes, ne major ſanguinis effuſio eveniat. Aliae praeterea afferendae hic eſſent animadverſiones, quibus, juxta peculiares Aegrotorum conſtitutiones, morbique ipſius genium atque ſaevitiem, attendere debet Medicus, ut rationabilius opitulari ipſis queat. Hiſce autem ſuperſedere arbitror, cum ea prolixam nimis expoſcant diſſertationem, inſtituto noſtro repugnantem: maxime etiam quia impoſſibile prorſus eſt individuales illas omnes retexere circumſtantias, quae paſſim occurrere ſolent, Cliniciſque expertis quibuslibet Medicis optime patent, quotieſcunque ad Aegrotos hoſce accerſiti, ea omnia ſingillatim penſitare atque inter ſe mutuo conferre ſatis valent, ut ab iis, juxta indigentiam, congruum deſumere judicium, atque conſilium in arena, ut adagio fertur, capere opportune ſciant: ad quod ea omnia, quae ſupra indicavimus, haud incongrue

nec

(157) *Galenus de Symptomat. Cauſis.*

nec inutilia forſan evadent.

CXIX. Alia ultro pro hujuſce tractatus coronide dicenda hic breviter remanent de cruentis caeteris excretionibus, quae male affecto *Hepate*, aut *Liene* evenire non raro ſolent. Non enim tantum per Inteſtina, ut diximus, effluere ſanguis videtur, verum etiam per *Haemorrhoidales* venas, nec raro per nares, & etiam per vomitum, quibus addendus etiam eſt fluxus per Uterum, quoties extra periodum in hiſce morbis occurrit, & abſque ordine. Paucos, ac nullos pene invenies ex illis, quos *Hepaticos*, praecipue ob obſtructiones diximus, quibus *haemorrhoidalis* ſanguinis fluxus identidem non accidat, & potiſſimum Hyemali, aut Autumnali tempore, quando ob praepeditam maxime perſpirationem, aut alias ob rationes, univerſa humorum maſſa pariformiter mole augetur, atque vaſa undique plus aequo diſtendit, adeo ut facile dehiſcant, & ſanguinem effundant. Dehiſcunt vero in *Hepaticis* maxime *haemorrhoidales* venae, atque eo facilius, quo major eſt cum *Hepate*, quam cum aliis Viſceribus immediatus conſenſus. Ideo quotieſcunque, ob obſtructionem *Hepatis* praecipue, ejuſdem venae, quae *Portarum* propagines ſunt, ſummopere comprimuntur, illucque petenti ſanguini maximam reſiſtentiam praeſtant: ipſe dum mole aut aeſtu praetermodum in inferioribus ſimilibus vaſculis turget, neque adeo facilem ad ſuperiora aditum invenit, in illis tardius movetur, aut plus juſto conſiſtit, uſque dum impetum undecunque faciens, vaſa ibi dehiſcere cogat, ubi minus reſiſtunt: *haemorrhoidalia* nempe, a quibus tunc ſanguis effunditur. Porro in hiſce circumſtantiis provido admodum Naturae motu fluxus ſanguinis ejuſmodi promovetur, qui pejora ab *Hepate* avertere mala paſſim conſueſcit. Ad haec ſano utique raticinio attendunt illi, qui in *inflammationibus*, aliiſve *Hepatis* morbis (dum copia ſanguinis, aut excitatus inde tumultus adeſt) ipſum ab *Haemorrhoidalibus* educere ſatius utiliuſque arbitrantur. Secus vero fluxum hunc a Natura ipſa promotum in *Hepaticis* cohibere piaculum eſt; cum hinc pejores in *Hepate* aut in aliis ſuperioribus viſceribus *ſtaſes* derivari queant, quae ad *Hydropem* aut *Tabem*, aut ad alios graves morbos perquam facile perducant. Hac potiſſima fortaſſe de cauſa Divinus Senex ſtatuit (158) quod *a diuturnis ſanato haemorrhoidibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt aquam inter cutem, vel tabem advenire*. Sciſcitari itaque ſedulo ab *Hepaticis* hiſce Medici debent, anteaquam curationem praeſidiis aliis inſtituant, num alias *haemorrhoidali* huic fluxui obnoxii fuerint, ut illum iterum promoveant, ſi ab aliquo tempore deſit: praeſertim in Plethoricis. Animadvertendum hic tamen eſt, quod ſi a deficiente, aut praepropere nimis ſuppreſſo *haemorrhoidali* fluxu, *Hydropes*, alioſve morbos in *Hepaticis* ſuboriri omni

jure

(158) *Hippocr. Sect.* 6. *Aphor.* 12.

jure poſſe ſtatuimus: haud unquam inficiabimur, fluxum eumdem, dum modum, juxta affecti corporis ſpecialem conſtitutionem, excedit, iiſdem facilius morbis anſam praebere poſſe; quod experientia ipſa multoties evincitur. Nam (159) *urgente poſtea diutius fluxu, pedes circa malleolos intumeſcunt, facies item & oculi, color illius fit luridus, ac plumbeus, ſpiritus arctius meat, & poſtremo in cachexiam, hydropem, & hecticam febrem fit tranſitus*. Si haec vero ab immoderato illo fluxu in ſanis caeteroquin antea Corporibus evenire comperiuntur, eo potiore profecto jure in *Hepaticis* contingent. Hinc merito doctiſſimus idem Hoffmannus ibidem ſic ſtatuit. *Exitialis haemorrhoidum excedentium eventus certius imminet, ſi tumor Hepatis, vel Lienis, Hypochondriorum inflammatio, cum Alvo adſtrictiore, incipiens Cachexia & Hydrops, morboſam hanc ſanguinis effuſionem induxerunt*. Siquidem timendum hinc eſt, quod adeo comprimantur a praeexiſtentibus *hypochondriorum* tumoribus ſuperiores venae *Portarum* propagines, ut in inferioribus ejuſdem tubulis praepeditus ſanguinis pari ratione motus evadat, ipſeque qua data porta ruens, per ſedales venas copioſe admodum profluat; unde *priora mala ingraveſcunt, obſtructiones increſcunt, & obfirmantur* &c.

CXX. Non minorem utique expoſcit indaginem cruentus vomitus, qui malas *Hepatis Lieniſve* affectiones comitari aliquando ſolet, non ſecus ac de *haemorrhoidali* fluxu diximus. Vomitus hujuſcemodi propria plerumque habet ſigna, quae Expertiſſimus Baglivius (160) ſic recenſuit. *Signa quando venit ex hypochondriis, potiſſimum Jecore, ſunt palpitatio hypochondrii, dolor, ardor, tenſio, ſigna obſtructionum, color ſubflavus viridis in facie, aut reliqua cuti, palpitatio caeliacae, aut umbilici. Vomunt ſanguinem nigrum, non vero ſpumantem, motus ſanguinis ab hypochondrio venientis manifeſto perſentitur, & ſurſum aſcendere manu percipitur*. Praeterea vomitum hunc utplurimum praecedunt anxietates maximae & animi defectus, ob nimiam vaſorum circa Ventriculum diſtenſionem, a turgeſcente ibidem, & mox effluxuro ſanguine, neceſſario ſuborientes. Cruenta haec excretio nunquam fauſti prorſus ominis eſſe poſſe, ab omnibus creditur, praeſertim ſi hippocratica ſpectetur ſententia (161) *Sanguis quidem ſupra qualiſcunque fuerit malum*. Minus infauſti tamen praeſagii, atque quandoque *criſis* loco in *Hepaticis* haberi merito poteſt, ſi de *Plethoricis* agatur Corporibus, in iis maxime, qui ſedentariam utplurimum degunt vitam, optimiſque cibis, meracioribuſque vinis aſsueti ſunt; eoque magis ſi conſuetae deſint *haemorrhoidales* excretiones, vomituſque ille cruentus non affatim, non magna in copia, ſed moderate, atque poſt diuturna

(159) *Frider. Hoffm. tom. 4. part. 2. Sect. pr. cap. 4. n. 8. & 9.*
(160) *Baglivius de raris affect. Jecoris.*
(161) *Hippoc. Sect. 4. Aphor. 25.*

diuturna intervalla tunc habeatur; cum vehementes animi praeceſserint paſſiones, aut imminuta maxime quavis de cauſa perſpiratio fuerit, unde ſanguinis nimius aeſtus aut turgentia emergat. In hiſce enim circumſtantiis timendum magis eſset ab interna vaſorum diſruptione, & effuſione ſanguinis in affectis caeteroquin *Hypochondriis*, quam a vomitu illo cruento, dummodo cum moderamine fieret; atque tunc adſtringentia ſtatim adhibere nefas eſset, maximeque periculoſum; cum attemperantia quidem, nimioſque ſanguinis aeſtus ſedantia potiore jure conveniant; id quod eo magis attendendum eſt, dum vomitus iſte deficientium menſtrualium purgationum vices quoquo modo gerere cognoſcitur. Non abſimili ratiocinio fauſti utique ominis (ſi antedictae praeiverint circumſtantiae) haberi poteſt in affectibus hiſce *Hepatis Haemorrhagia larga ex nare dextra*, quam inter alia coctionis ſigna in *Hepatitide* indicat (162) Celeberrimus Boerhaavius. Attamen, ſi de diuturnis iiſque maximis *Hepatis* obſtructionibus agatur, a quibus *cachecticus* proficiſcatur habitus, ad *Hydropem* quam proxime tendens, viribuſque deſtitutus ſit Aegrotus: peſſimum imo lethale adfert praeſagium cruentus ille vomitus, quem gravia ſequuntur alia *ſymptomata*. Etenim, ut Praeclariſſimi Hoffmanni verbis utar (163) *Si febris jungitur, ſi ſanguis corruptus, graveolens & niger prodit, ſi ex magno & corrupto Liene, vel indurato Hepate proficiſcitur, animique tandem jungitur defectio, ſummum adeſt periculum, & mortem proximam jam portendit. Longe gravius longeque certius eſt periculum, ſi, uti ſubinde accidit, vomitui cruento, nigra & pici ſimilis eaque graveolens alvi dejectio jungitur. Haec enim ſubitum utplurimum denuntiat interitum, ipſius Hippocratis teſtimonio, qui ſub morbi nigri nomine hanc paſſionem deſcribit.* Siquidem tunc non Ventriculi tantum ſed & Inteſtinorum vaſa dehiſcunt, copioſeque nimis, atque peſſimae indolis ſanguinem eructant, qui acri vi ſua continentes membranas ubique irritat, mordet, atque ad lethalem *inflammationem* diſponit.

CXXI. Haec autem ea ſunt, quae circa *Hepatis* praecipuos morbos proponere in praeſens potui. Quod ſi alia in poſterum mihi evenient obſervatu digna adeo, ut materiam hanc illuſtrare magis valeant, aut ab aliis mihi communicata ſint: hiſce ea libenter addam, dum ſubſequentes alias conſtitutiones pro aſsumpto meo deſcribam.

SECTIO

(162) *Boerhaav. Aphor. de cur. morb. n.* 923.
(163) *Frid. Hoffman. tom.* 4. *part.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 3. *n.* 15. 16.

SECTIO TERTIA

CAPUT PRIMUM

Conſtitutio Epidemica Annorum 1738. 1739. 1740.

CXXII. PLuvioſo ut plurimum evadente Coelo circa Autumnale Aequinoctiū praedicti anni 1737., atque Hyemale ſubſequens Solſtitium (cum auſtralis plerumque vigeret conſtitutio) brumales tunc raro, & leves admodum patiebamur rigores. *Anginae* ideo *lymphaticae*, *Pleuritideſque* ejuſdem indolis, raro *ſanguineae* Ruſticos praecipue, & Plebejos tunc corripiebant, illoſque maxime, qui Aeris injurias evitare minus poterant. Aſt fauſto perſaepe eventu morbi iſti ſolvebantur. Quamobrem pauci ex Civibus, aut Nobilibus infortunium hoc ſubibant, Senes excipiendo, illoſque ſpeciatim, qui *habituali*, ut ajunt, labe qualibet Pectoris aliunde detinebantur, unde facilius Auſtro dominante, Hyemis tempore, analogos hoſce pati morbos ſaepe alias conſueverant. In hiſce autem nihil ſpeciale obſervatu vere dignum, (praeter ea, quae in aliis conſtitutionibus noſtris exarata fuſius ſunt) attendere potuimus. Praeter hoſce, appropinquante Hyemali Solſtitio, illi ſolummodo aegrotabant, qui terque quaterque contumacioribus Tertianis, ope praeſertim *febrifugi*, aut aliter ſolutis, correpti fuerant, quibus tunc denuo vexabantur. Mitiores tamen quam antea febres iſtae erant, noſtraque methodo iterum edomatae poſthac non amplius recrudeſcere videbantur.

CXXIII. Initio anni 1738. Conſtitutio Auſtralis in Borealem commutari paulatim coepit, quae ad Vernale aequinoctium fere perduravit. Tunc temporis ſalubre Coeli temperie fruebamur, & pauci aegrotabant. Verum paulo poſt Vernale aequinoctium Auſtralis iterum dominabatur conſtitutio, ſaepe cum nebulis, & pluviis: quare humidus maxime Aer erat, atque parum frigidus. Idcirco, Auſtro ſaeviente *Pleuritides* plurimae graſsabantur, ac praeſertim *ſanguineae*, quae ut plurimum Plebejos corripiebant, alioſque etiam qui Pulmonum quavis ſpeciali labe detinebantur. Hoſce praecipue ideo tunc Pectoris morbis affici ſic putabam, quia nova ipſis adnaſcebantur Pulmonum *tubercula;* quae poſtea, dum aut ad *ſuppurationem* tendebant, aut ad *reſolutionem*, facilis judicatu magis, aut fauſti ominis morbus erat. Hujuſcemodi Aegrotos quamplurimos noſco ad Pulmo-

narem *Phthyſim* a plurimis annis, abſque praevia *Emophtoe* tendentes, qui de *ſolitariis* hiſce Pectoris doloribus circa ſpurias utplurimum Coſtas ex alterutro latere ſaepiſſime conqueruntur, praeſertim in ejuſmodi Aeris temperie, tunc cum & tuſſi divexantur, una cum ſemiputridis ſalſis ſputis, aliquando ſanguine intinctis, accedente inordinata levi febre in veſperis plerumque invaleſcente, quae, benignam *catarrhalem* aemulando, ad breve tempus protracta, congrua *diaphoreſi* omnimode ſolvitur, aut purulento exſcreatu, ſi *ſuppuratio* praeceſserit. Poſteaquam vero convaluerint, in analoga Coeli temperie, ſimile iterum infortunium facile ſubeunt, quare omnimode convaleſcere nunquam videntur. Etenim, dum Sani caeteroquin videntur, dolor ille *ſolitarius* ad Coſtas identidem ipſos excruciat, praecipue dum Aeris conſtitutio extemplo commutatur Hyemis tempore, aut Vere; tametſi febre omnimode careant, eaque tantummodo abſque ordine tunc corripiantur, dum morbus invaleſcit, graviora que praedicta emergunt *ſymptomata*. Morboſae viciſſitudines iſtae non equidem melius explicari meo judicio poſsunt, quam ab ortis identidem in Pectore *tuberculis* illis, iiſque modo per *ſuppurationem*, modo per *reſolutionem* deſinentibus, donec iterum pari dominante conſtitutione ſuccreſcant: id quod raro admodum Aeſtivo tempore evenire conſueſcit. In hiſce vero timendum jure meritoque eſt, ne ob iteratas toties *recidivas* ulcus ſordidum in Pulmonibus efformetur, quod inſuperabilis ideo *Phthyſeos* principium adferat. *Phthyſes* ejuſmodi illae ſunt, quae tunc ſolummodo a Medicis agnoſci ſatis ſolent, cum jam morbus ad ſummum quam proxime vergit, ideoque nullam prorſus admittit curationem. Utplurimum enim prima & remota earundem ſemina, cum levia praeſeferant *ſymptomata*, ad *catarrhalium* ſimplicium morborum claſsem vix reducuntur, & ſperni turpiter ſolent; dum caeteroquin omnem ſolicitamque Medici operam expoſtulant, ut ejuſcemodi principiis opportune proſpiciendo, gravior morbi ſtatus avertatur. Ideo, dum Aegroti iſti mihi traduntur curandi, fruſtra timere potius, quam temere ſperare amans, non tantum praeſentibus *ſymptomatibus* obviam ire ſedulo ſatago, verum etiam futura perſcrutari a longe, iiſque praemature proſpicere. Quamobrem, dum *ſolitarii* illi ſupradeſcripti Pectoris dolores in allatis circumſtantiis occurrebant, congruaque aderat *Tuberculorum* ſuſpicio, quae ad *reſolutionem* tendere viderentur: totum plerumque Naturae ipſi negocium committebam. Vigente tamen febri ſanguinis congruam emiſſionem non omittebam, eamque iterabam etiam in *Plethoricis* Corporibus. Copioſum uſum calentium pectoralium potionum laudabam, non neglecta univerſali *perſpiratione*, ad quam promovendam ſedulo ſtudere Aegrotos jubebam. Cum vero putrida, ſemiputridave, ut dicunt, ſputa apparere inciperent, aliave ratione *Tuberculorum ſuppurationem*

rationem agnoſcerem: Balſamica ſtatim una cum demulcentibus potionibus dictis, & vulnerariis uſurpanda eſſe monui: idque fauſto equidem eventu. Inter Balſamica ſemper *Balſamum de Copaiba* toties laudatum ſelegi, cujus admirabiles vires tum in hiſce, tum in caeteris Pulmonum morbis, aliiſque internis laeſionibus, ſpeciali diſſertatione data opera quamprimum retexere in animo habeo, varios ejuſdem uſus indicando, & ſigna tutiora omnia, quae genuinum *Balſamum* hoc a fictitio, aut quavis arte adulterato diſtinguant: ad quod non Pharmacopola quilibet (uti audacter aliqui ſibi praeſumunt) ſufficere equidem poteſt.

CXXIV. Sub Vergiliarum ortum, tunc cum varia pluvioſaque erat Aeris temperies, parumque frigida, Tertianae ſpuriae febres graſſari coeperunt, quae diuturniores erant, conſuetiſque *cardialgicis* paſſionibus carebant: unde *catarrhalium* naturam vix ſapere videbantur. *Epicratica* Alvi *purgatio*, alias indicata, tuto illis opitulabatur utplurimum, & facile. Illi vero qui *febrifugo* ſub finem Junii uſi fuerant, *recidivas* plerumque patiebantur. Caeteroquin Julio ſequente menſe pauci aegrotarunt. Dum varia admodum, humidaque ac parum calida Aeris tempeſtas diu tunc dominabatur, perſpiratio minor aequo evaſit. Quapropter, ingruente affatim ſummo calore initio Julii, eoque ad finem uſque Auguſti fere indeſinenter protracto; Ineunte Auguſto plurimi graveſque graſſabantur morbi, illique maxime, qui a ſanguinis nimia copia & aeſtu ſuboriri ſolent. Ejuſcemodi fuerunt *Haemorrhagiae* Narium, Acutae febres, Pectoris *ſanguineae* variae *ſtaſes* cum Pulmonum *ſuppurationibus*, aliaeque hujuſce indolis aegritudines, quae *Plethoricos* praecipue infeſtare facilius conſueſcunt. Verum morbi iſti raro tunc gravibus adeo *ſymptomatibus* ſtipabantur, ut ad interitum tenderent. Infauſti contra exitus evaſerunt ut plurimum *Variolae confluentes*, ſic dictae, quae Puerulos tunc maxime *epidemico* more divexare coeperunt: *Variolae* iſtae illis ſpeciatim lethales evadebant, in quibus cruda copioſaque diarrhoea ſaepe cruenta in ſummo morbi conflictu occurrebat. Paulo poſtea enim refrigerari undique videbatur Corpus, evaneſcebant depreſſae extemplo puſtulae flavum tunc ichorem continentes; inde ex Naribus faucibuſve ſanguine effluente, Aegroti poſtmodum moriebantur. Inter hoſce eos tutius faciliuſque evaſiſſe novi, qui ſimpliciori methodo curati fuerant. Si de ſucciplenis agebatur Corporibus, utilis admodum erat congrua ſanguinis emiſſio, quae ante puſtularum eruptionem celebrari merito debebat, non autem poſtea, cum tunc rationi minus conſona evaderet, ideoque omnem mereri laudem haudquaquam poſſet. Praeterea optimum ſemper tutiuſque conſilium arbitratus fui, ipſi Naturae praecipuum opus committere, id ſolummodo animadvertendo, quod ſatis cooperti in lectulis decumberent Pueri, ne perſpiratio quidquam cohiberetur:

tur: unde laxantes attemperanteſque, & aliquando diaphoreticas, juxta variolarum progreſſum, potiones calide ſumendas ſaepe ipſis indicabam. Interim, niſi Alvus diu adſtricta penitus eſſet, a Clyſteribus ipſis, eoque magis a *purgantibus* omnibus cavendum eſſe arbitrabar, ne providos Naturae motus perverterem: quod ſicuti in acutis aliis, ita & in hiſce ſpecialiter morbis attendere praetermodum intereſt. Adſtrictae vero Alvo lenientia tantum, cum moderamine uſurpata, commode ſuccurrebant. Secus, Alvo nimium fluente, una cum conſuetis paſſionibus Ventriculi, aut torminibus ventris, mixtura *ſtomaticha* noſtra toties commemorata opem omnem adferebat. Hac autem methodo res mihi pro votis utplurimum feliciter ceſſit: quod ſecus aliis evenit, qui multiplici tunc remediorum ſelectu gaudebant. Tanquam inconcuſſum enim penes me ſemper erit, in hujuſcemodi variolis, Medicos omittendo magis, excubiaſque, ut dici ſolet, agendo tantum ad *ſymptomata* occurrentia edomanda, potiuſquam aliter, vere utiles evadere poſſe; quidquid aliiin oppoſitum ſentiant, qui fauſtos aliquando Variolarum exitus obſervantes, id methodo propriae tribuunt. Verum cum materiam hanc fuſius pertractare alias in animo habeam, reliqua circa haec ratiocinia nunc omittere ſatius exiſtimo. Satis pro nunc ideo ſit indicare, quod Variolarum conſtitutio iſta initio Auguſti inchoata uſque ad Hyemale Solſtitium maxime in Pueris graſſata eſt, indeque non procul a Vernali Aequinoctio ſequentis anni 1739. omnimode evanuit.

CXXV. Sub finem Auguſti febres Tertianae pernicioſae plurimae Juvenes praeſertim atque Viros corripuerunt, quarum non paucae gravioribus ſtipatae *ſymptomatibus* ad *Lypiriam* pronae erant. Nihilominus conſuetae methodo noſtrae facile auſcultabant. Non procul ab Autumnali Aequinoctio, dum aeſtivus calor pene evanuerat, humida ac paululum frigida Aeris temperies ſucceſſit, quae eadem prorſus permanſit uſque ad Vergiliarum occaſum, maxime quia pluviae ſaepe decidebant, ac plerumque Nebulis ſcatebat Aer. Verum tunc nulli fere graſſabantur morbi, ſi variolas ſupra deſcriptas excipiamus, atque Tertianas febres, quibus ii praecipue laborabant, qui earundem *recidivas* paſſi multoties fuerant: iiſque paulo poſtea Quartanae ſucceſſerunt. Verum, cum de Tertianarum *recidivis* inciderit iterum ſermo, praeter alia ſupra enarrata, animadvertendum hic merito eſſe exiſtimo, ipſas toties illis etiam contigiſſe eodem tempore, quo *Chinae Chinae* uſum omnimode nondum deſeruerant, prout etiam alias obſervaveram. Hinc videre eſt quantum a veritate aberret quorumdam Medentium ſcrupuloſa nimis opinio, dum certo certius arbitrantur, ad avertendas magis Tertianarum recidivas *Chinae Chinae* uſum ad diuturnum admodum tempus protrahendum eſſe, id quod, veluti inviolabile

bile praeceptum, ſancitum penes ipſos eſſe, ſemper depraedicant, atque ſervari ſedulo debere jubent. Mehercle, ſi diu protractus *Chinae Chinae* uſus *recidivas* avertere tuto poſſet, iſtae equidem nunquam tunc contingerent, cum quiſpiam adhuc *febrifugum* aſſumit, atque caeteroquin congruam vitae rationem in omnibus adamuſſim ſervat. Quod cum ſecus eveniat, idque difficilius, quotieſcunque juxta methodum noſtram, dum febris *febrifugo* evincitur, ejuſdem ſimul cauſa remediis aliis deſtruitur; rationi conſonum eſſe protinus exiſtimo, quod neceſſarium haudquaquam ſit, diu adeo *China China* uti, ad praecavendas *recidivas*: dummodo, cum ratio morbi poſtulet, ſufficiens illius doſis uſurpetur. Quod autem ad *febrifugi* doſim ſpectat, multiplices adeo circumferri opiniones ſolent, ut quidpiam certi ſtatui non poſſe videatur: maxime quia congrua habenda ratio eſt morbi, Aegrotorumque, tum & ipſius vis remedii; quod utique noſtro hoc aevo minus efficax eſſe deprehenditur, quam tranſactis temporibus, quando *Peruvianus Cortex* genuinus magis ad nos tranſferri, citiuſque atque in modica admodum doſi agere ſolebat. Duas plerumque ego hujuſce *febrifugi* uncias, atque ad ſummum tres neceſſarias eſſe pro edomanda febri, toties expertus fui. Eaſdem in minores alias plurimas doſes ſubdivido, pro Aegroti tolerantia & morbi vi, eas primo ſaepius, vigente febri, mox rarius, ea devicta, aſſumendas eſſe ſtatuens, identidem poſtea nempe, ita ut decem aut duodecim ſaltem dierum intervallo tota doſis penitus abſumatur; neque poſthac ea amplius utendum eſſe exiſtimo, donec iterum febris recrudeſcat: dummodo tamen ab iis omnibus abſtineant Aegroti, quae morbi cauſam fovere, augere, aut expergefacere valeant: eaque uſurpentur ſedulo, quae ipſam radicitus deſtruant; prout tam in aliis, quam in hiſce etiam conſtitutionibus noſtris ſatis ſuperque oſtendimus. Nollem tamen hic, quempiam deducere, me ideo a fruſtraneo *Chinae Chinae* uſu abhorrere, quia ex illis ſim, qui putant, febris materiem in corpore ab ipſa figi, maximaque inde damna emergere facile poſſe. Hujuſcemodi enim ſententiae nunquam acquievi, id ſolummodo ratus, quod moleſtia Aegrotis imminuatur, ut ea diutius quam par ſit non utantur, dum hoc neceſſitas non poſtulat; Nam ſatis eſt praeſidia alia non negligere.

CXXVI. Toto Novembri menſe uſque ad Hyemale Solſtitium, miti ingruente frigore, incolumes communiter vitam traduximus, dum Ruſtici tantum & Plebei, iique pauci etiam *catarrhalibus* variis morbis, acutiſque Pectoris praecipue, detinebantur. Fauſto aeque omine initium ſubſequentis anni 1739. nobis evaſit. Nulli enim tunc fere aderant morbi. Interea raro brumales rigores perſenſimus, cum varia utplurimum, pluvioſaque eſſet Aeris conſtitutio uſque ad Vernale aequinoctium, quae etiam ad Vergiliarum ortum protracta fuit. Nonnullas

nullas tunc *petechiales* febres, mali, ut, ajunt, moris in Noſocomio ſpecialiter habuimus, Nobileſque & Cives caeteri proſpera omnino valetudine fruebantur. Poſt Vergiliarum ortum immoderato affatim calore Aer ferbuit, cum raro pluviis madeſceret tellus: nec abſimilis fuit Aeris conditio uſque ad Autumnale aequinoctium. Tunc *Synocchae* plurimae & *Ephemerae* dominabantur, fauſti quidem exitus, minorque admodum quam caeteris Annis fuit numerus Tertianarum febrium, quarum pleraeque ſpuriae erant, contumaceſque, ac pluries recrudeſcentes; nullaeque ex hiſce ad *Lypiriam* migrare viſae ſunt. Ab Autumnali aequinoctio ad Vergiliarum occaſum pluvioſum ſaepe fuit Coelum, ac paulo poſtea rigidior ſaevire bruma coepit, ſereno Aere, qui iterum initio Decembris humidus maxime atque nebuloſus fuit, decreſcente frigore: unde temperata admodum Coeli conſtitutio uſque ad Hyemale Solſtitium evaſit. Tunc temporis pauci ac nulli fere aegrotarunt, illique tantum, qui ab Aeſtivis recrudeſcentibus morbis detinebantur. Prope Hyemale Solſtitium *Pleuritides* aliquae acceſſerunt, *Lymphaticae* praecipue ſimplices, atque *Lymphatico-bilioſae*, iſtaeque in Ruſticis atque Plebeis tantummodo utplurimum ſaeviebant, dum plerique alii incolumem degere vitam viſi ſunt.

CXXVII. Ineunte Anno 1740. eodem modo *Pleuritides* aliquae graſſabantur, quae utpote mitioris indolis conſueta methodo noſtra facile evaneſcebant. Tunc aquilonia vere rigidaque admodum incoepit Coeli tempeſtas, quae uſque ad Vernale aequinoctium indeſinenter ſaeviens protracta eſt. Raro ſiquidem apparuerunt nubes, eaeque tunc ſolum, cum Nivibus identidem obducebatur Tellus. Nihilo tamen ſecius pauci aegrotare viſi ſunt, ac dumtaxat Senes, quorum aliqui *Apoplexia* occubuerunt, aliqui *Arthriticos* dolores, aut *Rheumatiſmos* paſſi ſunt. A Vernali aequinoctio ad Aeſtivum ſolſtitium, humido ſaepe evadente aere, ac ſaepius flantibus aquilonaribus ventis, frigida ſed moderata magis Coeli temperies invaluit. Junio menſe *petecchiales* nonnullae febres graſſabantur in Plebeis praecipue & Ruſticis, quae per Alvum ſolvebantur facile. Calor ſubcrevit paululum ineunte Julio, mitis vero, cum varium plerumque eſſet Coelum. Tunc *Synocchae* & *Ephemerae* in Hominibus magis *plethoricis* haud magna in copia graſſabantur, quae copioſo ſudore ſaepe evaneſcebant nec raro in Tertianas immutabantur. Mitis quoque fuit Aeris aeſtus Auguſto menſe, ideoque pauci aegrotabant, iique Tertianis ſpuriis febribus detenti, quae in Ruſticis maxime ad *Lypiriam* tendere non raro ſolebant. Alii qui Pectore caeteroquin laborabant, tunc acrius dolebant, praecipueque illi, qui ad *Phthyſim* ab aliquo tempore vergebant, ut diximus n. 123. Calor autem eo magis magiſque praeter ordinem invaluit Septembri menſe, ſereno ſaepiſſime reddito Coelo, totoque Autumno maximus fuit Tertianarum

tianarum febrium pernicioſarum numerus, in Plebeis praeſertim & Ruſticis, quibus Noſocomium majus noſtrum omnimode tunc repletum fuerat. Paulo poſt Autumnale aequinoctium frigidus paululum evaſit Aer, atque in fine Octobris, dum rarius ingruebant nubes, ſaepiuſque aquilonares efflabant Venti, frigus adauctum fuit, iterumque humidam habuimus Aeris tempeſtatem, minuſque frigidam ineunte Novembri. Omnes fere tunc ſalubrem degebamus vitam; dum aliqui ab aeſtivis Tertianis *recidivi*, aut Quartanis vexabantur. Verum gravi afficiebantur moleſtia Juniores Sacrae Virgines plurimae, fervidis magis humoribus, nimiumque elaſticis ſolidis praeter modum praeditae, quibus vehementes *hyſtericae convulſiones*, variae indolis, ſaepe ſaepius tunc occurrebant. Cur autem in hiſce praeſertim conſtitutionibus *hyſtericos* ejuſcemodi morbos gravius illae frequentiuſque patiantur, ſuo loco fuſius alias demonſtrabimus, dum iſtarum affectionum morem, cauſas, miraſque tranſmutationes (propter quas a Diabolo, dum aegrotant, obſeſsae, aut divinitus ſanatae, dum convaleſcunt, facile nimis a quibuſdam praedicantur) caeteraque ad haec ſpectantia data opera in ſpeciali diſſertatione proponemus. *Hyſtericae* illae Juvenes graviter quoque eodem modo identidem laborarunt ſequenti Decembri menſe, dum ingruentes ſaepius nebulae, & pluviae frigidum humidumque reddiderunt Aerem. Caeterum tamen pauci aegrotarunt, inter quos alii *Pleuritide*, alii *Petecchialibus* febribus prehendebantur.

INDEX

Numeri Paragraphos denotant.

A

ABſceſſuum Hepatis ſuppuratio quibus ſignis dignoſcenda n. 28. 52.
—— *Puris effuſio in cavitatem Abdominis quomodo cognoſcenda, & quos effectus praeſtet n.* 28.
—— *Ad id ſpecialis obſervatio in Sp. D. Juliano Vacchello. Ibid.*
—— *Iſti variis modis extra ſe produnt, qui dum ſecantur plerumque infauſti evadunt ominis, & quare n.* 62.
—— *Cur varii etiam exitus evadant n.* 63.
—— *Qui a gravibus Capitis vulneribus proveniunt qua ratione fiant, tum & in Liene aut Pulmonibus n.* 64.
Adſtringentia in Dyſenteria, ab alicujus viſceris labe proveniente, caute uſurpanda ſunt, & ſaepe nocent n. 113. 115. 117.
Albertinus ex Comment. Academ. Bononien. citat. n. 19.
Amathyſtorum Operarii Cremonenſes quibus morbis, & qua ratione obnoxii ſint, & qua methodo curandi n. 80.
Apoplexiae binae obſervationes n. 7.
—— *Cauſa a ſanguinis tunc nimia copia &c. Ibidem.*
—— *Fiunt aliquando ob vaſorum diſruptionem n.* 8.
—— *A praecordiis aliquando oriuntur, & quare. Ibidem.*
—— *Si a nimia ſanguinis copia, aut aeſtu fiant praecipua ſpes in emiſſione ſanguinis, & ſpirituoſa nocent. Ibidem.*
—— *Quando ſpirituoſa conveniant, & quare n.* 9.
—— *Juvenibus, aut Senibus qua diverſa ratione eveniant. Ibid.*
—— *Contrariae aliquando cauſae n.* 10.

B

BIanchi Jo: Baptiſta laudatus n. 29. *& alibi pluries.*
Bilis quot morbos procreare poteſt n. 27.
—— *Acrior quae ſymptomata pariat, & quomodo Inteſtina ipſa corrodat, & ſanguineos fluxus pariat n.* 67. 75. 82. *& alibi.*

—— *Moleculae quod commodi nobis praeſtent ſanguinem diſſolvendo &c. n.* 73.

—— *Copia aut prava qualitate, aut utroque modo peccans quot morbos progignat n.* 74. 75. 76. 77. 78. 79. *&c.*

—— *E folliculo Fellis tranſudans Inteſtina irritat, & Colicas parit n.* 77.

—— *Haec ſive nimis copia abundans, ſive acrior facta contumaces Hypochondriorum morbos progignit n.* 83.

—— *Secretio quotuplici ratione in Hepate deficiat n.* 94. 95. 96.

—— *Copiam, quae ſingulis diebus in ſano Corpore ſecerni debeat, indicare tuto nemo poteſt. Ad hoc confert maxime peculiaris obſervatio ſolertiſſimi Tacconi n.* 95.

—— *Secretionis congruae defectus quae mala adferat n.* 97.

—— *Plus aequo craſſa, viſcida, aut tenax, quae ſymptomata excitet n.* 101.

—— *Acrior ex ſe ſola Dyſenteriam cur producat n.* 114.

C

C*Alculi in Cyſti fellea praeter ſpaſmodicam tenſionem dextri lateris, atque Corporis laſſitudinem, dolorem Mucronatae Cartilaginis excitant, & quare n.* 40.

—— *Icterum producunt, & cutaneos morbos, alioſque plurimos n.* 87.

—— *Ab ipſis aliquando icterus non fit n.* 88.

—— *Iſtorum, tum & pori biliarii varia ratio, atque utrorumque differentia, & analyſis n.* 89.

—— *Varia eorum figura & numerus n.* 90.

—— *Quae ſymptomata afferant, eorumque eductio laxantibus potius, leviterque purgantibus, quam ſpirituoſis [ut perperam a plurimis fit ad eliminandos Renum calculos] tutius obtineri poteſt. Ibidem.*

Capitis vulnera cur omnem praecipue Chirurgi ſolertiam expoſcant, ne citius quam par ſit cicatrizentur n. 64.

China China ſine ulla quavis evacuatione Tertianas non vincit, multoque minus eorum cauſam n. 19. 20.

—— *Poſt ejus uſum unde recidiva timenda n.* 21.

—— *Quomodo recidiva avertatur n.* 20.

—— *Ejus uſus laudatur n.* 24.

Abſque

——— *Abſque purgantibus adhibita obſtructionibus Viſcerum ſaepe cauſam praebet n.* 25. 26.

——— *Non tam facile praeſcribi debet in contumacioribus Tertianis, & quare n.* 82.

——— *Ejuſdem uſus diu nimis protractus nihil prodeſt ad avertendas Tertianarum recidivas, maxime ſi de contumacioribus agatur n.* 125.

——— *Ejus conſueta doſis, & propinandi ratio. Ibidem.*

Chirurgi pravum Sanguinis Scorbuticum Virus accuſant, dum externorum morborum haud fauſtae ipſis curationes evadunt n. 99.

——— *Caveant ne puris exitum ab externis ulceribus cito nimis prohibeant, cum hinc Dyſenteriae ortum ſaepe habeant n.* 113.

Choledochi ductus magna dilatatio n. 48.

Chronici, ſeu Polychronii Hepatis morbi qui ſint n. 65.

——— *Alii ſunt illi, qui inflammationes ſubſequuntur, ut Scirrhi. Ibidem.*

——— *Iſti ab intemperie ejuſdem calida oborti, qui ſint n.* 72.

Clyſteres in Dyſenteria toties magis conveniunt, quoties inferiora laeduntur inteſtina n. 118.

Cogroſſius Carolus Franciſcus laudatus n. 85.

Colica linioſa n. 78.

——— *Iſta aliquando oritur a Calculis cyſticis, quibus eductis illa ſolvitur n.* 90.

Conſtitutio Hyemalis anni 1737. *n.* 1. 2.

——— *Veris ejuſdem anni inaequalis, cur nocua n.* 5.

——————*Quae mala attulerit n.* 6.

——— *Autumnalis, & aeſtiva anni* 1737. *n.* 13. 14. 26.

——— *Epidemica annorum* 1738. 1739. 1740. *n.* 122. 123. 124. 125. 126. 127.

Criſium varietates in morbis n. 12.

—————— *Rationes variae a remediis. Ibidem.*

Cruentae dejectiones cur aliquando Hepatis diſſolvendis ſtaſibus conferant, & aliquando non n. 71.

——— *Earundem alvi excretionum generalis idea n.* 104.

——— *Ipſarum differentiae variae, variaeque rationes n.* 105. 106. 107. 108. 109.

—————— *Curatio varia n.* 110. 111. 112.

Cyſtici tumores in Pulmonibus aliquando ad annos latent abſque inſigni valetudinis jactura n. 48.

D

DYſenteria venoſa quaenam ſit illa, quae a nimia ſanguinis copia pendet, praeſertim in Foeminis, & quomodo curari debeat n. 105.

—— *Hepatica quae ſit, & qua ratione curanda n.* 106.

—— *Ob vaſorum laxitatem nimiam quae ſit, & quam curationem expetat n.* 107.

—— *Atrabilaria ejuſque varietas, & curatio n.* 108.

—— *Vera inteſtinalis n.* 109.

———— *Cur haec ſpecialibus anni temporibus eveniat juxta inſenſibilis perſpirationis vices. Ibid.*

—— *A ſola ſanguinis copia orta, quam curationem expoſcat n.* 111.

—— *A noxia quavis ſanguinis diatheſi quibus remediis curari debeat n.* 112.

———— *Haec familiaris eſt Scorbuticis, Mulieribus Hyſtericis, illiſque, qui venerea lue detinentur, & quare. Ibidem.*

—— *A labe alicujus partis ſuborta, quomodo diſtinguenda ab aliis ſit, atque curanda n.* 113.

—— *Haec Phtyſicis, Hepaticis, & Lienoſis &c. evenit. Ibidem.*

—— *Solitaria, ut dicimus, quae ab inteſtinis ſolummodo proveniat abſque ullo Hepatis, Lieniſve vitio raro admodum contingit. Ibid.*

———— *Lienoſis ſaepe utilis evadit. Ibidem.*

—— *Specialiter conveniens Hepaticis quotuplici ratione fiat, & qua methodo curanda n.* 114.

—— *Iſtis proprie contingens quomodo explicanda ſit, & quam curationem expetat. Ibidem.*

—— *Acuta ab Hepatis apoſtemate quomodo fiat, & curetur n.* 115.

—— *Modo fit cum febre, modo ſine febre. Ibidem.*

—— *Intempeſtive ſuppreſſa quae mala faciat. Ibidem.*

—— *A nimia bilis copia proveniens Emetico potius, quam purgante medicamento curatur n.* 116.

—— *Tunc Ypecaquana cur admodum conveniat. Ibidem.*

—— *Praeterea Tettucianae aquae, Clyſteres, Mixtura Stomatica, aliaque hujuſcemodi quomodo uſurpanda ſint. Ibidem.*

—— *Ab internis abſceſſibus orta, qua ratione curari debeat n.* 117.

E

ERyſipelae a tenuioribus humoribus ſuboriuntur, & ſi in nerveis partibus conſiſtant, cur rigorem

rem praevium habeant n. 37.
Externi morbi qua ratione malam ſanguinis conſtitutionem reddant n. 99.
——— *Tunc quam nam curationem inſtituere debeat Medicus. Ibid.*
——— *Iſti quoque viceverſa ab internis viſcerum laeſionibus quomodo fiant n. 100.*

F

F*Iguli & Pictores quos morbos patiantur n. 79. 80.*

G

G*Orter laudatus n. 96. & alibi.*

H

H*Ecquet laudatus n. 18.*
Heiſterus Laurentius laudatus n. 64.
Haemorrhagia Narium quomodo Hepaticis conferat n. 120.
Haemorrhoidalis fluxus Hepaticis prodeſt: eo intempeſtive ceſſante ſaepe Hydrops ſuccedit n. 119.
——— *Si immoderatus tunc ſit, quae mala adferat. Ibidem.*
Hepatici Homines, ſeu Jecinoroſi qui dicantur n. 72.
——— *Cur Haemorrhoidalis fluxus iſtis contingat n. 119.*
——— *Cur ſanguis per Nares fluat, atque inordinate per Uterum. Ibidem.*
——— *Cruentus ſaepe vomitus contingit, & utilis eſt n. 120.*
Hepatis morborum varia ratio, & differentia unde peti debeat n. 30. 31
——— *Parenchyma ſenſu caret, & quare n. 34.*
——— *Stagnationes maximas ſaepe fert abſque dolore. Ibidem.*
——— *Contumaciſſimi & varii morbi, ejuſdemque variarum criſium & ſymptomatum in Rever. Matre Chiozza obſervatio, & felix curatio n. 50.*
——— *Iſtius moles ſive ob Scirrhos, ſive alia ratione quomodo ſummopere augeatur n. 66.*
——— *Quae nam morboſa conſtitutio bilis ſecretionem congruam impediat n. 95.*
——— *Hoc calidum aut frigidum eſſe, quomodo ſano modo intelligi debeat n. 96.*
——— *Atheroma, Stheatoma, Melicerides tumor n. 101.*
——— *Hydatides, indeque Hydrops quare ſuboriatur. Ibidem.*
——— *Scirrhus quibus ſignis cognoſcitur, ac quotuplici ratione fiat n. 102.*
——— *Empyema quid ſit n. 55.*

Con-

—— *Conſenſus cum Capite, & Ventriculo perpenditur n.* 64.

Hepatis Phlegmones a ſtaſibus ſanguinis cur tam facile in Hepate fiant n. 32.

—— *Quomodo eveniant. Ibid.*

—— *Eorum cauſa plerumque ab acriore bile, unde poſt tertianas perniciosas facile accidunt, & Aeſtivo, aut Autumnali praecipue tempore. Ibidem.*

—— *Ipſorum externae, & internae cauſae familiares. Ibidem.*

—— *Signa n.* 33.

—— *Iſti varios mole tumores, eoſque diverſimode collocatos adferunt, unde plus, minuſve tactu percipiuntur n.* 36.

—— *Tumor aliquando tactu nullo modo percipitur. Ibidem.*

—— *Si non percipiatur tumor, tenſio tamen aliqua emergit. Ibidem.*

—— *Non eadem ſemper, atque aeque vehemens aliquando Tertiana febris tumores hoſce comitari ſolet n.* 37.

—— *Eryſipelates Hepatis tumores ardens magis ſubſequitur febris. Ibi.*

—— *Iſti gravativum tantum dolorem plerumque afferunt, & aliquando tenſivum, ratione ligamentorum, & membranae, qua Hepar obvolvitur n.* 33.

—— *Cur dolorem ſaepe afferunt, qui uſque ad Jugulum Humeroſque propagatur, aliquando vero non n.* 35.

—— *Dolores iſti modo in dextera, modo in ſiniſtra parte aliquando fiunt, & quare. Ibidem.*

—— *Quandoque etiam dolores ad ſtomachum, ad praecordia, atque ad mucronatam Cartilaginem extenduntur. Ibidem.*

Hepatis inflammationes ſubſequuntur ſaepe tuſſis inanis, aut cibi faſtidium, ſitis, vomitus varii, & quare n. 38.

———— *Cur modo adſtrictam nimis, modo nimis ſolutam reddant Alvum. Ibidem, & n.* 39.

———— *Hiſce cur ſuccedat aliquando Icterus n.* 39.

———— *Diverſa afferunt ſigna ſive in Gibba, ſive in Cava ejuſdem parte conſiſtant n.* 40.

———— *Quae Cavam partem occupant, cur ſtomachum maxime afficiant. Ibidem.*

———— *Quae Gibbam, Dyaphragma in conſenſum trahunt, & quare n.* 41.

———— *Cur aliquando tunc etiam Dyaphragma, ac proinde reſpiratio non laeditur. Ibidem.*

———— *Tunc etiam aliquando*

ſit dolor Pleuritico ſimilis: quomodo autem ab ipſo differat. Ibid.

——— *Subpoſitorum quandoque muſculorum Abdominis, inſlammationes Gibbae Hepatis partis Phlegmones ſimulant, & qua ratione ab ipſis diſtinguantur. Ibid.*

——— *Aliquando Gibbam partim, partim Cavam occupant, & quae ſigna tunc adferant. n.* 42.

——— *Solvuntur aut reſolutione, aut ſuppuratione, aut in Scirrhum deſinunt n.* 43.

——— *In ipſis reſolutio primum quaerenda, & quibus remediis, & quando facilius obtineri poſſit n.* 44.

——— *Ad reſolutionem conferunt praecipue purgantia, cum bilioſae dejectiones ſaepe utiles evadant n.* 45.

——— *Pro optata reſolutione Tettucianas aquas aliquando etiam poſcunt, tum etiam Balſamica remedia n.* 46.

——— *In hiſce quare ſanguis ab Haemorrhoidalibus venis eductus utilis evadat n.* 119.

——— *Diverſarum Criſium ratio. Nam Cava Hepatis inflammata pars per Inteſtina, Gibba vero per ſudorem potiſſimum, & urinas criſim habet n.* 47. & 51.

——— *Si intra folliculum coerceantur fruſtra Criſes conſuetas expectamus, & quare n.* 48.

——— *Folliculati iſti tumores cur facilius Hepati contingant quod ſpecialibus obſervationibus evincitur. Ibidem.*

Hepar inflammatum gravius adfert periculum, quam Lien n. 51.

——— *In Gibba magis, quam in Cava periculoſum, & quare. Ibidem.*

Hepatis ſuppurationis ſigna n. 28. 52

——— *Hac facta quotuplici modo pus ab Hepate ſecedere poſſit n.* 53.

——— *In hiſce quare, & quomodo nunc per biliarios ductus, nunc per venoſos pus educatur n.* 54.

——— *Aliquando pus totum fere Hepatis parenchyma exedit. Ibidem.*

——— *Hoc dum a contento pure conſumitur, quae ſymptomata afferat. Ibidem.*

——— *Quae curatio conveniat. Ibidem.*

——— *Sive haec ſuppuratio in Cava, ſive in Gibba parte inferiore conſtiterit, pus facilius in Abdominis cavitatem effunditur n.* 55.

Quae

——— *Quæ ſymptomata tunc eveniant, & quare. Ibidem.*
——— *Tunc nulla ſalutis ſpes. Ibidem.*
——— *Quae Gibbam occupant, per venas ac proinde per Renes &c. quae Cavam vero per Alvum expurgantur; aliquando etiam vice verſa, & quare n.* 56.
——— *Ex hiſce aliquando pus ad Pulmones migrat. Ibidem.*
——— *Quomodo fauſtam, vel infauſtam prognoſim admittant pro ratione criſium n.* 57.
——— *In hiſce quae curatio conveniat n.* 58.
——— *Per vomitum etiam expurgantur, & qua ratione n.* 59.
——— *In Gibba parte, dum per venas pus aſſumitur, cur periculoſae magis ſint, & graviora adferant ſymptomata, & quae curatio laudanda n.* 60.
——— *Dum Peritonaeo accreſcunt, & tumorem extrinſecus excitant, quid faciendum n.* 61.
Hoffmannus Fridericus laudatus n. 77.
Humorum ſtaſes quomodo a contrariis cauſis evenire poſſint n. 10.
Hydrops ſiccus Hippocratis quomodo a bile oriri poſſit n. 79.
——— *Quae purgantia adhibenda in ipſo ſint. Ibidem.*
——— *Quomodo ab Hepate procedat n.* 83.
——— *Fit etiam ob aliorum viſcerum labem haud laeſo Hepate. Ibid.*
Hypnotica quam caute uſurpanda ſint in Dyſenteria a prava humorum diatheſi ſuborta n. 112.

I

ICterus qua ratione ab amurcoſa bile fiat n. 84.
——— *Ejuſdem ſymptomatum praecipuorum explicatio, & curatio. Ibidem.*
——— *Fit etiam ob nimiam bilis copiam. Ibidem.*
——— *Tum ab ejuſdem nimio aeſtu n.* 85.
——— *Ejuſdem ſpecialis obſervatio n.* 86.
——— *Contumacior fit a Scirrho Hepatis, aut a Calculis n.* 87.
Jecinoroſi qua de cauſa Morphea rubra, aliiſve Cutis morbis facile laborent n. 100.
Intemperiei Hepatis calidae, aut frigidae ſententia Veterum non ſpernenda, ſed ſano modo intelligenda eſt n. 72.
——— *Calida quae vere ſit, & cur in ea bilis nimia copia ſecernatur n.* 73. 74.

——— *Hujuſce ſigna n.* 74.
——— *Quos morbos plerumque excitet. Ibidem, & n.* 75. 76. 77. 78. 79.
——— *Iſta laborantes quando curari debeant n.* 91.
——— *Ad hoc praecipue Rhabarbarum confert, non autem Oleum Amygdalarum dulcium. Ibidem.*
——— *Haec cum frigida Ventriculi intemperie ex Veterum placito conjungitur; & quomodo hoc ſano modo intelligi poſſit n.* 92.
——— *Cur hinc macies univerſi Corporis ſubſequatur. Ibid.*
——— *Quam caute hinc Curatio inſtituenda. Ibidem.*
Intemperies frigida quaenam vere ſit, & quomodo cognoſcenda n. 93.
——— *Quae mala paſſim procreet n.* 101.
——— *Quam caute, quibuſve praeſidiis curanda ſit n.* 103.

L

LAc Dyſenteriae ſaepe opem adfert n. 117.
Lanciſius citatus n. 9.
Liene carere poſſunt animalia, nec ejuſdem uſus adhuc innotuit n. 11.
——— *Hujuſce cum Hepate commercium mutuum n.* 97.
——— *Male affectum quae mala utplurimum procreet n.* 98.
Lienoſis ſanguinis fluxus per Nares, aut per Haemorrhoides quare contingat n. 119.
——— *Cur vomitus cruentus accidat n.* 120.

M

MArchettus Petrus laudatus n. 64.
Mazzinus laudatus n. 93.
Mercuriale linimentum qua ratione nunc uſurpetur n. 12.
Methodus curativa in Tertianis Febribus illa laudanda, quae naturae motibus magis conformis eſt n. 25.
——— *Nulla damnanda ab eventibus tantum, ut vulgus ſolet. Ibid.*
Morgagnus laudatus n. 93.

N

NAtura quid ſit n. 11.

O

OBſervatio ſpecialis in Illuſtriſs. D. March. Rodeſchino, intemperiei Hepatis frigidae pleraque phoenomena oſtendens, ubi bilis congeſtio in Cyſtico tumore ventriculi fundo adhaerente demonſtratur n. 94.
Olei Amygdalarum dulcium minus

cautus uſus damnatur, & quare n. 45.

——— *Hoc caute uſurpandum eſt in quibuslibet morbis, & praeſertim in Tertianis Febribus n.* 82.

——— *Non convenit in Intemperie Hepatis calida n.* 91.

——— *Quando in Dyſenteria opportunum ſit n.* 117.

P

DEl Papa Joſeph laudatus n. 73

Paſquali Cajetanus Medicus Florentinus laudatus n. 54.

Phthiſim pulmonarem tertiana aliquando febris comitatur, nec raro fere nulla n. 37.

——— *Haec a Tuberculis progenita non facile noſcitur n.* 123.

——— *Quaenam potior curatio tunc conveniat. Ibidem.*

——— *In iſta, quae ſpecialis Dyſenteria occurrat, & quare, ac quomodo ea curanda ſit n.* 113.

Pleuritidis obſervatio in Nob. D. March. Lauda n. 3.

——— *Progreſſus varii unde n.* 4.

——— *Criſis praecipua a ſputis. Ibid.*

Plumbum inſenſas continet partes n. 80.

Pulmonum tubercula inordinatam excitant febrim, aliquando etiam nullam, & quare n. 49.

Pure in Hepate genito quid eveniat, & quomodo ſymptomata imminuantur n. 53.

——— *Hujus ab Hepate prodeuntis bonae, aut malae conditiones n.* 62.

——— *Cum Calculo ex Hepatis abſceſſu prodiens n.* 61.

Purgatio aliquando neceſſaria in morbis a cohibita perſpiratione ortis n. 11.

——— *Qua ratione tunc praeſcribitur. Ibidem.*

——— *Congrua in Tertianis contumacibus magis quam alia excretio promovenda, ſed caute n.* 22. 23.

——— *Validior, quae damna adferat n.* 81.

——— *Mitior ſemper uſurpanda eſt, & cum moderamine. Ibidem.*

R

RAmazzinus laudatus n. 80.

Rhabarbarum quando in tertianis contumacioribus uſurpandum n 16.

——— *Eo utentes juxta methodum noſtram, non adeo facile aut ſaepe recidivas patiebantur, & quare. Ibidem.*

Roncallius Franciſcus laudatus n. 88.

Scir-

S

SCirrhi Hepatis plerumque a multiplicibus pravis ſtaſibus fiunt n. 65

——— *Quae ſigna adferant n. 66.*

——— *Quibus ſymptomatibus ſtipari ſoleant n. 67.*

——— *Qua ratione iis opitulari debet Medicus n. 68.*

——— *Adfertur ſpecialis obſervatio in D. Jo: Bapt. Conſalonerio n. 69.*

——— *Ejuſdem Cadaveris diſſectio n. 70.*

Scorbutica ſanguinis diatheſis indebite accuſatur, & curatur in Lienoſis Hominibus n. 98.

Spiritus volatiles ad educendos Renum Calculos inutiles, ac plerumque nocui evadunt n. 90.

T

TAcconi Cajetanus Bononienſis Profeſſor laudatur n. 40. & alibi.

——— *Ejuſdem ſolertia, & conſilium commendatur in ſecando Hepatis abſceſſu, eoq; feliciter curando. Ibi.*

Tertianas febres Hepatis Lieniſve obſtructiones ſubſequebantur n. 14.

——— *Perniciosas rubicundae maculae cum pruritu in universa cute aliquando comitabantur &c. Ibid.*

——— *Hae variis modis progredi ſolebant. Ibidem.*

——— *Plerumque bilioſis excretionibus evaneſcebant, nec raro abſque China China. Ibidem.*

——— *Eas China China evincere quando opus erat. Ibi. & n. 15.*

——— *In hiſce purgatio epicratica inſtituenda n. 16.*

——— *Cur damnatur ab aliquibus iſta purgatio epicratica. Ibidem, & n. 17.*

——— *Iſtae aliquando Tormina ventris ob acrioris bilis aeſtum afferunt, & ſanguinis fluxus, ac premitus &c. n. 56.*

——— *Recidivae quo uſque fieri conſueſcunt. Ibidem.*

——— *Excretiones bilioſae quaenam in hiſce pro criticis habendae n. 17.*

——— *Non ſolvuntur unquam abſque congruis criſibus praecipue per Alvum n. 18.*

——— *Iſtarum febrium methodi variae curativae unde enaſcantur n. 25.*

——— *Exquiſitae dum ſponte evaneſcunt, quiſque propria remedia, & methodum ſuam laudat; id quod ſaepe & in ſpuriis evenit, dum alios condemnat. Ibid.*

——— *Contumaciores dolores in auribus*

ribus cum ſuppuratione afferebant. n. 26.

—— *Poſt iteratas recidivas inordinatae evadunt, tunc cum omnimode ſolvuntur. Ibidem.*

—— *Harum immediata cauſa a bile, mediata vero ab Hepate n. 27.*

—— *Hiſce obnoxii facile morbos Hepatis patiuntur, & vice verſa. Ibidem.*

—— *Eadem ſaepe adferunt ſymptomata, quae intemperiei Hepatis calidae propria ſunt n. 82.*

—— *Tunc qua ratione epicratica purgatio conveniat, non autem uſus Olei Amygdalarum dulcium aut Seminum Lini. Ibidem.*

—— *In hiſce quare Dyſenteria ſaepe ſuccedat n. 114.*

Tettucianae aquae interdum maxime dyſenteriae opitulantur, & quomodo n. 116. 117.

Tubercula Hepatis varium inordinatumque cur efficiant morbum n. 63.

—— *Plurima in Hepate progenita ſaepe Scirrhos pariunt n. 65.*

—— *Si fiant in Hepate, ut avertantur Scirrhi, quomodo curanda ſint n. 68.*

—— *In Pulmonibus progenita varias, inordinataſque febres excitant n. 123.*

V

VAriolarum confluentium conſtitutio, quae anno 1738., & 1739. dominabatur, earundemque curatio Naturae magna ex parte commiſſa n. 124.

Vini meracioris uſus, cur Hepati nocuus n. 100.

—— *Malvaticum Dyſenteriae ſymptomatibus opitulatur n. 116.*

Ulcera ſordida, quae Lienoſis occurrunt, qua ratione a Chirurgis ſint curanda n. 98.

—— *Iſta, uti etiam puſtulae, nec non externi alii morbi, qui ab interna cauſa ſuboriuntur, male externis remediis curantur n. 100.*

—— *Externa, aut Abſceſſus, cur dyſenteriis ſpecialibus ſaepe anſam praebeant n. 113.*

—— *Inteſtinorum a Dyſenteria provenientia, quam expetant curationem n. 117.*

Vomitus cruenti ab Hypochondriis venientis ſigna n. 120.

—— *Cur interdum Hepaticis utilis ſit, atq; alias maxime noceat. Ibi.*

Y

YPecaquana cur conveniat, & quomodo operetur in Dyſenteria licet ex Hippocrate bilioſus vomitus tunc reprobetur n. 106.

—— *Quando, & cur in Dyſenteria bilioſa praeſcribenda ſit n. 116.*

PAULI VALCARENGHI

IN REGIA TICINENSI UNIVERSITAE PRIMARII
MEDICINAE THEORICAE PROFESSORIS,

Nec non Celeberrimae Bononienſis Academiae
Socii

DE VERA PRAXI

MEDICIS NECESSARIA, ET AEGROTIS UTILI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Ad Illuſtriſs., Eruditiſſimumque Virum

CAJETANUM
PASQUALI

In Celeberrima Piſana Academia olim Medicinae Theoricae, nunc in Florentina Philoſophiae Moralis Profeſſorem Sapientiſſimum.

BENEVOLO LECTORI

AUCTOR S.

MEa intereſt maxime, B. L., quod, anteaquam Diſſertationem hanc perlegas, tibi ſatis conſtet, me, non ut conviciis quempiam ſpeciatim proſcinderem, aut alicui expreſſe inſultarem, eam conſcripſiſſe. Etenim (*) *ego neminem nomino. Quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri.* Illudere cuipiam, ſeu aſtute ludificari alienum a me penitus fuiſſe ſemper, atque futurum, nemo non intelliget, qui quomodo de me, rebuſque omnibus meis egomet ipſe ſentiam, noverit. Nec enim mediocriter ſentio. Equidem ſatis mihi ſuperque eſt, quod omnes ſciant, me Arti noſtrae, pro Viribus meis, quoquo modo incumbere, ut nocere minus Aegrotis medendo, tum etiam cogitando ac ſcribendo minus alios decipere poſſim. Promiſſis namque me ſtare oportebat, ut PRAECLARISSIMI PASQUALI petitis ſatisfacerem: id quod ex ſequenti Epiſtola, hiſce data opera adjuncta, melius noſces. Vale.

(*) *Cicer. tom. 2. F. Orat. pro L. Manil. pag. m. 247. n. 35.*

Illuſtriſſimo Viro, Doctiſſimoque Medico

PAULO VALCARENGO

Cajetanus Pasquali S. D.

A Ccepi libenter Literas Tuas; & praeſtantiſſimum Munus libri Tui Medicina Rationalis &c. *Illis recreor, quod percipiam mei non oblitum ſuaviſſimum, doctiſſimumque Amicum: munere exulto; quod me dignum hoc munere judicas; atque adeo judicas, ut meam de illo ſententiam quaeras. Paucis igitur (ut meus eſt mos, cum juſtas laudes Amicis praebeo) de praeclariſſimo opere me expediam. Integra eſt morborum, quos deſcribis, eorumque ſymptomatum hiſtoria: clare luculenterque deductae cauſae optimis & Phyſicis, & Anatomicis principiis: opportuna remedia. Quae univerſa & exactam doctrinam, & ſagacitatem Tuam, Vir Illuſtriſs. oſtendunt. Ipſe ſummopere laetor, quod Te videam in eandem ingreſſum viam, ut rem medicam in publicam utilitatem promoveas, quam, Hippocrate duce, aperuit Thomas Sydhenam. Mihi ſummopere arridet optima methodus, qua in varias claſſes Pleuritides redigis; cum id vulgare, & commune non ſit apud Practicos quamplurimos, ignaros Praeceptorum Sydhenamii; qui in Praef. docet.* Primo, expedit ut morbi omnes ad definitas ac certas ſpecies revocentur, eadem prorſus diligentia, ac acribeia, qua id factum videmus a Botanicis Scriptoribus in ſuis Phytologiis. Quippe reperiuntur morbi, qui ſub eodem genere, ac nomeclatura redacti, ac quo ad nonnulla ſymptomata ſibi invicem conſimiles; tamen & natura inter ſe diſcreti diverſum etiam medicandi modum poſtulant &c. *Saepius igitur cum Amico Noſtro doctiſſimo Joſepho Bertinio de Te mirifice loqutus ſum; & ſinguli curabimus juvenes Medicos, qui Praxi noſtris Auſpiciis operam navant, librum Tuum & habere, & perlegere. Honeſto & docto Viro haec ſatis ſuperque ſunt, quibus ſententiam meam de opere depromo.*

Verum de Diſſertatione, de hodierno Medicinae ſtatu, *inſcripta, quam Operi praemittis, quaedam habeo, quae pro Tua in me benevolentia, aperte proferam. Et quidem cum Medicina innitatur ratione & experientia, noſco quam verum ſit, nil conferre diſciplinas omnes curandis aegris; niſi notiones omnes & Chymicae, & Phyſicae, & Anatomicae, experientia duce, dirigantur. Tua igitur Diſſertatio optima eſt ad evertendas, hypotheſes; contra quas praeclariſſimi Viri Medici ſcripſerunt, & praecipue Baglivius* in Impedimentis; *& Frid. Hoffman.* de damno ab hypotheſibus; *& Thomas Sydhenam in praef. qui in ſcribenda morborum hiſtoria ſeponendas hypotheſes caute docet. Optima quoque Tua Diſſertatio contra audaces Juvenes, qui ſtatim ac ab Academiis affatim divites omnibus diſciplinis exierunt, nullo experientiſſimo, ac diligentiſſimo Viro duce curandos aegros ſibi aſſumunt. Haud etenim praeclariſſima ſtudia, & praeſtantiſſimae laudes ingenii Tui umquam Tibi conceſſiſſent Phyſicas, Chymicas, & Anatomicas inſtitutiones contemnere; quod clare profiteris pag. XVI. hiſce verbis.* Attamen nemo hic umquam credat, me tam coeco mentis criterio ductum eſſe, ut Phyſiologicas Sagaciores ſpeculationes a Chymica, Anatome, & Philoſophia, Matheſi famulante petitas, e penu Medico ablegandas eſſe

ſtulte contendam; tamquam vanas; atque ad aegrotantium ſalutem, ipſiuſque Artis decus, & augmentum nil penitus conferentes &c. *Verum quaedam alia perlego, quibus arreptis ignorantes Viri Medici, & empyrici nimium exultabunt. Ex. cauſ. pag. VIII.* Nemo ſanae mentis inficiabitur, credo, tum praeſente, tum elapſo ſaeculo maximis, plurimiſque cognitionibus partim a Chymia, ab Anatome partim, partim a Mechanica, & ſaniore Phyſica; nec non ab experientia etiam ipſa mutuatis Medicinam locupletatam quammaxime fuiſſe. Haec autem omnia magis eruditum quidem, atque aliquantiſper magis expertum Medicum reddunt, ſed non omnimode ſcientem; quinimmo paulo magis curationibus idoneum. *Et pag. IX.* Quid inde? Pulcherrima haec omnia inſtructum quidem magis Medicum reddunt, atque optime eruditum; ſed paulo magis aegrotantibus proficuum; niſi potiſſima etiam a ſolidiore praxi adminicula deſumantur. *Et alia quaedam quae habes pag. XV. Hinc certe docti Viri haud oſcitantes non allucinantur; at empyrici, atque omnium rerum ignari quaecumque ad rem ſuam trahunt, rejectis contrariis; ideoque iterum, iterumque repetunt illud Celſi,* nec poſt rationem Medicinam fuiſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam rationem eſſe quaeſitam. *Primi quidem hominum, qui Coelum & ſidera contemplati ſunt, nullas coeleſtium Corporum motus leges noverant, ex eorumque inconditis obſervationibus tandem Aſtronomia perfecta eſt. Prudens igitur, qui hac aetate, ut Aſtronomiam diſceret, nulla praemiſſa inſtitutione, Chaldaeorum more, ſub Jove frigido Coelum conſpiceret? Vetera ſunt haec noſtra, non vero tranſacta tempora: Venerabiles Senes adoleſcentes noſtri optimis inſtituti diſciplinis; non vero quotquot Senes Philoſophos commemorat Laertius; quorum ſcientia manca & debilis. Ipſi Dii Medici Mercurius, Oſiris, & Iſis, Apollo, & Aeſculapius quid aliud (fortaſſe aliquid minus) atque Anonymus ille, quem audivimus per plateas quaeſtiones omnes, ut anonymum decebat, ſolventem? Quod praeſtant aliquando & ipſi Viri Medici, cum foemineam auram captant, quamlibet quaeſtionem vel inanem verbis technicis ſolventes; atque ita quaerentibus ſatisfaciunt; licet propoſita quaeſitio vel neque ſolubilis, vel neque ab illis ſoluta ſit; verum technicis & ſeſquipedalibus verbis hujuſmodi auditoribus imponunt. Quid igitur mirum, ſi Sapientes Viri quoſcumque Medicos in Diſſertatione Menckenii adſcribunt. Qui mos ſolvendarum quaeſtionum ex tempore ſi ad exhilarandum animum inſtituatur in Academiis, ſagacitatem & eruditionem Doctorum Interpretum declarat. At qui ſe riſu contineret, ſi virum, quem conſpiceret hujuſmodi nugis, & tricis implicitum, oſtentantem illum ſe graviſſimis Reipublicae negotiis agendis opportununm audiret? Ita quidem neque ipſe riſu me abſtinerem, ſi gravem Virum Medicum faemellis & popello dignam cathedra proferret Diſſertationem. Rideres & ipſe, Vir doctiſſime, ſi conſpiceres quemdam ex his agyrtis veſtibus jam pene obſoletis jubam quatientem, qua faciem inhoneſta cicatrice ſordidam contegit, male terere tempus in triviis & angyportis aniles popello fabellas explicantem de praxi Medica; jactantemque ſe contemnere quaſcumque Medicas theorias, dum ſimul ſe Medicum practicum rationalem jactat. Ne igitur hujuſmodi ferae beſtiae ex optimo Scriptore, ſolertiſſimoque Viro Medico arma arripiant; quibus propriam tueantur ignaviam; quae requirantur ad optimam praxim diſcere, & ignavum pecus a tam praeclara atque utili diſciplina arce. Quaero igitur abs Te, Vir doctiſſime, cum Tibi licuerit, ut futuro Operi, quod promittis, Diſſertationem aliam praemittas, in qua pateat, quaenam optima Viro Medico Theoria requiratur, ut omnis tollatur agyrtis garrulitatis occaſio. Etenim ut promoveantur artes & diſciplinae, inſtitutiones exordiri debent ab ultimis inventis. Me ama & vale, Amicis & rei Medicae neceſſarius.*

Florentiae XV. Kal. Aprilis MDCCXXXIX.

INvaluit adeo trita illa, a pleriſque male intellecta, peſſimeque explicata C. Celſi (1) ſententia, quod ad Medicinam optime faciendam *non interſit ſcire quid morbum faciat, ſed quid tollat*: ut plurimi, *Theoricas* quaslibet ſaniores *doctrinas*, etſi non chimaericis ratiociniis, ſed iteratis ſaepe *obſervationibus*, iiſque tutiore criterio ſelectis atque ponderatis innixas, pauci facientes, aut contemnentes penitus, *Praxim* tantummodo, eamque diuturnam Medicum quemlibet inſtruere ita poſſe putent, ut Aegrotis vere utilis evadat; id quod non tantum a vulgaribus Hominibus, verum etiam a Medentibus non paucis optime acceptum, plenoque ore prolatum ſemper & ubique fuiſſe conſtat. Hoc porro quantum ſapientiorum Medicorum ſaepe famam obumbraverit, ejuſdemque Artis dedecori contulerit, nemo ſatis unquam intelliget: dum par hinc ſapientium & inſipientium ratio plerumque habetur: eoque magis, dum iſtorum inſcitia, ſtolido tantum canitiei candore decorata, quandoque praetermodum aeſtimatur, illis penitus neglectis ac ſaepe contemptis.

Quamobrem jure meritoque a me pluries petiiſti, doctiſſime Paſquali, ut, de hiſce fuſius aliquando dataque opera diſſerens, vulgarem illam opinionem ſolidis rationibus everterem, congruamque quibuslibet lucem adferrem, qua duce de Medicorum quorumcunque peritia judicare tutius & melius noſcerent. Ea enim, quae in diſſertatione alia tranſactis conſtitutionibus noſtris praevia propoſui, ut obſervationum maximam neceſſitatem pro Medicinae augmento comprobarem, tantum abeſt quod adverſus opinionem illam ſatis eſſe Tibi viſa fuerint, ut penes indoctos ſaltem congrua cenſeri aliquo modo poſſint, ad ipſam firmandam magis, atque melius latiuſque evulgandam. Sane de hiſce tunc ſpeciatim agere ſupervacaneum atque abs re prorſus eſſe exiſtimavi: tum quia noſtro hoc aevo *Theoricae* ſaniores *doctrinae*, apud ſapientiores Medicos magno in pretio habitae, ſedulo a pleriſque excoluntur: tum quia pro aſſumpto meo, Clinici praecipue Medici munus tunc gerens, *obſervationum* utilitatem maxime oſtendere coactus eram; reliqua, quae ad *Theoricas* ſpectant, nota cuique ſatis ſuperque putans. Cum itaque inter nos metipſos vetus uſus intercedat, atque de re maximi momenti agatur, in hoc Tibi morem, pro viribus meis, gerere neceſſarium arbitratus fui; dummodo tamen abſit, quod a propoſitis alias ſententiis hic quidpiam recedam; cum

L 2 eas

(1) *C. Celſus in Praef.*

eas potius confirmare iterum, atque magis magiſque explicare, in animo habeam.

Dixi enim tunc, iterumque hic aperte innuo, ex *Chymicis*, *Anatomiciſque* inventis, *Philoſophia* etiam, ope *Matheſeos*, famulante, pulcherrimas ingenioſiſſimaſque doctrinas *Rationali* quidem *Medicinae* magna ex parte acceſſiſſe, ipſam autem omnimode, & praecipue in iis, quae ad *Praxim* ſpectant, haudquaquam perfeciſſe: ad quod praecipuum ab aliis obſervationibus auxilium petendum eſſe, ibidem ſtatui, atque pro certo ſemper habebo.

Etenim (2) *Si quis Philoſophicis arduvioribus doctrinis inſtructus, Sanioribus Theoriae Medicae documentis undecunque potitus eſſet, nihil autem, parumve ſaltem, de practicis cognitionibus ſibi comparandis ſolicitus fuiſſet; quamvis hinc Sapientibus loquendo, diſputando, diſſerendoque ſatisfacere potis eſſet: nullos tamen unquam morbos, niſi fortuito, curaret, quorum ſymptomata, generaleſque cauſae funditus ipſi perſpectae caeteroquin forent.* Aliud enim eſt morbi cujuſvis ſpecialia accidentia omnia mente tantummodo concipere, ejuſdemque cauſas optimo quovis ratiocinio, pro libitu, inquirere atque explicare: aliud eſt morbum eundem penes Aegrotum ipſum ſibi proponere, ut, perſpectis individualibus tunc occurrentibus ſignis, veridicam ejuſdem ideam tuto citoque aſſequamur, indeque peculiares inveſtigando cauſas, ea ſeligamus remedia, quae non generalia, ſed propoſito morbo omnifariam accommodata vere eſſe cenſeantur; quod quidem quo magis intereſt, eo difficilius quoque ſapientibus expertiſque Medicis ſemper evadit. In hoc ſane favet maxime atque adjuvat *vera praxis* iteratis multoties *obſervationibus* comparata: unde appoſite admodum cum Cicerone ipſo ſtatuendum hic eſt (3) quod *nec Medici, nec Imperatores, quamvis Artis praecepta perceperunt, quidquam magna laude dignum, ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt.*

Attamen, quum *obſervationes* veluti praecipuum tutiuſque *effectricis Medicinae* inſtrumentum habendas eſſe arbitramur, *Theoricas* quoque cognitiones, quae veriſimiles magis ſint, ad hoc maxime conducere, neutiquam veremur aſſerere, ita tamen ut ſibi viciſſim auxilium praeſtent. Nos enim (4) *experientiam in omni arte magnum quid poſſe perſuaſi, ſpeculationes tum per rationalem methodum, tum per rationalem indicationem inventas, ad ea quae ab ipſis de judicationis hiſtoria tradita ſunt, apponimus, demonſtrantes, qualem facultatem ad ambulandum utrumque crus exhibet, talem in Medicina experientiam & rationem habere.*

Ideo, ut ad propoſitum accedam, Tibique ſatisfaciam, Chariſſime Paſquali, inquirere primum diligenter oportet, quid nomine *Verae* *Praxis*

(2) *In alia Diſſertat. pag.* 15.

(3) *Cicero lib.* 1. *de offic.*

(4) *Galenus de Compoſ. Pharm. ſecundum locos l.* 8. *c.* 7.

Praxis in *Medicina* intelligendum veniat, illius videlicet, quae *Medicis neceſſaria eſt*, *utiliſque Aegrotis* evadit. Siquidem non omnes, qui *Praxim Medicam* ſe diu exercuiſſe jactitant, quid ipſa ſibi vere poſtulet, atque ab ipſis expetat, ſatis agnoſcunt.

Nomine *Verae Praxis* Medici exercitationem illam intelligendam eſſe exiſtimo, quae circa Aegrotos rationabiliter verſatur, morborum nempe ideas & cauſas rite perſcrutando, congruaque ſeligendo remedia, ut illis opportune opituletur: quibus & pars prognoſtica adjuncta ſit. Ex iterata enim hujuſcemodi exercitatione majores ſemper Medicus in dies acquirit cognitiones, quibus quo magis munitur, eo magis peritus, Aegrotiſque utilis dici meretur.

Toto itaque Coelo turpiterque aberrant illi omnes, qui *Praxim Medicam* ex diuturno ſolum curationum plurium exercitio (quaecunque illae fuerint, methodice nempe utiliterque, an ſecus peractae) deducunt, adeo ut expertum magis habendum eum eſſe Medicum exiſtiment, qui magis, quoquo modo medendo, inſenuerit. Senes enim ejuſcemodi Medici non raro *annoſi juvenes* dici potius cum Valleſio poſſunt. (5) *Nam ſi quis, in excogitandis ſophiſmatis morborum, depoſita cura, conſenuit, omnium mortalium eſt ad hanc Artem inutiliſſimus. Eſt ſiquidem ille juvenis, quem non poſſis ſperare fore aliquando ſeniorem: quippe quem in ſenectute juvenem eſſe vides.*

Nihilominus penes Vulgus & Medicos etiam non paucos veluti inconcuſſum habetur, ex diuturno magis Medendi exercitio quolibet de Medentium peritia judicandum praecipue eſſe: ita ut, ſi oppoſitum aſſerere quiſpiam velit, aut arrogantis, aut malevoli invidique animi notas ſibi adſciſcere ſtatim videatur. Etenim Vulgares Homines, cum aliquem diu *Medicinam* exercuiſſe, plurimoſque ab ipſo curatos Aegrotos convaluiſſe animadverterint, illum caeteris expertum magis eſſe, *veramque Praxim* conſequutum fuiſſe unanimiter depraedicant, atque ab omnibus accerſendum eſſe ſemper monent. Hoc vero eo certius autumant, quo ſaepius de arduioribus morbis, peſſimamque eorum captui faciem praeſeferentibus actum ſit, a quibus, cum evaſerint Aegroti, ad ſummum attollitur ſeniorum illorum Medentium fama: ſi vero perierint (ob praeconceptum de iiſdem indelebile judicium) peſſimo ſortis fato, nec aliunde unquam hoc eveniſſe, pro certo habent. Tunc *opinio* magis quam *ratio* militat, unde malum utique falſumque de illis judicium haberi debet, atque eo magis in errorem proclive, quo minus Vulgus ipſe, morborum, de quibus agebatur, indoles atque mores perſpectos habere adamuſſim poterat, ut vere noſceret, num ob Medicorum illorum operam, num ſponte ſua morbi illi fauſto omine ceſſiſſent: aut infauſtus eorum exitus illis potius

L 4 quam

(5) *Valleſ. Controverſ. lib. 8. in Praef.*

quam fato adſcribendus eſſet. Idcirco Valleſium de ipſis apposite admodum ſic loquentem hic placet adducere. (6) *Accerſiri enim illum ad laborantes mali moris morbis, aut ad illis morbis affectos, qui cum maximorum ſpecimen exhibeant, & omnes familiares ſua magnitudine deterreant, tamen benigni ſint: atque horum alterutrum magnatibus accidere, aut Plebeis: in caſu eſt aut fortuna. Tamen haec aut illa remedia, hoc aut illo tempore circa Aegrotantis corpus agi, in Medici conſilio eſt; qui nihilominus cum peccat, infortunatus dici ſolet a plerisque. Ego vero infortunatiorem dixerim ipſum Aegrotantem, cui contingit imperitus Medicus.*

Erronea ideo paſſim ſunt Hominum ejuſcemodi judicia, cum quibus non minus quam cum morborum ſaevitia colluctari debet Medicus, ut, cum Aegrotorum ſaluti conſulit, decori ſuo etiam prudenter proſpiciat. Optandum ipſi foret quod, quum ad curandos graviores morbos accerſitus eſſet, qui caeteroquin fauſtum ſortiri exitum poſſent, de Magnatibus utplurimum ageretur, atque de illis maxime, qui (cum eorum dicta tanquam ex tripode prolata apud caeteros habeantur) Medentis famam ex felici eventu quaquaverſus divulgantes, aliorum inde quoque applauſus, atque exiſtimationem accerſerent; id quod ſatis eſt, ut quam brevi inter magis expertos ubicunque praedicetur, etiam ſi *annoſus juvenis* ſit, atque peſſime ſuo munere fungatur. Quod ſi ſecus Medico eveniat, alioquin prudenter ſapienterque agenti, famae ſuae jacturam illico faciet; praecipue ſi juvenis ſit, tametſi ſatis expertus & doctus. Peſſima idcirco ſapientum Medicorum conditio eſt, quod ipſorum peritia fortuitis Aegritudinum eventibus commenſuretur, eoque magis ſi de juvene agatur, atque nondum apud Vulgus ſatis aliunde cognito & penes Magnates commendato.

Haec tamen, aliaque hujuſcemodi, quae *Pſeudo-Medicis* indebitam conciliant famam, firmantque, ſimulque Saniorum ſaepe exiſtimationem obumbrant, & aliquando delent, multo magis judicantibus indecora ſunt, cum aperte eorundem ignorantiam oſtendant, propter quam, nec quid vere Medica ſcientia poſtulet, nec quid pene nomen ipſum Medici ſonet, animadvertere ſatis valent; atque ideo ab aetate plerumque, nulla habita doctrinae ratione, Medentium judicium eliciunt. Obſtrepet autem quantum velit Vulgus; penes Sapientes in confeſſo ſemper erit, (7) *fieri poſſe juvenem in Medicis praeceptis mente exercitatiſſimum, & operibus exercitatum mediocriter, atque hac ratione Reipublicae, & docendo, & Medendo non inutilem: eſſe etiam eam ſenectutem, quae ad Medicinam expetitur, non in annorum numero, quem invitis plerumque ſolet offerre aetas ipſa, ſed in Medicorum operum longo & multo uſu.... Neque vero Senes quoſcunque etiam exercitatos, putaverim in exercitiis praeferri debere*

(6) *Valleſ. Controverſ. lib. 8. in Praef.*
(7) *Valleſ. Controverſ. lib. 8. in Praef.*

bere: niſi tales ſint, ut exercitationem non tam terendo calceos, quam mentem exercendo comparaverint, quique per longam vitam ne tantillum quidem fecerint, cujus rationem non fuerint prompti in ſpectatiſſimis Medicorum concurſibus reddere.

Dum Juvenes *in Medicis praeceptis mente exercitatiſſimos, & operibus exercitatos mediocriter*, inuente Valleſio, cum Senibus illis Medicis comparamus, qui *terendo* potius *calceos*, quam *mentem exercendo*, plurimos, & innumeros etiam, ſi vis, Aegrotos diuturno tempore inviſerint, ideoque inter Celebriores habeantur; eamdem, Chariſſime Paſquali, me propemodum Tibi proponere quaeſtionem putaverim, ac ſi de Ruſtico quopiam ageretur, qui abſque ullis Aſtronomiae principiis, noctu quotidie per triginta aut quadraginta annos Sydera intueri conſueviſſet, indeque ſe adeo *Aſtronomicis cognitionibus* imbutum eſſe pro certo haberet, ut ſe longe magis in hiſce verſatum eſſe exiſtimaret, quam juvenem illum, qui Coeleſtium quorumcunque Corporum motuum, ac proinde *Theoriae Planetariae* omnimode gnarus, duos tantummodo menſes in Coeleſtibus contemplationibus attente conſumpſiſſet. Mehercle quiſnam, niſi demens, Ruſtico illi potius, quam juveni huic de *Aſtronomicis doctrinis* differenti unquam crederet?

Verum haec ſummopere favent propoſito noſtro, atque ad *veram* detegendam *praxim* pedetentim nos manuducunt, ut melius pateat, quinam Medentes, poſt diuturnum Artis exercitium, experti vere, ſuoque muneri idonei cenſendi ſint. Aſt quia plurimae ſunt Medicorum Sectae (illorum etiam, qui diuturno exercitio in Aegrotorum cubiculis *mentem* quoquo modo *exercuerint*, *rationes quoque in ſpectatiſſimis Medicorum concurſibus reddere* ſoliti, aut ſe reddidiſſe putantes) atque de iiſdem ſingillatim me agere, praeſentis inſtituti ratio nec poſcit, nec patitur: eas ad triplicem reducam Claſſem, quae Diſſertationis hujuſce ordinem praeſtabit.

Prima itaque Claſſis illorum ſit, qui multiplicem *obſervationum* (ſi tamen in ipſis *obſervationes* vere dici debent) acervum, ſeu indigeſtam maſſam, mente potius quam ſcriptis ſibi comparaverint, *Anatomicis* & *Philoſophicis doctrinis* neglectis prorſus, aut vix e limine ſalutatis: praeteritos inter ſe quomodocunque conferendo morbos; eorumdemque *ſymptomata* & exitus raptim penſitando; unde congruum ſe hinc nactos fuiſſe ratiocinium arbitrantur, quo duce de occurrentibus quibuſlibet morbis *Theorice*, ut ajunt, & *Practice* differere valeant: ad genuinas nempe illorum ideas eruendas, atque cauſas indicandas, aptioraque ſeligenda & opportune adhibenda remedia, tum etiam ad prognoſim rite inſtituendam; Quae omnia *verae praxis* fundamentum conſtituunt.

Secunda Claſſis illos indicat, qui *Anatomicis* atque *Philoſophicis cognitionibus*

tionibus (nullo habito earum ſelectu) mediocriter imbuti, ad Medicinam acceſſerunt, in qua eo magis ſe profeciſſe tunc autumant, cum, poſteaquam longo tempore ſeſe exercuerint, Aegrotis adſtando, amplam diſcurſus normam nacti ſint, ut de quibuslibet ad Artem Medicam ſpectantibus diſerte quoquo modo loqui poſſint, atque multiplices *obſervationes* data occaſione depromere, quae quidem num vere tales fuerint, an ab ipſis proprio marte praeconceptis ideis ſuis accomodatae, haud parum dubitandi locus ſupereſſe plerumque ſolet.

Tertia demum Sapientiorum profecto Medentium Sectam illam offert, quae univerſali plauſu noſtro hoc aevo dominatur, atque penes cordatiores Viros acceptiſſima eſt. Illos intelligo Medicos, qui ſaniori *Philoſophiae*, accuratiorique *Anatomiae*, *Mechanica* dirigente, tanquam firmioribus fulcris inhaerentes, planam ad ſelectiores *obſervationes* viam ſibi ſternere ſatagunt: illiſque apud Aegrotos congruo tempore collectis, optimam ſolidamque diſcurſus rationem acquiſiverint, ad dignoſcendos quoslibet & curandos morbos: atque ad omnia quae Medico rationali & perito conveniunt, laudabiliter utiliterque peragenda.

Inter prioris Sectae aſſeclas adnumerari illos haudquaquam velim, qui *Circumforanei* potius, aut *Circulatores* dici merentur: illos nempe, qui abſque ullo diſcurſu, imo vana potius petulanti jactantia, *Polycreſta* quaedam, ut nominant, remedia ſe habere dictitant, quorum adminiculo ſpecialibus quibuſvis morbis opem cito tutoque ferre ſe poſſe praeſumunt; nihil caeteroquin attenta Aegrotorum conſtitutione, cauſarumque praegreſſarum nulla habita ratione. Hoſce enim, ob diuturnum ſuorum remediorum uſum, *Praxim Medicam* unquam exercuiſſe nemo quidem putaverit; cum neque Medici nomine inſigniri vere queant. Iſtorum tamen maximus fuit, & ſemper erit numerus; praecipue cum quiſque, ad Aegrotos accedens, congrua ſtatim ipſis offerre ſe poſſe remedia certo certius putet, quae utilia etiam admodum fore depraedicat; unde Poeta ſic merito cecinit:

Fingit ſe Medicum quiſquis idiota, profanus
Judaeus, Monacus, Iſtrio, Tonſor, Anus.

Profecto hujuſcemodi *Pſeudo-Medentes*, etiamſi Medicina prorſus careant, cordatioribus ſaepe Medicis negocium faceſſere maxime ſolent, ſi apud Aegrotos ab ipſis deprehendantur. Hiſce enim ſtatim obtrudunt *Panaceas* ſuas, quarum ſomniatas virtutes ad Sidera uſque attollunt, optatamque laborantibus ſalutem ſumma inde cum audacia pollicentur. Quod ſi forte contingat, quod plures ex Sciolis Hominibus illis ſimul ad eundem Aegrotum conveniant, atque ſua quiſque, licet maxime oppoſita, remedia proferat; vanis illico diſputationibus anſa praebetur, exortiſque aliquando maximis inde litigiis, aſſidentis Medici mens adeo divertitur, atque perturbatur, ut pro Aegroti levamine,

vamine, quo ſe vertat omnino neſciat; idque eo magis, ſi Aegrotus ipſe (quod haud raro evenit) inanibus illorum promiſſis potius, quam Medici praeceptis ſtare affectet. Mala haec conſuetudo (quae tranſactis etiam ſaeculis, pro Aegrotorum damno, atque Medentium dedecore, vigere ſemper comperta eſt) eo pejus noſtro hoc aevo Medicorum animos extorquere paſsim cognoſcitur: quia illi, non contenti *pſeudo-pharmaca* ſua proponere, de rationum etiam momentis diſſerere quomodocunque audent, totque ac tanta, tametſi ridicula prorſus, atque ad rem nil propemodum facientia, pleno ore ad nauſeam uſque eructant, ut cum Medicis ipſis concertare ſe poſſe arbitrentur. Mihi tamen mirum minime hoc eſt, imo aequum videtur, ut debitas Medici quidam poenas luant, inſulſiſque diſcurſibus illis fatigentur, quibus ipſimet anſam toties praebuerunt: tunc nempe cum, de occurrentium morborum cauſis, atque remediorum viribus, nec non de aliis quae ad Aegrotos attinent, ab Adſtantibus rogati, morem ſemper ipſis gerere ſtuduerunt: eo quidem animo, ut officioſi ſupra alios viderentur, optatamque popularem auram ſibi melius conciliarent. Hoc tamen alias agere Medicis nefas erat, tunc cum ipſi cogitabundi potius, pro Aegrotorum bono, quam loquaces videri affectabant, ac proinde Ars ipſa muta dici jure meritoque ſolebat.

Ad propoſitum ideo redeuntes, ad primam Claſſem Medicos illos referendos eſſe arbitramur, qui rudi tantummodo *experientiae*, ſeu eorum, quae ſaepe numero, eodemque modo ipſis ſemper viſa ſunt, *obſervationi*, & memoriae inhaerere ſoliti ſunt, ideoque veluti *Empirici* cenſentur; utpote qui *Philoſophiae* & *Anatomiae* ſtudiis carentes, aut illis parumper inſtructi, de morbis congruo diſputare *ratiocinio* haudquaquam valent; licet ad hoc paratos ſemper ſe eſſe jactitent. Ratiocinari enim priſcis uſque temporibus quoquo modo ſe poſſe ideo putabant *Empirici* ejuſcemodi Medici, quia propriis *Theorematibus* innitebantur, quorum quadruplicem differentiam paucis ſic exhibet Barchuſen. (8) *Primi generis verſari in iis, quae nunquam: ſecundi, quae plerumque: tertii, quae utrovis modo: quarti tandem, quae raro contingere ſoleant. Syndromen per eminentiam vocabant concurſum eorum, quae ex longa obſervatione ita ſimul convenire comperta ſunt, ut incipiant pariter, augeantur, vigeant, declinent, retrocedant. Hujuſcemodi ſymptomatum conjunctionem congregationemque morbum nominabant: vel potius in dictorum ſymptomatum concurſu naturam morbi ponebant*. De caeteris vero *Empiricorum* placitis diſſerere ſupervacaneum hic arbitror, de quibus ſatis Galenus, optimeque poſtea Barchuſen ipſe verba fecit.

Aſt miraberis forſan, Paſquale mi, quod, dum ego hodiernam Medicorum *Praxim* ad examen reducere hic Tecum intendo, *Empiricorum*

(8) *Joh. Conr. Barchuſen de Medic. Orig. diſſert.* 10. *n.* 4.

rum ejuſcemodi ſectam in medium proferam, cujus & nomen ipſum obſolevit adeo, contemptuique penes noſtrates Medicos ita habetur, ut (9) *dum alteri Medico, vel ob ſummam inter eos contentionem, vel ob invidentiam uberioris feliciorisque praxeos Medicinae, ignominiam maculamve inurere conantur, aſſolent eumdem appellare nomine Empirici; quaſi vero tum huic maxime convicium facerent.*

Viget adhuc (ut Tu ipſe probe noſti) regnat adhuc, non contempta, imo ſpecialibus ſaepe honoribus decorata, ſummiſque plauſibus apud non paucos excepta noſtris etiam hiſce temporibus *Empirica* Medicorum Secta; tametſi peſsimo, neſcio quo, fato, *rationalis* indebito nomine appellari conſueſcat. Verumtamen turpius errare, potioreque jure damnandos eſſe, crediderim recentiores quoſdam, quam veteres *Empiricos*. Iſti namque, pro inſtituto ſuo, rationem a Medicina exulare penitus debere, aperte ſtatuerunt: illi vero *rationales* dici affectant, licet caeteroquin ab eorundem diſcurſibus non genuinas rationes, ſed maleſanas potius a veritate aberrationes elicere poſsimus.

Equidem *rationales* ne dici unquam poterunt noſtro hoc aevo Medentes aliqui, quorum doctrina nihil aut parum admodum *Philoſophiae* aut *Anatomiae* dogmatibus ſuffulcitur? Quorum *Praxis* plurimis quidem *obſervationibus* ſcatet, illis tamen, quas caeco mentis criterio, animoque praejudiciis orbato perfecerunt, atque in unum abſque ordine mente tenus tantummodo redigerunt? Penes quos morborum cognitio manca adeo eſt, & imperfecta, ut ſaepe, quum de eorundem eruenda idea agitur, unam pro altera indicent, quadrata rotundis, ut adagio fertur, immiſcentes? Quos maxime urget pompa multiplicis remediorum, inter ſe multoties pugnantium, apparatus? Quibus denique ne nomen quidem Medici convenit? Siquidem plerique iſtorum (10) *interrogati, unde nam principium inventionis ſuae ſumpſerint, tantum abeſt, ut in demonſtrabilia principia, & quae omnibus hominibus in confeſſo ſint proferant, ut nec, quo ſibi ipſis conſona reſpondeant, inveniant: ſed ſurſum ac deorſum Euripi more agantur, contraria quiſque in progreſſu ſermonis iis, quae ab initio ſtatuerunt, afferentes*. Hinc riſum etiam movere facile poſſunt, dum, inter ſe hoc modo blaterando, inanes adeo proferunt ſaepe quaeſtiones, indeque inter ipſos tam ridiculae concertationes, & vanae exſurgunt, ut ipſis Virgilianum illud conveniat aſſertum:

(11) *Hi motus animorum, atque haec certamina tanta,*
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

Ejuſcemodi porro *Pſeudo-Medicos* (ſive juvenes ſint, ſive ſenes: ſive brevi, ſive diuturno tempore res medicas geſſerint, aut ſe geſſiſſe ſibi viſi fuerint) nullo modo *veram Medicinae Praxim* exercuiſſe cenſendi

(9) *Joh. Conr. Barchuſen de Medic. Orig. Diſſert.* 10. *n. 9.*
(10) *Galen. lib.* 1. *Method. Meden. cap.* 4. (11) *Virgilius lib.* 4. *Georgic.*

ſendi ſunt; cum iſta iteratas ſelectas *obſervationes*, non marte proprio, ſed ratione congrua undecunque ponderatas, una cum perfecto Artis hujuſce exercitio requirat: id quod praeſtare ipſi neutiquam valent, nec unquam poterunt. Quapropter (12) ipſi *tanto inutiliores ſunt iis, qui manus nullis Aegrotantibus admoverunt, quanto deterius eſt erroribus aſſuevìſſe, quam ab operibus abſtinuiſſe prorſum. Sunt vero errantes peritiſſimi duplices Senes, cum ii aut prae ingenii ruditate, aut prae deſidia, cum juvenes adhuc nihil in ſtudiis literarum profeciſſent, repente ad ipſa opera ſeſe tranſtulerunt, quod ad conſciam mentem attinet vorantes, caetera fidentes Artis Medicae conditioni, qua nihil, quod circa Aegrotantes erratum eſt, a Medicis exigit jus civile.*

Dum Juvenes iſti Medici, de quibus hic Auctor loquitur, abſque congruis & ſufficientibus ſtudiis, repente atque inconſulto *ad ipſa opera ſeſe* transferunt, non Aegrotorum tantum, ſed etiam proprio damno id praeſtant. Hominum enim ſic periculis diſcunt, de humano agentes corio, ac ſi de lateribus aut de vilibus magis aliis rebus negocium eſſet. Aſt oh utinam ſic ſaltem diſcerent! Etenim ſperandum haudquaquam eſt, ut, qui indocti prorſus ad *Praxim* praemature nimis tranſeunt, innumera in Hominum perniciem errata committentes, progrediente aetate, aut etiam prope Senium experti aliquando evadant. Principiis quippe neceſſariis carent, quibus intima Naturae penetralia pervadere, morborumque cauſas perſcrutari ſatis valeant, ad veritatem funditus aſſequendam. Quapropter errores erroribus in dies addunt, atque fallaciis mentem ita aſſueſcunt, ut mille praejudiciis poſtea ſcatere neceſſario debeant. Nihilominus, quod pejus eſt, a fortuitis morborum fauſtis eventibus, eo meliores in dies fieri ſe poſſe Medicos pro certo habent, ideoque Sapientes calumniari non verentur, popularis aurae afflatu praetumidi. Mehercle hujuſcemodi Medici ex illis eſſe mihi videntur, qui ante Galeni tempora (13) *ſolis ſex menſibus, methodo (ut videbatur illis) comprehenſiva, docebantur*. Nil mirum itaque eſt, quod ipſi, poſteaquam e limine tantum Medicinam ſalutaverint, atque plura vix Medica nomina, indigeſtoſque diſcurſus, & promiſcua remedia tumultuarie, memoria potius quam intellectu acquiſierint, quibus arrepta occaſione, apud vulgus ſaltem, famam conciliare ſibi ipſis queant: Praeceptores ſuos cane pejus & angue effugiunt, ne fortaſſe, ſi ipſos adire ſaepe, publiceque alloqui videantur, pro eorum Diſcipulis haberi adhuc poſſint: dum caeteroquin cum ipſis colluctare ſe poſſe praeſumunt, eoſdemque anteire omnibus artibus, turpiterque etiam ſatagunt: adeo lucrandi cupido eos premit. Quamobrem praeſto eos ſemper habere ſuaſerim Galeni illud monitum (14) *Quiſquis plus divitiis, quam virtuti tribuit*,

(12) *Valleſ. controverſ. lib.* 8. *in Praef.* (13) *Idem ibid. lib.* 1. *in Praef.*
(14) *Galenus in lib. Si quis optimus Medicus.*

buit, Artemque non de Hominibus benemerendi, ſed quaeſtus gratia petit, eum non licet Artis finem expetere. Quem ſi expetimus, ante diteſcunt alii, quam nos ad id, quod habemus animo, perveniamus. Non enim ſimul poſſumus & pecuniam congerere, & Arti tam magnae operam dare: ſed qui alterum vehementius appetat, alterum contemnat neceſſe eſt.

Iſti ideo, illique omnes, qui abſque neceſſariis *Philoſophicis Anatomiciſque* cognitionibus ſeſe in Medicinam temerarie intrudunt, licet *Praxim Medicam* exercere audeant, quid ſit *Vera Praxis* haudquaquam ſatis intelligunt, neque intelligere ipſis convenit, ut labores in Arte effugiant: ac proinde a vera medendi Arte penitus aberrant. Haec enim (15) *duobus quaſi cruribus incedit; experientia & ratione. Quae cum altero crurum deficit, non poteſt per media opera decurrere: ſed multa omittens neceſſaria, tranſilit, ut quae uno cruri innituntur animalia. Cum vero alterum habet minus inſigniter claudicat: & quod longius eſt, raptatur, quod curtum totam Artem deprimit. Quare exoptatur merito is Medicus maxime, qui cum rationalis Artis peritia exercitationem in operibus conjungit.*

Haec duo utique ea ſunt, quae *Veram*, de qua loquimur, *Praxim* conſtituunt: *Artis* nempe *rationalis peritia*, atque *in operibus exercitatio*; dummodo tamen non *exercitatio rationem*, ſed haec illam praecedat, & comitetur ſemper, in iis ſaltem, de quibus tutum haberi ratiocinium poſſit. Plurima namque *exercitato* Medico occurrere in *Praxi* ſolent, quibus *experientia* tantum ſuffragatur, non autem *ratio*: cum revera oppoſitum tueri nullo modo liceat, nec quidem aſſerere. Nihilotamen ſecius in hiſce quoque (quorum plura Medicinam facientibus paſſim contingunt) licet veritatem, ope *rationis*, quamproxime attingere neutiquam datum ſit, ea tamen duce, prudens Medicus adeo dirigitur, ut, nota cum ignotis optime conferendo, eaque cum hiſce per *analogiam*, ut dicimus, comparando, errare ſaltem minus cogitando medendoque diſcat. Porro hoc perſaepe Medicis in *Praxi* contingit (16) *Eſt enim haec Ars conjecturalis, neque reſpondet ei plerumque non ſolum conjectura, ſed etiam experientia.* Nec tantum in arduioribus quaeſtionibus Medici captum praeter modum ſuperantibus, verum etiam in obviis quibuslibet rebus, quae aut ad morborum ideas & cauſas, aut ad remediorum ſelectum, nec non ad genuinas eruendas indicationes ſpectant, optimo *ratiocinio* (quod a perfecta Medicinae univerſali ſcientia unice petendum eſt) uti oportet, non vero *opinione*, cui non pauci utplurimum inhaerere, ideoque multoties errare gravius deprehenduntur. *Opinio* enim innumeris ſemper praejudiciis anſam praebuit, atque praebebit in poſterum, ſicuti & iiſdem firmatur: quibus ideo dum quiſpiam pertinaciter inſiſtit, eaque mordicus tuetur magis, multiplicibus erroribus in Aegrotorum damnum ſubji-

(15) *Valleſ. Controverſ. lib.* 8. *in Praef.*
(16) *C. Celſus in Praef.*

ſubjicitur, ſeduloſque veritatis amatores opprimit, calumniis afficit, omniaque ab hiſce recte geſta pro erroneis habenda eſſe audacter contendit, utpote qui in aliis blaſphemat, quae neſcit.

Hinc fit, quod a maleſana Medicorum iſtiuſmodi, qui *rationem* contemnunt, & *Rationales* inſectantur, *opinione*, turpiſſimum invidiae vitium originem trahere plerumque ſoleat, quod Cordatiorum Virorum famam perſaepe laceſſit. Hoc vero nunc etiam in Medicina dominatur adeo, & ſaevit, ut non immerito cum Valleſio innuendum illud ſit, quod ſuis ipſe temporibus effari non erubeſcebat. (17) *Diſpeream, ſi quiſquam eſt qui, audito Medici nomine, invidentiſſimi & gloriabundi hominis nomen non putet ſe audire. Uſque adeo nonnullorum culpa ad omnes Medicos in omnium opinione translata eſt: ut probum quemque Virum & peritum Medicum videam expetere, aut unumquemque ex ſe ipſo judicari, aut ſeſe ex Medicorum numero deleri. Precor illis, qui hanc infamiam in Artem transfundunt, bonam mentem & probos mores ut depoſito odio, & ſublata invidia, & contempta inani gloria, mittant aliis maledicere, & veritati ſoli avide incumbant: ut nihil diſſimulent, quod ſciant, ita nihil ſimulantes, neque vituperantes, quod ignorent.* Attamen non hinc Sagaciores Medici, & veritatis ſtrenui amatores, ob invidorum ejuſcemodi hominum opiniones, peſſimaque dicteria, a recto *rationali* Artis tramite dimoveri unquam debent, quin imo Blaterones hoſce penitus contemnere, dummodo ſatis conſcientiae ſuae, & ſtudendo & medendo, ſemper conſulant. (18) *Quid enim ſtultius Homine verba metuente? Eleganter Demetrius noſter ſolet dicere, eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo Ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, ſurſum iſti, an deorſum ſonent? Quanta dementia eſt vereri ne infameris ab infamibus.*

(19) *Non omnes terrent aurae, ſonus excitat omnis*
Suſpenſum;

Scientia e contrario, quae (20) *ſcire facit* in omnibus, ideoque ad *veram Praxim* Medicum manuducit, non adeo erroribus obnoxia eſt; ſive quo ad mores, ſive quo ad Artem. Ad hanc enim quod ſpectat, optimam illa praeſtat Hominis cum ſani, tum aegrotantis cognitionem, cujus ope, dum Oeconomiae animalis vires quaslibet & actiones quamproxime Medicus intelligit, varios quoque earundem receſſus a naturali ſtatu, juxta affectarum partium diverſam ſtructuram & uſus (unde morborum quorumcunque ratio emergit) tutius aſſequitur. Ejuſcemodi cognitio ſufficientem praeſupponit ſcientiam *Phyſicam*, atque accuratiorem *Anatomem*, quae binae ſimul, *Mechanica* coadjuvante, tutioris ratiocinii fundamentum conſtituunt: ut ex dicendis poſtea magis patebit.

Empi-

(17) *Valleſ. controverſ. lib. 6. in Praef.*
(18) *Seneca epiſt. 91. ad Lucill.* (19) *Virgil. lib. 1. Aeneid.*
(20) *Hippocr. de Lege.*

Empiricorum ſectae ſodales, ſeu qui ad *Empiricos* ſaltem, ut diximus; propius accedunt, ſententiam hanc, veluti cavillantis nimis Medici *opinionem* habere ſolent, certo certius putantes, abſque *anatomicis phyſicisque* diligentioribus ſtudiis, congruum a ſolis *obſervationibus* ratiocinium peti poſſe, quod recte tutoque Medicum quemlibet in *Praxi* dirigat.

Quanta *obſervationum* utilitas ſit, & ſemper fuerit, ad Clinicum quemvis inſtruendum Medicum, omnibus compertum eſt, atque ego ipſe ſatis in alia Diſſertatione demonſtravi. Verum non omnes *obſervationes* ad hoc ſufficere poſſunt. Illae enim, quae ab inexpertis fiunt (ab illis nempe, qui erroribus & praejudiciis innumeris obrutam penitus mentem ad id intendunt) tantum abeſt ut reſerandis Naturae arcanis, abditioribuſque morborum detegendis cauſis quidpiam conferant, ut haec omnia potius denſiore caligine obvolvant, ideoque magis inexpertum Medicum reddant, quo magis ab illis ſe erudiri & dirigi tutius poſſe, perperam ipſe arbitratur. Ejuſcemodi Medicos praejudiciis atque fallaciis ſcatentes, nec ſatis *Anatome* & *Philoſophia* edoctos, dum *obſervationibus* quibuſvis prope Aegrotos incumbunt, aſſimilare illis ſoleo, qui male conſtructa perſpicilla, eaque variis coloribus infecta gerant, quorum adminiculo in objecta quaelibet oculorum aciem intendere quaerant, ut ea melius videant, atque de eorundem affectionibus accuratius judicent. Iſtis quippe (ſi forte accidat, quod perſpicilla eo modo conſtructa habeant, ut objectorum effigiem imminuant, augeantve, aut multiplicent, aliove quovis modo immutent) quomodo quiſpiam credat, ſi aſſerant, hoc aut illud objectum ab ipſis viſum talis potius, quam alterius molis eſſe, aut figurae? Idem intellige de coloribus, qui varii ab ipſis deprehendantur, pro varia perſpicillorum, quibus utuntur, tinctura. Si autem perſpicilla, juxta *dioptrices* leges, adeo laevigata, conſtructaque ex puriore Chryſtallo habuerint, ut objecta in ſtatu vere naturali ipſis repraeſentent, iiſque utantur, ut cernant: tunc utique illis credendum erit, ſi de viſis judicare rebus, earundemque notitiam aliis praebere intendant: ſicuti etiam, ſi nudo ſanoque, nec non in omnibus optime valente oculo ſpectatae ab ipſis ſpecies proponantur. Idem propemodum de Medicis intelligendum eſt, quorum mens circa Aegrotos, caeteraque ad ipſos quomodolibet ſpectantia, verſari debet, tanquam oculus circa externa alia intuenda objecta. Idcirco quo purior Medici mens erit, *Anatomicisque* & *Philoſophicis* ſelectioribus cognitionibus veluti Solis purioribus ſplendidioribuſque radiis, illuſtrata: eo melius tutiuſque rerum quarumlibet veridicas ideas proprietateſque aſſequetur, aliiſque communicare poterit. Abſque *Philoſophia* vero & *Anatomia*, male diſpoſita mens Medici erit, atque pari proportione male res Medicas quaslibet attendet, peſſimeque de iiſdem judicabit. Quod ſi praeterea praejudiciis variis atque fallaciis (ſicuti & diverſis coloribus perſpicilla infici poſſe ſuppoſuimus) offuſcata

mens

mens fuerit; eo magis hallucinari debebit Medicus, faciliuſque procli-vis in errores evadet, ſi de rebus Medicis diſſerere, judicare, aut eas quomodolibet agere contenderit. Quamobrem ejuſcemodi Medicorum *obſervationes* hoc modo peractae, *hallucinationes* dici potius merentur; quibus itaque ea fides praeſtanda erit, quae inſomniis, aut chimaericis ebriorum vel delirantium ideis praeberi conſueſcit. Quod ſi iiſdem ipſi fidere ament, dum Medicinam faciunt: *veram* ne, an *falſam Praxim* exercere inde valeant, quilibet illico intelliget, atque Tu maxime, Doctiſſime Paſquali, utpote qui praejudiciis nunquam aſſuetus, atque a primis uſque annis veritatis genuinus amator, tutiores ſemper cum ab *Anatome*, tum a *Philoſophia*, *Mechanica* duce, ideas, & ratiocinationes expetere ſolitus fuiſti, ut in Piſana Celeberrima Academia Medicinam laudabiliter edoceres, ibidemque *veram* exerceres *Praxim*, quam nunc Florentiae ſumma cum laude profiteris.

A Te ideo diſcant *Pſeudo-obſervatores* illi, quod ad Medicinam recte, & cum Sapientum laude faciendam, optime diſpoſita mens, nulliſque praejudiciis foedata ſit, oportet. Mentem ideo ad haec maxime diſponit vera *Philoſophia* cum diligentiore *Anatome*, ut diximus, conjuncta, quarum utraque ſibi viciſſim lumen praeſtat, eaeque ſimul junctae Medicum egregie illuſtrant & dirigunt, morum ſimul probitati (quae ad hanc Artem ſpecialiter requiritur) conferendo. Profecto (21) *Si quis verus Medicus eſt, idem ſit & veritatis, ſit etiam temperantiae amicus. Illudque intelligitur eumdem eſſe methodi rationalis ſtudioſum, ut morborum quot genera ſint, ſpecieſque cognoſcat, utque in ſingulis illis quo pacto ſumenda ſit indicatio remediorum intelligat, atque hac eadem methodo ipſam Corporis naturam docemur, & quae ex primis conſtat elementis, quae tota inter ſe temperata ſunt: & quae ex ſecundis compoſita eſt, quae & ſenſibilia ſunt, & (ut eo nomine utar) ſimilaria appellantur; & quae tandem ex partibus organicis expletur; quin etiam & quae utilitas ex omni harum partium genere, & quae actio animalibus eſt, ex illa eadem methodo cognoſcimus: quandoquidem, & eas oportet non inexploratas negligere, ſed demonſtratione perceptas habere. Quid igitur? an aliquid jam reſtat, cum Medicus non Philoſophus ſit, is, inquam, Medicus, qui Arti operam Hippocrate dignam impendat?* Unde paulo infra Auctor ipſe ſic animadvertit. *Certe nos primum ſtudium debemus in Philoſophia conſumere, ſi veri Hippocratis aemuli eſſe volumus, quod ſi fecerimus, nihil impediet, quo minus eo meliores efficiamur, nedum ſimiles, ſi cognitis iis, quae ab illo bene dicta ſunt, caetera, quae Arti deſunt, ipſi inveniamus*: id quod tamen ſupra enarrati *Pſeudo-obſervatores* Medici praeſtare nunquam poterunt.

In immenſum pene, praeter inſtituti hujuſce normam, oratio procederet, ſi omnes recenſere hic vellem rationes, Clariorumque Auctorum ſententias, quibus ſatis ſuperque probatur, maximam eſſe *Philoſophiae* neceſ-

(21) *Galenus lib. ſi quis optimus Medicus.*

neceſſitatem ad Medicinam recte faciendam. Hiſce ideo ſuperſedere ſatius arbitror, ut de *Anatomia* fuſius loquamur. Probare ſiquidem oportet, quod *Empirici* ejuſcemodi, de quibus nunc agimus, Medici, *nec morbos noſcere, nec eos curare, nec eorum exitus praenoſcere, abſque Anatomia, cui Philoſophia famuletur, poſſint*; quod idem eſt ac dicere, ipſos *veram Praxim* nunquam exercere, quamvis circa Aegrotos diuturno admodum tempore verſati fuerint, eorumq; plurimos ab ipſis quoquo modo curatos evaſiſſe noverint, propter quod apud Vulgus maximam exiſtimationem adepti fuerint.

Equidem, ut de morborum inveſtigatione loquamur: quam arduum, quam difficile evadat Medico cuilibet licet ſolertiſſimo, atque repetitis toties longo *Praxeos* curriculo *obſervationibus* ſatis edocto, tutum ſibi aſciſcere judicium, cujus ope non certe quidem, ſed veriſimiliter ſaltem, genuinas morborum ideas aſſequi poſſit, ſingulaſque eorum cauſas adamuſſim perſcrutari; Quilibet profecto ſatis cognoſcet, qui Artem noſtram magna ex parte *opinabilem*, & *conjecturalem* eſſe non ignoret. Porro ſi morbi omnes, aut fluidorum, aut ſolidorum, aut utrorumque (quod utplurimum evenit) malam diſpoſitionem ſupponunt, quam neceſſario ſubſequitur affectarum partium mala, aut incongrua actio, a qua, veluti veridica magis norma, individualis morbi ratio deſumitur: nemo ſane morborum unquam ideas aſſequetur, niſi fluidorum proprietates varias atque *diatheſim*, partiumque ſolidarum quarumlibet ſtructuram, poſitum, connexionemque cum aliis, atque tandem earum uſum in ſtatu ſano adamuſſim prius cognoverit: Ad quae *Anatomia* praecipue, *Philoſophia* dirigente, manuducit. Ille ideo tantummodo, qui (22) *Anatomes peritus eſt, & mechanicam corporis bene callet, is utique aptiſſimus erit ad multas difficiles, & alias abſtruſas res, quae in nobis fiunt & contingunt explicandas.* (23) *Quapropter oportet illum, qui Aegritudines vult cognoſcere occultas, ut Anatomiae notitiam adeptus ſit, ad hoc ut per eam ſcientia ſubſtantiae cujuſcunque membri acquiratur, ſi eſt carnoſum, aut cujuſmodi eſt ejus forma &c.*

Si innumerabilem hic morborum omnium ſeriem recenſere ſingillatim vellem, multos utique, ne dicam pleroſque, oſtendere poſſem tales eſſe, ut abſque praevia partium *Anatomica* diſquiſitione adamuſſim diſtingui nequeant: paucos autem, quorum genuinam ideam nuda tantum *experientia* aſſequatur. Hinc (ut alios omittam) dum Aegritudines illae Medici judicio ſubjiciuntur, quae ab *organica* Cordis adnexorumque ipſi majorum vaſorum ſpeciali laeſione dependent, eas profecto nemo *Anatomes* imperitus indicare proprie valet; maxime quia pleraque ipſis adnexa *ſymptomata*, aliis etiam plurimis communia evadere paſſim comperiuntur. Quamobrem ſaepe ſaepius hallucinari Medicos novimus, qui

(22) *Frid. Hoffman Med. Rat. tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 14.
(23) *Avicenna lib.* 1. *Fen.* 2. *Doctrin.* 3. *cap.* 1.

qui iſtiuſmodi morborum accidentia minus aequo criterio ponderantes, *Hypocondriacam* potius, aut *Hyſtericam* affectionem accuſant, cui cum ſpecialibus remediis obviam ire tentent, *organicae* laeſionis, ab ipſis neutiquam cognitae, incommoda graviora faciunt, praecipuamque cauſam magis augent & firmant; unde citius quam par eſt ad interitum Aegroti perducuntur: ut multoties obſervavimus. E contrario illi, qui *organicum* illud ſtatim agnoverint vitium, etiamſi, ope optimi ratiocinii, congrua, ut ipſum tollant, remedia invenire nequeant; eas tamen in regimine victus regulas indicare norunt, quae ejuſdem morbi augmentum ſaltem avertant; ideoque & caetera omittunt remedia, quae, utpote ad alios morbos ſpectantia, hunc augere magis magiſque poſſunt.

Hoc verum eſſe magis etiam cognoſcimus in Mulierum, & Virginum ſpecialiter morbis, qui plerumque multiplicibus adeo & variis *ſymptomatibus* ſtipari conſueſcunt; ut, ni congruo ratiocinio ab *Anatomia* praecipue petito utamur, in errores adduci perquam facile poſſimus, dum eorundem ideam aſſequi tentamus. De *Protheiformibus* hiſce Mulierum Aegritudinibus alias fuſius agam in ſpeciali libro, quem data opera conſcribere in animo habeo, ut innumera evertam praejudicia, quibus in hujuſcemodi curationibus plurimi perperam innituntur.

Et ut omnia paucis perſtringam, verum ſemper eſt, quod (24) *Morbus atque ejus cauſa interior noſtros plerumque ſenſus effugiunt, nec in conſpectum ſe dant: ex ſymptomatis tamen, ceu ex ſignis, innoteſcunt. Hinc Artis Medicae pars maxima opinabilis & conjecturalis eſt, cujus veritas non aliter quam argumentis atque ſignis illuſtratur.* Signa utplurimum *Praxis* ipſa exhibet: *argumenta* vero abſque ratione non habentur, ac proinde abſque *Phyſicis Anatomiciſque* praecipue cognitionibus non eruuntur. (25) *Equidem nunquam ullum plane cognitum penituſque perſpectum morbum eſſe putaverim, niſi compertum habeatur, & quaſi oculis cernatur, quae in humano Corpore ſedes primario laboret, quis in ea ſit affectus praeter naturam, unde is proceſſit.* Nec tantum ad internorum morborum eſſentiam & cauſas inveſtigandas, optimum Medici ratiocinium illud requiritur, verum etiam quum de externis agitur; qui, utpote oculis ipſis immediate ſubjecti, facilioris indaginis eſſe ab omnibus exiſtimantur. Utplurimum enim iſtorum *origo* (26) *fere ex interiore cauſa trahitur, cujus obſervatio atque curatio plane eſt Medica: imo etiam omnium, quae foris exiſtunt atque geruntur rationem Medicus tenet, qui & Chirurgi opus dirigit, ut Medicus ratione, Chirurgus manuum uſu & exercitatione praeſtet, & excellat.*

Nil ideo mirum eſſe poteſt, quod, dum pro arduioris alicujus morbi idea & cauſa inveſtiganda, plurimi in conſilium advocantur Medici, diſcre-

(24) *Fernel. Pathol. lib.* 2. *cap.* 8. (25) *Idem de Part. morb. in Praef.*
(26) *Idem de extern. affect. in Praef.*

diſcrepantes adeo hinc inde emanent ſententiae, quae acerrimis ſaepe contentionibus, in Artis maximum dedecus, anſam praebeant. Quamobrem ab hujuſcemodi litigiis ſummopere turbantur & expaveſcunt Aegroti, dum propriae vitae jacturam reformidant, ipſamque Artem contemnunt, unde non immerito in propoſitum noſtrum animadvertiſſe ſic videtur Hippocrates. (27) *Proinde calumniam incurrit tota Ars apud vulgus adeo magnam, ut neque omnino medicinam eſſe putet*. Litigia haec a congrui utplurimum ratiocinii defectu (niſi & malignantis Animi culpa id evenire contingat, ut multoties fit) derivantur: unde varii varia ſentiunt, mordicuſque adeo tuentur, ut oppoſitum cum aliis ſentire penitus renuant. Etenim, ſi omnes illi, qui hac de cauſa ſimul convocantur Medici, congruis inhaererent principiis a *Philoſophia* & *Anatome* optime petitis: non ita facile, neque tam ſaepe contentiones illae exſurgerent, neque de levibus adeo rebus ageretur; imo facile in unum reduci poſſent Medici, tametſi inter ſe diſcrepantes. Quod ſi ad haec etiam malae praeterea Medicorum aemulationes conferant, eo magis Artis decus, & eorundem fama proſternitur. Suis itaque & Artis rebus melius ſane conſulerent Medici, ſi, dum conſilia inter ſe ineunt, non coram Aegrotis id facerent, ſed ſecretum inter ſeſe ſermonem haberent, atque ſic quilibet libere propriam ſententiam in medium proferret, ſimulq; rationum utrinque emanantium robur more *Philoſophico* perpenderet, propriae non magis, quam alienae *opinionis* amator.

Non hinc tamen unquam inficiari auſerim, complicatos ſaepe occurrere morbos, eoſque multiplicibus adeo variiſque ſtipatos *ſymptomatibus*, ut ſagaciorum etiam Medicorum captum omnimode ſuperent, ipſique ideo in errorem adducantur, dum eorundem ideas aut cauſas aſſignare contendunt. Quis vero tam audax, imo tam demens in Arte noſtra reperiri unquam poterit, qui, (ſive in hiſce, ſive in aliis, quae ad Medicinam faciendam quoquo modo pertinent) deceptum ſe nunquam fuiſſe, nec unquam decipi poſſe contendat? Medici enim ſaniores, qui veram Medicinae obtinent ſcientiam, ſatis ab Hippocrate ipſo didicerunt, *difficile* admodum *judicium* plerumque evadere; quare, ſi unquam decipiantur, errores ſuos confiteri neutiquam erubeſcunt, ſecus ac alii faciunt, qui, quo magis expertos ſe eſſe praeſumunt, eo ſaepius graviuſque errare comperiuntur. Maxime ideo laudandi, & ſummopere aeſtimandi illi ſunt Medici, qui, quum veridicam morbi cujuſpiam ideam non attigerint, errorem ſuum confiteri potius, & praehabitam immutare ſententiam amant, quam Aegrotum ſibi commiſſum crudeliter perdere. (28) *A ſuturis ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriae prodidit, more ſcilicet magnorum Virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium; nam levia ingenia,*

(27) *Hippocr. de Vict. in acutis.*
(28) *Celſus lib.* 8. *cap.* 4.

nia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio.

Quod ſi circa morborum ideas & cauſas facile decipi ſe poſſe norunt Sapientiores Medici, & revera non raro falluntur: quidnam potiore jure dicendum de illis erit, qui abſque congruis *Anatomiae* & *Phyſicae* cognitionibus, circa omnia, quae ad Aegrotos & morbos ſpectant, ratiocinari tuto & ſemper ſe poſſe audacter contendunt, ita ut quibuslibet indiſcriminatim opem ferre opportune queant? Dicant autem quod velint! Fruſtra fauſtos quoslibet curationum ſuarum eventus, ſorti potius quam ipſis tribuendos, nobis obtrudent, ut imperitiam ſuam vanis vulgi applauſibus obtegant. Equidem ſemper cum Galeno ipſis reponam (29) *quod Anatomes imperiti ſimiles ſunt iis, qui, iter in lectica caeci faciunt, eoque vehementer errant.* Addam inſuper, quod congrua hujuſcemodi *Anatomes* ſcientia, quae ſatis eruditum, Aegrotiſque vere utilem reddere Medicum valet, non a libris tantum, ſed ab *Autopſia* ipſa, imo ex Cadaverum diſſectione propriis manibus ſaepe peracta (quae quidem ad id melius confert) petenda eſt. Eam enim prorſus inter *Anatomicum* ſola librorum lectura, circa ea, quae humanam machinam mirabiliter conſtruunt, inſtructum, & alium frequenti Cadaverum diſſectione, aut ſaltem ſedula inſpectione edoctum, differentiam intercedere ſemper exiſtimavi; quam quilibet rudior e Populo aſſignaret inter eum, qui Regionem aliquam, aut Pagum, aut Urbem, ejuſdemque poſitum, ſtructuram &c. ex ſola *Geographica Charta* raptim didiciſſet: & illum, qui data opera itinerando, loca illa adiiſſet, ibidemque praecipua omnia animadverſione digna oculis ipſis diligenter attenderet. Quis autem illum aeque, ac iſtum, ſpeciales illorum locorum proprietates agnoviſſe, atque callere optime putaverit? Nemo ſane, niſi demens fuerit. Pari ideo hinc deſumpto ratiocinio, ſtatuendum merito eſt accuratam Cadaverum diſſectionem, aut frequentem inſpectionem ſaltem, non vero librorum, licet ſedulam, lecturam tantum vere ſufficere, ut admirandam totius Corporis, atque praecipuarum ejus partium ſtructuram, ſingulaſque magis obvias proprietates, prout Medico convenit, aſſequamur. (30) *Quicunque vult operum Naturae eſſe contemplator* (appoſite Galenus monet) *non oportet eum anatomicis libris credere, ſed propriis oculis: aut ad nos accedere, aut cum aliquo eorum, qui nobiſcum verſati ſunt, verſari, aut ipſum per ſe diligenter exercitari Anatomicis manu obeundis.*

Ergo ne ideo Sapientes in Medicina, *Aegrotiſque vere utiles* cenſeri illi poterunt, qui tantum abeſt, quod ſedulum atque frequens Cadaverum ſcrutamen, Medico neceſſarium eſſe arbitrentur, ut ab eo, veluti Chirurgis tantummodo committendo, omnimode abhorreant, illudque in aliis con-

 demnent,

(29) *Galenus Claſſ. 5. de Compoſ. Medic. lib. 3. cap. 2.*
(30) *Idem Claſſ. 1. de Uſu part. lib. 2. cap. 3.*

demnent, atque pro nihilo habendum eſſe, clam pleriſque demonſtrare quoquo modo ſatagant. Hiſce profecto illud merito convenire videtur, quod lepide contra Medicos *Matheſim* ſpernentes innuit Celeberrimus Bernoullius

(31) *Scilicet ut Vulpes, caudam quae amiſerat, illa*
Ne pudibunda foret Syrmate ſola carens;
Veſtrum, ait, o Sociae deponite inutile membrum.

Quommodo autem garruli ejuſcemodi Blaterones, ingenio ſuo nimis fidentes, ſola *anatomicarum* tabellarum evolutione tumultuarie etiam peracta, *Microcoſmi* hujuſce ſtructuram perſpectam ſatis ſe habere praeſument, quo uſque Cadaverum Exta quaeque oculis ipſis rimari ſaepe non quaerant? Quommodo idoneas & quidem neceſſarias ſibi ipſis aſciſcent cognitiones, ut morbos quoslibet, eorundemque immediatas internas cauſas agnoſcant? Hiſce namque praeſidiis carentes nihil unquam laude dignum in Medicina praeſtabunt. (32) *Hanc Anatomes in ſocordibus imperitiam* (ſic animadvertit optime Sylvius) *hunc ejuſdem in delicatulis neglectum, & in naſutalis contemptum conſequuntur tam multifariae, tam a rei veritate alienae, tam Aegris ſaepe numero noxiae de viſcerum plerumcunque uſu opiniones.* Unde & peſſima Medendi methodus proficiſcitur.

Verum enim vero, dum *Anatomiae* & *Philoſophiae* neceſſitatem maximam in Medicina eſſe, ad genuinas morborum eruendas ideas & cauſas, demonſtrare contendo; haud ſatis mirari unquam potero, quod ſaepe, (cum de abſtruſis magis Aegritudinibus, abditioribuſque earundem cauſis, & *ſymptomatibus* agitur) *Anatomes* ignari, tanquam ex tripode, de illis omnibus loquantur, decernantque, & quidem abſque ulla haeſitantia, quae a Cordatioribus tunc ſemper laudatur: ideo de illis ſtatim judicant, omniaque ſe intelligere & explicare poſſe innuunt. Id ipſum ſic admirabatur Valleſius, dum dixit (33) *Mirum eſt quam facile, quam incunctanter vulgares Medici de cauſa valetudinis rogati, etiam ſi annua, aut etiam longior ſit, reſpondeant, hinc hoc, illinc illud initium coepit. Certe facilius affirmant quae neſciunt, quam quae ſciunt. Eruditi vero cunctanter, & multa rogantes ab Aegrotantibus, tandem reſpondent multo pauciora, quia ſciunt judicium eſſe difficile.* Quo magis enim quiſpiam in Medicina neceſſariis cognitionibus, optimoque ratiocinio praeſtat, eo magis, de abditis morborum principiis judicando, errare ſe poſſe cognoſcit. Perfecta ſiquidem rerum omnium ad hanc Artem ſpectantium contemplatio, innumera pene Eruditis objicit, propter quae, ratiocinando, indoctos ſuperare admodum valet: dum alia etiam emergunt, in quibus caute ſe gerere debere intelligit, ne de *corio humano* tam audacter abſque ulla norma agatur.

Aſt,

(31) *Michellot. de Separ. fluidor. in Praeloq.*
(32) *Sylv. de le Boè diſput. Med. 5. n. 4.*
(33) *Valleſ. Com. in Aphor. 1. Hipp. ſect. 1.*

Aſt, ut paucis *Anatomiae* contemptores, aut in ea non ſatis peritos Medicos inſectemur, demonſtrando, ipſos eam *Verae Praxis* partem, quae ad dignoſcendos morbos dirigit, neutiquam ſpecialiter callere: ſatis erit ſic cum Sylvio ratiocinari. (34) *Nemo unquam ex arte faciet Medicinam, qui functionum quarumvis laeſarum cauſas proximas, & remotiores non cognoverit. Cognoſcet illas nemo, qui partes, in quibus, & cauſas omnes, a quibus ſecundum naturam ſingulae functiones fiunt, non praecognoverit. Haec omnia praecognoſcet nemo, qui Anatomes imperitus, ac proinde contemptor, ex ſui alteriuſve quantivis etiam Hominis Cerebri figmentis corporis humani fabricam molitur, & nugatur.*

Caeterum *Anatomes* oſores illi, invidia potius quam ratione ducti, (dum ipſius maximam neceſſitatem eſſe, ad abditarum magis Aegritudinum ideas & cauſas inveſtigandas probare contendimus) fortaſſe cum Divino Sene ſic nobis audacter objicient: (35) *de non apparentibus, & difficillimis Aegritudinibus plane opinio magis, quam ars ipſa judicat.* Quod paſſim Clininicis Medicis difficillimi occurrant morbi, iique variis adeo plurimiſque ſtipati *ſymptomatibus*, ut de eorundem eſſentia judicare, atque ipſorum cauſas agnoſcere, arduum maxime ac pene impoſſibile evadat, nemo unquam ex Sapientioribus inficiabitur. Concedendum tamen merito erit, quod, ſi veritatem in hiſce omnimode aſſequi nequeat expertus Medicus, *Anatomia* & *Philoſophia* ac proinde optimo ratiocinio fretus; veriſimiles tamen eorundem ideas obtinebit potius, quam alter, ſola *opinione*, imo ſolis praejudiciis a *mala Praxi*, licet diuturna, petitis innixus. Idcirco ille potius, quam iſte ſaltem errare tunc minus poterit: quod utique maximum eſt in Medicina facienda, atque ſummopere Aegrotos intereſt. Aſt quid plura? concedamus etiam illis, ut alias innuimus (36) *conjecturalem eſſe Medicinam, rationemque conjecturae talem eſſe, ut ſaepius aliquando reſponderit, interdum tamen nos fallat.* (37) *Quid ergo? an ideo anatomicus abjiciendus ſcalpellus? an omnibus Philoſophorum valedicendum erit perquiſitionibus, atque ad ſcepticos confugiendum, apud quos veritatem ullam unquam deprehendere deſperantes, in molli otio vitam traducamus? Minime gentium. Etiamſi enim poſt innumera diſſecta Cadavera hoc unum cum Mortalium ſapientiſſimo diſceremus, nos nihil ſcire, exantlati tamen laboris poenitere nos non deberet.* Equidem quamvis cuique compertum optime ſit, quod *ultimae differentiae nos latent*, atque a Celeberrimo Boerhaavio doceamur (38) quod *ſanitatis natura & morborum in obſcuro latet; illorum cauſae ſunt imperſcrutabiles*: nemo quidem (niſi ille propriae igno-

M 4 rantiae

(34) *Sylv. de le Boè Diſput. Med.* 5. *n.* 1. 2. 3.

(35) *Hippocr. lib.* 1. *de Flat. cap.* 2.

(36) *Celſus cap.* 6.

(37) *Auctor. Biblioth. Anatom. ut refert Malpigh. in Sbaraleam.*

(38) *Boerhaav. Orat. de Stud. Hippoc.*

rantiae ſit amator) negabit, *anatomicas* doctrinas ita ſaltem Medicum inſtruere, ut congruum ratiocinium eo ipſum dirigat, quo intellectui humano pervenire conceſſum eſt: dum interea alii, non ratione, ſed fortuna tantum favente, metam aliquando aſſequentur, ſive potius aſſequutos ſe fuiſſe putabunt; praecipue ſi ex illis fuerint,

(39) *Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt.*

Attamen inſtabunt ipſi iterum, atque pro certo aſſerent, quod (tametſi quiſpiam Cadavera denatorum ex abditioribus morbis ſaepe ſaepius introſpiciat, atque ipſe diligenter diſſecet) vix credibile ſit, quod plerumque genuinam mortis cauſam agnoſcat, aut ſaltem veram morbi primam originem inveniat: quod neceſſarium quidem fore videtur, ut, ſi idem alias evenerit morbus, ejuſdem principia tuto indicare, iiſdemque praemature & melius obſtare valeat. Siquidem putant ipſi, quod progrediente morbo, eoque diu protracto, ab ipſo aliae & aliae in dies ſuboriantur Aegritudines; dum ab unius partis laeſione, alia ſubinde & alia laeditur: unde, aperto Cadavere, difficile admodum captu ipſis videtur, num pars haec, num illa primario affecta fuerit, & quonam vere primum affectu laboraverit: quod quidem non Mortui, ſed Viventis tantum explorata viſcera indicare tuto poſſe, ſibi perſuadent.

Mehercle qui idoneis carent cognitionibus, atque Cadaverum accuratioribus diſſectionibus nunquam, aut raro admodum ſeſe exercuerunt, dum Mortuorum Exta rimantur, plurimaſque ex inſpectis partibus laeſas fuiſſe deprehendant, nihil certi eruere inde poterunt, ut praegreſſi morbi cauſam adamuſſim intelligant; ideoque concedendum erit ſupervacaneas prorſus ad hoc ipſis evaſuras Cadaverum diſſectiones; niſi, iiſdem ſaepiſſime diligenterque incumbentes, veritatem inde depromere aliquando ipſi diſcant. Verumtamen illi, qui frequenter, qui ſedulo, qui praejudiciis omnimode carentes, denatorum labefactatas partes intueri ſolent, praevio quidem praegreſſorum ſpecialium *ſymptomatum*, atque quorumlibet antehabiti morbi permutationum, viciſſitudinumque ſcrutamine: juſto adeo pollere poterunt ratiocinio, ut ex inſpectis laeſis partibus hanc potius quam illam primum laboraſſe, certo certius aſſerere non vereantur: maxime quia mutuas quarumcunque partium communicationes multo antea perſcrutati fuerunt. Hoc vero ſatis ſuperque eſt, ut, quotieſcunque de iiſdem circumſtantiis *ſymptomatibuſque* alias agatur, praeſto inde ſit iſtorum Medicorum judicium, quod Aegrotus ille eodem morbo detineatur.

Quid inde? repetent Adverſarii. Ergo ne Clinicus Medicus, *Anatomes* quantum volueris peritus, atque in Cadaverum diſſectionibus exercitatus ſaepiſſime, ſi quempiam deprehenderit morbo illo detentum, quo alium occubuiſſe novit, illum ab orci faucibus eripiet?

Sane

(39) *Terentius.*

Sane nimis poſtulant illi, qui ſic loquuntur; ac ſi morbos quoslibet indiſcriminatim a Sapienti Medico ſelectioribus omnibus cognitionibus praedito, depelli toties omnino poſſe contenderint, quoties eorum cauſa & origo in propatulo poſita fuerit. Etenim nemo ignorat (40) quod *Aegroti omnes ſanari non poſſunt: Medicus enim Deorum potentiam anteiret.* Verum enim vero, tametſi morbos ejuſmodi, ab ipſo perfecte & intime cognitos, evincere penitus ex diſſectis Cadaveribus non didicerit: id ſaltem aſſequutum inde eum eſſe conſtat, quod Aegrotis minus nocere noverit. Ea nempe omittet, quae aut inutilia, illis fruſtra moleſtiam adferrent, ipſorum pecunias incaſſum diſperdendo: aut nocua, quae nempe alteram morbi cauſam reſpicientia, genuinae, aliis ignotae, oppoſita e directo erunt. Cognito ideo funditus ex dictis morbo, illa tantummodo remedia praeſcribet Medicus, quae *ſymptomatibus* gravioribus obviam ire ſaltem poterunt (ſi videlicet de inſuperabili agatur morbo) congruam inſuper ſtatuens victus normam, quae perſpectam ejuſdem cauſam nec foveat, nec augeat, imo minus valentem reddat. Hocque illud unum eſt, quod ab experto Sapienti Medico expeti rationabiliter poteſt, tunc cum de *organicis* agitur morbis, quos utique praemature cognoviſſe, & illius decori, & Aegrotantium bono praetermodum confert.

Ex hiſce ideo ſatis ſuperque evincitur, quod *anatomicum* Cadaverum ſcrutamen, ſicuti cognoſcendis morbis opportunum & neceſſarium eſt, ita ad eorundem curationem pari ratione maxime praerequiritur, Clinicoſque illos Medicos ſummopere inſtruit (41) *qui, quod ſummum eſt in re Medica, contingere, & ſibi comparare volunt: nempe quantum fieri poteſt, Corporis, & partium ejus praeſentem ſanitatem tueri, & morbos inde depellere.* Quamobrem (ut Heiſteri verbis utar) (42) *Medicos & Chirurgos, ſalva conſcientia, Anatome carere non poſſe, certum eſt, ſi Artem, quam profitentur, non in detrimentum generis humani, ſed rite exercere cupiunt: nam quod Navis Gubernatori Pyxis nautica, ſive acus magnetica, id his eſt notitia anatomica: quidquid etiam ignari, & malevoli quidam obganniant, atque in utiliſſimae, ac divinae hujuſce Artis opprobrium calumniari annitantur.*

Dum ego hic maximam *Anatomiae* utilitatem ad perfecte cognoſcendos, tutoque curandos morbos commendo; hiſce acquieſcere prorſus renuunt illi omnes, qui ſpecialibus illis cognitionibus carentes, cum Celſo, ut initio innuimus, dicere ſemper ſolent, non ratiociniis, ſed remediis Aegrotos curari, atque ad haec ideo potius attendendum ſedulo & praecipue eſſe, depraedicant. (43) *Haec doctrina Medici Empirici, & haec propoſitio quotidie in Aedibus inculcata, quod ſcilicet ſolum incumbendum ſit ad reme-*

(40) *Aretaeus lib.* 1. *de Diut. Morb. curat. cap.* 5.
(41) *Ambroſ. Paraeus de Hum. Corp. Anatom. lib.* 2. *in Praef.*
(42) *Heiſt. Compend. Anatom. de Anatom. univerſa.*
(43) *Malpigh. Op. poſt. contra Sbaral.*

remedia, vulgaribus hominibus placet, ſed Sapientes agnoſcunt, praeter haec, Artis praecepta requiri, quibus uti poſſimus. Ejuſcemodi praecepta rationi innituntur; haec autem a *Philoſophicis* & praeſertim *Anatomicis* doctrinis, non autem a maleſanis *Pſeudo-Medicorum* opinionibus, aut a ſola nuda *Praxi* proficiſcitur. Hinc quippe emanat ſanioris ratiocinii fundamentum, cui Medicus inſiſtere debet, ut, perſpecta occurrentium morborum ſpeciali indole, ſimulque adhibitorum remediorum vi, ea prudenter ſeligat, quae in propoſitis circumſtantiis conſona magis cenſeantur. Sicuti enim quilibet facile intelligit (44) *non ſufficere Principi poſſidere ampla armamentaria, ſed egere hominibus, qui in tractandis armis ſint inſtructi, illiſque bene utantur;* Ita compertum etiam ipſi ſatis erit, non remediorum multitudinem, ſed ſelectum praeſertim ad Medicinam faciendam ſummopere conferre. Hujuſcemodi ſelectus maximum Medicis quibuslibet negocium faceſcit, illorumque ſummam prudentiam & peritiam praeſupponit, ut non tantum morborum, ſed Aegrotorum etiam individuales characteres rite perſpectos habeant, non neglectis externis praegreſſis cauſis, ſive eae ab anni temporum viciſſitudinibus, ſive a victus erroribus, ſive a locorum ratione varia petenda ſint: praeter alia quamplurima, quae adamuſſim perpendere, arrepta occaſione qualibet, ſolent ſagaciores Clinici Medentes, utpote qui ex Celſo didicerunt: (45) *differre quoque pro natura locorum genera Medicinae: & aliud eſſe Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia.* Quamobrem, dum (46) *non eadem omnibus in ſimilibus caſibus opitulantur:* merito Divinus ipſe Senex admonet (47) quod *inſpicere oportet & regionem, & tempus, aetatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non.* Haec autem omnia inſpiciet nemo, qui praedictis cognitionibus careat: unde ſtatuendum omni jure erit (48) *Neminem poſſe morbos commode curare, qui Corporis univerſi naturam non perſpexerit;* ut monet Galenus; unde ipſe alibi ſtatuit, oportere *ſcire* (49) *complexiones, cauſas, & accidentia; quoniam qui ignorat haec, non eſt ſecurus quin noceat plurimum, & pro majori parte; & ſi aliquando proderit, hoc erit ex fortuna.*

Si haec ita ſe habent, quilibet cum doctiſſimo Verulamio exiſtimabit, (50) *Temerarium quidem eſſe, Empiricis Medicis valetudinis curam tradere, qui ſolent pauca quaedam Medicamenta, quae illis videntur panchreſta venditare, quorum fiducia nihil non audent tentare, cum tamen neque cauſas morborum, neque Aegrotorum habitus, neque ſymptomatum pericula, neque veram ſanandi methodum calleant.* Quapropter addendum hic etiam eſt cum Valleſio, quod maxime expedit (51) *ut non quivis illotis manibus Medicam Artem ingrediatur:*

(44) *Malpigh. Op. poſt. contra Sbaral.* (45) *Celſus in Proaem.*
(46) *Idem ibidem* (47) *Hipp. Aph.* 2. *Sect.* 1.
(48) *Galenus Meth. Med. cap.* 1. (49) *Idem de Medic. Empiric.*
(50) *Bac. de Verulam. lib.* 1. *de augment. Scientiar.*
(51) *Valleſ. Com. in Aphor.* 1. *Hippoc. Sec.* 1.

tur: neque, ut hodie fit, non ſine magno omnium malo, Tonſores, Pharmacopolae, Amaetodi Chirurgi, quin & Veterinarii repente Medici fiant: ſed illi ſolum, qui in aetate idonea, & cum ingenio mediocri priores Artes edocti ſint.

Si qui unquam ex hiſce in nobiliſſimam Artem noſtram, abſque idoneis cognitionibus, intrudere ſeſe temere audent, id praecipue diligenter ſatagunt, quod maximum ſibi ipſis aſciſcant remediorum catalogum, eorundemque vires quoquo modo ediſcant, ſeu potius memoriae teneant. Solicitos ideo paſſim eos videre contingit; dum (52) *Medicamenta ex aliorum chartis indiſtincte tranſcribunt, ſervantque ſibi ſyngraphas ſerapiorum, & catapotiorum, & potionum, decoctorum, infuſionum, inſeſſoriorum, evaporatoriorum, Clyſterium, peſſulorum, & ſi quae ſunt alia, quibus alii fuerint uſi, a quibus ad eos per multorum manus ſyngraphae derivatae ſint. Qui plurimas congeſſit, is habetur peritiſſimus; & qui, ſi exigantur, poteſt plura Medicamenta, & (ut ita dicam) pluriformia tribuere, quae citius, & minus caute plura nominat, neque ſpeciei morbi, neque temperamenti Corporis curam habens.*

Uſque adeo Valleſii etiam temporibus Mundus decipi amabat, ut falſis hiſce Medicinae ſpeciebus alliceretur: quod tamen noſtro hoc aevo non ita facile eveniet, quum plerumque in ore Sapientum illa merito verſari ſolet quaeſtio: *utrum melior & tutior Medicina ſit, nulla uti Medicina*: pro ut ſaepiſſime opportunum eſt.

Verum tamen haud paucos nunc etiam invenies, qui, cum neceſſaria Medicarum rerum perfecta ſcientia careant, modo ex libris, modo *ex aliorum chartis* apud Pharmacopolas *ſyngraphas* plurimas exquirere conſueſcunt. Et oh utinam ex Hippocrate ſaltem didiciſſent, quod (53) *temporum opportunitates curationum ſunt animae;* ita ut arreptis remediis uti congruo tempore noſcerent. Equidem ſecus iſti faciunt, atque (54) *non tam tribuunt Aegrotantibus, quae ipſi debent, quam quae alii ſolent, atque ea ipſa, non ut alii ſolent..... uſque adeo neque ſimplicium vires perpendunt, neque medicamentorum doſes conſiderant, neque utendi opportunitatem, neque aliud quidquam.* Nihilo tamen ſecius, ſi forte fortuna contingat, ut poſt ejuſcemodi remediorum uſum, aut aliorum etiam (quae proprio marte conſtrui ſibi illi jubent) Aegroti convaleſcant; laetantur admodum, atque gloriantur. Putant enim, imo pro certo habent, morbum feliciter ita ceſſiſſe, quia talia uſurpata ſunt remedia, non quia ex ſe morbus ita poſtulabat, ut ſponte etiam ſua ſolveretur, aut etiam alia methodo ad exitum citius perduci, & melius poſſet.

Haec illa potiſſima ratio eſt, propter quam ut plurimum falluntur per ſaepe Medici, remediis nimium fidentes, & Vulgus ipſe decipitur paſſim, dum Medicis quibuslibet indiſcriminatim, abſque praevio criterio, aut prudenti haeſitatione credit. Ejuſcemodi namque Medici, dummodo

(52) *Valleſ. Controver. lib. 9. in Praef.* (53) *Hippoc. Epiſt. ad Crate.*
(54) *Valleſ. ibidem.*

do Aegrotos ſibi commiſſos, atque ab ipſis quomodocunque curatos, convaleſcere ſaepe videant: adeo ſibi adblandiuntur, ut ne hilum quidem Sapientioribus Medicis invideant, quinimo ipſorum ſtudia & labores penitus irrideant, eoque magis, ſi forte hiſce infauſto eventu curationes, tametſi laudabiliter & cum ratione peractae, evadant. Porro, ſi ex morborum eventibus tantum (quod ſaepiſſime vulgus ſolet) de Medicorum peritia judicandum eſſet, nemo ex ipſis laudari, aut condemnari merito poſſet. Omnibus enim alias fauſta, alias infauſta in hiſce ſors evadit, juxta graſſantium morborum ſpeciales characteres, ſive bene, ſive peſſime curationes perficiantur, aut ſolo Naturae ipſius beneficio morbi ſolvantur. Optandum ideo cuilibet foret, quod ad eos ſaepius Aegrotos accerſeretur, qui aut levius aegrotarent, aut, ſi graviter unquam, feliciter tamen evaderent: quod quidem ſatis ſuperque eſſet, ut inter Celebriores penes vulgum haberetur, tametſi, ob turpem inſcitiam ſuam, ne Medici quidem nomine dignus eſſet. (55) *Quare plerique Medici eadem, quae mali Gubernatores, in ſe admittere mihi videntur. Etenim illi, quum in tranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manifeſti; quum vero deprehenderit ipſos ventus magnus, & tempeſtas, palam jam conſpicui ſunt omnibus hominibus, quod ignorantia, & culpa erroris ſui Navem perdiderint. Sic etiam mali & plurimi Medici, quum curant homines nihil grave patientes, in quos, ſi quis etiam maxime delinquat, nihil grave faciet. Sunt autem multi tales morbi, & multo ſaepius quam graves hominibus accidunt. In talibus ſane delinquentes, non fiunt manifeſti idiotis Hominibus. Ubi vero obtigerit magnus & fortis, & periculoſus morbus, tunc ipſorum delicta, & ars omnibus in conſpicuo ſunt.* Addam ego inſuper, quod neque in levibus (ut cum Hippocrate innuimus) neque in gravioribus morbis, errata Medicorum utplurimum deteguntur; in illis nempe, quia Aegroti convaleſcunt; in hiſce autem, quia, tametſi mors ſubſequatur, hoc fato tribuitur, cum praeconceptae Medici cujuſpiam exiſtimationi detrahere quidquam nefas eſſe aliquando cenſeatur. Secus vero, ſi de probo quidem agatur Medico, atque in rebus Medicis omnifariam verſato, caeteroquin tamen nondum ſatis cognito: in levibus morbis ejuſdem curatio contemnitur, quum eorum ſanationem Naturae ipſi tantum tribuendam eſſe exiſtimant: in gravibus vero infauſto omine cedentibus, eorum opera perperam inculpatur. Qua de re appoſite admodum ſic Hippocrates ſcripſit: (56) *In Arte Medica, quae recte fiunt, plerumque quidem Hominum vulgus non admodum laudat, ſaepe vero Diis attribuit. At ſi in aliquo repugnans Natura eum, qui curaverit, interemerit, Numen praetermittens, Medicos incuſat.*

Idcirco nil mirum ulli unquam eſſe poterit, quod vulgares Medici, iique nulla prorſus doctrina freti, curationum ſuarum, quibus fauſta ſors arriſit,

(55) *Hippocr. de Veteri Medicina.* (56) *Idem epiſt. ad Democritum.*

arriſit, applauſus undique captantes, dicere omnibus ſoleant, quoslibet eſſe optimos Medicos, quorum Aegroti convaleſcunt, atque neminem intereſſe debere, num ab experto, ſublimioribuſque doctrinis, atque aſſiduis ſtudiis verſato Medico: num a minus docto curetur; dummodo optata potiri valetudine queat. Praeterea, cum audierint pluries, Artem Medicam opinabilem & conjecturalem eſſe, indeque Saniores etiam Medentes, cum judicando, tum agendo decipi poſſe: ſatis hinc propriae ignorantiae proviſum eſſe autumant; ut, ſi unquam (quod ſaepius ipſis evenit) in errore deprehendantur, id aliis etiam aeque facile evenire poſſe oſtendant. Ideo neceſſaria omittunt ſtudia, de eo tantummodo maxime ſoliciti, quod auram popularem captare ſupra alios poſſint, illis utendo remediis, quae, ab aliis, ut diximus, obtinuerunt, quibus fidenter nimis indulgent, auctoritatem ſolum, non rationem quaerentes. Haud enim ſatis a Seneca edocti eſſe videntur, quod (57) *nihil magis praeſtandum eſt, quam ne Pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur:* quod potiore quidem jure in Medicina condemnari debet.

Qua eundum eſt, illi ſolummodo agnoſcunt, & tendere prudenter ſatagunt, qui praedictis innixi cognitionibus, remedia ab aliis mutuari quidem, ſed caute norunt, iiſque opportune uti, juxta occurrentium morborum ſpeciales characteres, atque Aegrotorum individuales temperies. Etenim haud ſemper cum obviis, facillimiſque judicatu, aut curatu morbis colluctare debet Medicus. Siquidem (58) *ſi incidat morbi genus aliquod ignotum: non ideo tamen fore Medico de rebus cogitandum obſcuris: ſed eum protinus viſurum, cui morbo id proximum ſit: tentaturumque remedia ſimilia illis, quae vicino malo ſaepe ſuccurrerint, & per ejus ſimilitudinem opem oblaturum.* Ut autem Medicus tuto tunc noſcat, quod nova illa Aegritudo, aut quavis alia ratione difficilis admodum cognitu & curatu, cum uno potius quam cum altero morbo ſimilitudinem habeat, & quaenam vere praeſidia expoſcat: quiſnam hoc abſque ratiocinio congruo praeſtari unquam poſſe arbitrabitur? (59) *Etenim, quibus ſine ratiocinatione rudis dumtaxat experientia ſuffragatur, de iis quae raro eveniunt, experimenta habere non poſſunt: veluti eorum, quae ſaepe numero accidunt, facile meminerunt.*

Quod ob ſpeciales Aeris conſtitutiones, aliaſve quaslibet extrinſecas cauſas, peculiares quandoque ſuboriantur Epidemiae morborum: id ubique locorum fere quotannis accidere, cuique compertum eſt. Morbi ideo ejuſcemodi ſtatim ac graſſari primo incipiunt, iique a variis complicatiſque utplurimum cauſis principium ſortiuntur, multiplici ac diverſo *ſymptomatum* comitatu ita procedunt, ut Sapientioribus expertiſque magis Medicis difficile admodum captu evadat, quaenam illorum indoles ſit, aut

(57) *Seneca de Vita Beata.* (58) *Celſus in Praef.*
(59) *Galenus de locis affectis lib.* 5. *cap.* 7.

aut mos, aut quanam praecipue in parte ſedem potiorem habeant, & quibus remediis ſe evinci citius tutiuſque permittere poſſint. Ideo illi qui caute, qui ſapienter Medicinam facere ſolent, eo uſque a magnis remediis abſtinent, quo uſque de praedictis omnibus certiores omnimode evadant. Interea Medico illi utiliſſimo praecepto inhaerentes: *dum non noveris morbum, dieta illum uſque quo noveris;* congruam ſolum victus normam ſeligunt, atque praeſcribunt, quae, ſi non omnimode ignoti adhuc morbi characteri conveniat, temperiei Aegroti proportionata eſſe cenſeatur. Caeterum ſic gravioribus *ſymptomatibus* ſuccurrunt, illis tamen utentes remediis, quae laborantium moleſtiam quoquo modo auferant, nec potiorem morbo ipſi anſam praebeant. Inſuper omnia diligenter obſervant; atque illa, quae in ſingulis Aegrotis, pro varia aetatis, temperiei, aut ſexus ratione, diverſimode evenire animadvertunt, inter ſe mutuo conferunt, criſium occurrentium fauſtas, infauſtaſve vices attente penſitando: donec optata potiantur luce, quae & ignoti illius morbi indolem, cauſaſque, & curandi ſimul tutiorem rationem (quam poſtea utiliter ſequantur) ipſis patefaciat.

Haec quidem conſona ſunt iis, quae ſic optime Hippocrates ipſe praecepit. (60) *Inconſtantes autem febres, uſque dum conſtiterint ſinere; cum vero conſtiterint, occurrere victu & curatione convenienti, ſecundum naturam habita conſideratione*. Hanc ſententiam, quum illuſtret Valleſius, ſic effatur. (61) *Agendi aliquid, cum morbus ignoratur, heae ſunt regulae. Uti communibus, & occurrere ſymptomatis, & in occaſione prudenter tentare auxiliis curare, aut agnoſcere: ita enim maxime Hippocratis ſententiam obſervabis, ut proſis, aut quam minime laedas*. Atque haec illa eſt norma, cui adhaerere debent Medici, dum ignotis Aegritudinibus ſuccurrendum eſt, ne a *Vera Praxi* quidquam deflectant.

Illi ſecus, quorum *Praxis* maleſanae opinioni, non rationi congruae inſiſtit, de novi occurrentis morbi inveſtiganda idea nil prorſus ſoliciti, marte proprio vulgaria ſtatim ſeligunt atque praeſcribunt remedia, illa, quibus alias uti quomodocunque conſueverunt: quibus ni morbus ceſſet, ad alia tranſire penitus ignorant, maxime cum *ſyngrapharum* ipſis familiarium catalogum funditus everterint. Qui ideo ſic ſe gerere tunc ſolent, num prodeſſe, num potiore jure nocere Aegrotis queant, penes Sapientes judicium eſto. Nihilotamen ſecius, ſi curationes ejuſmodi, etſi ratione nulla peractae, annuente ſorte, feliciter cedant, agentem Medicum Populus laudat, alioſque caeteroquin rationabiliter curantes, quibus haudquaquam fortuna arridet, ut Aegroti convaleſcant, vituperat maxime, atque veluti inexpertos habendos eſſe, publice profitetur.

Nec tantum in hiſce morbis, quorum indoles haud cito ſagacioribus Medicis manifeſtatur, verum etiam in aliis quibuslibet, ac praecipue in Acutis

(60) *Hippocr. de rat. Vict. in Acutis* (61) *Valleſ. com. ibidem.*

Acutis de Medicorum peritia indiſcriminatim atque perperam judicat vulgus, propter quod Sapientiorum etiam ſaepe fama labefactatur & corruit. *Etenim* (62) *ab hiſce morbis moriuntur plures, quam ab aliis omnibus. Idiotae igitur non valde agnoſcunt eos, qui in his differunt ab aliis, aliarumque magis curationum laudatores & vituperatores ſunt. Deinde magnum ſignum hoc eſt, quod Populares ignorantiſſimi horum in his morbis ſunt, utpote quae ſtudio conſequi oporteat. Qui enim Medici non ſunt, Medici videntur eſſe, praecipue ob hos morbos: facile enim eſt nomina diſcere, quae conſueverunt proferri apud ita Aegrotantes.* Profecto in acutorum praeſertim morborum curationibus, ſi forte plurimi advocentur Medici, quorum alii optimo ratiocinio ab *Anatomia* maxime petito, alii opinione, ſeu potius indigeſta *mala Praxi* utantur: tot & tam diverſae utrinque emanant ſententiae, circa morborum, de quibus agitur, ideas, cauſas, & remedia, ut merito cum Valleſio ſic animadvertere oporteat. (63) *Calumniam ſane habet Ars tota magnam apud Populares, ut videatur ne eſſe quidem Medicina, quia in acutiſſimis morbis tantopere differunt invicem Artifices, ut quae alius exhibet optima eſſe putans, haec exiſtimet alius mala eſſe, & fere ob hoc Artem dicunt ſimilem eſſe divinationi. Quia Divinatores eamdem avem, ſiquidem ſiniſtra ſit, bonam eſſe exiſtimant: ſi autem dextera, malam.* Hinc innumera exſuſcitantur litigia, quae tum Medicinae, tum Medicis dedecus procreant. Optandum idcirco eſſet, quod quotieſcunque Medica (ut ſupra diximus) inire conſilia oporteret, inter aeque Sapientes res agenda ſemper foret: inter eos nempe, qui optimis ratiociniis congruas ſibi mutuo cognitiones ſuppeditarent, atque ſaniores animadverſiones Aegrotorum bono omnifariam conferentes. Siquidem iſti illi eſſent, (64) *ex quorum communi conſideratione res circa Aegrotantem inquirantur, & cognoſcantur, & ita cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem.*

Quicunque ideo contentioſis ejuſcemodi diſputationibus, circa res Medicas, facilius anſam praebent, alioſque dicteriis opprimere contendunt, ut ipſorum ſententias evertere omnimode poſsint: ex illis utique ſunt, qui *Veram Praxim* nullo modo callent. (65) *Hoc namque jure jurando affirmare* (cum Divino Sene) *andeam, Medicum ratione utentem, alterum numquam invidioſe calumniaturum.* Quamobrem *in verba Magiſtri* (ut adagio fertur) *jurare* plerumque illi ſolent, atque modo ab uno, modo ab altero Auctore (quem ſibi pro Patrono ſpecialiter elegerunt) remedia quoquo modo mutuantur, eaque tamquam optima depraedicant, ſelectaque ſibi illa auctoritate freti, nihil oppoſitum ſentire quempiam poſſe, exiſtimant. Ideoque quibuslibet ſolidioribus ratiociniis (cum ea non intelligant funditus) obſurdeſcunt: nec a praeconcepta opinione removeri ullo modo quaeunt. Praeterea nihil ultro cogitant, num, quae tunc adſunt

(62) *Valleſ. Com. ibidem in Praef.* (63) *Idem ibidem.*
(64) *Hippoc. lib. de praecept.* (65) *Hippoc. ibidem.*

adſunt circumſtantiae; eae vere ſint, in quibus Auctor ille ejuſcemodi remedium uſurpandum eſſe monuerit, & num id cum ratione fecerit.

Verum illi, qui rationibus magis tutis congruo modo inhaerent, atque in aliorum ſententias aut praecepta *jurare* caeca mente renuunt; Clariores Auctores omnes, ſingulaſque eorum magis certas, aut vero magis ſimiles animadverſiones maximi faciunt, & eos arrepta occaſione indiſcriminatim conſulere amant, neque uni potius, quam alteri abſque ratione credunt. (66) *Cur enim potius aliquis Hippocrati credat quam Herophilo? cur huic potius, quam Aſclepiadi? ſi rationes ſequi velit, omnium poſſe videri non improbabiles; ſi curationes, ab omnibus his Aegros perductos eſſe ad ſanitatem; Itaque neque diſputationi, neque auctoritati cujuſquam fidem derogari oportuiſſe*. Attamen, quum Sapientes Medici cordatioribus Scriptoribus omnibus fidem praeſtant, non ita ſe illis emancipatos eſſe permittunt, ut, & congruo ratiocinio, iteratiſque obſervationibus eorum dicta ponderando, ea ſeligere opportune remedia nequeant, quae rationi tunc magis conſona vere ſint: aut ea abjicere, aut mutare in melius, ſi oporteat. Siquidem expedit (67) *in tota Arte mentem adhibere: etenim quaecunque opera docet bene, omnia oportet facere etiam recte: & quaecunque pure, pure: & quaecunque ſine dolore exerceri oportet, quam maxime fieri poſſit, ſine dolore facere; & alia omnia hujuſcemodi facere oportet, aliorum modum in melius mutando. Maxime autem laudaverim Medicum, qui in acutis morbis, qui plurimos homines occidunt, in his in melius differat aliquid ab aliis*. Omnibus enim, atque in omnibus adeo Auctoribus credere, ut ad meliora inveſtiganda animum non adjiciamus, nefas utique eſt; eo quia (68) *tam peccant qui a Veteribus perveſtigata omnia, comprehenſaque eſſe contendunt, quam qui eijſdem primam rerum cognitionem detrahunt, illoſque de Veteri doctrinarum poſſeſſione dejiciunt*.

Neque ullam unquam Sanioribus Auctoribus, praeſertim in Medicina, injuriam quempiam eatenus facere, putandum eſt; quatenus non omnia ipſis credit, non omnia probat, aſt ea hinc inde ſeligit, quae ratio ipſa, duce experientia, laudat, ut tutius citiuſque Aegrotis opituletur. Neque illorum debitae exiſtimationi quidquam detrahimus, dum Auctorum errores detegimus, eoſque effugimus; atque ab aliis negligendos aut corrigendos eſſe demonſtramus. In Medicina enim praecipue, potioreque jure, quam in aliis diſciplinis error quilibet excuſatur; cum conjectura potius, quam vera ratio in ipſa militet: unde non ſemper veritas elicitur.

Itaque hinc fit, quod quo magis Sapiens & expertus quiſpiam eſt in hac Arte, & quo magis ſedulo, diutiuſque *Veram Praxim* exercuerit, eo frequentius eo facilius, cum ratiocinando, tum curando errare ſe poſſe, neuti-

(66) *Celſus in Praef.* (67) *Valleſ. Com. in Hippoc. de Victus ratione in Praef.*
(68) *Fernel. de Abdit. rerum cauſis in Praef.*

neutiquam veretur confiteri. Fallimur aliquando in cognitione morborum, atque in cauſarum inveſtigatione ſaepius : eoque magis fallimur paſſim in remediorum ſelectu, quorum vires & actiones non adeo ſemper conſpicuae ſunt. Equidem, quod attinet ad remedia, quot nam, quaeſo, quantique errores utplurimum occurrunt? Siquidem aliqui iiſdem nimis fidunt, eorundemque multitudinem laudant, vireſque plus aequo depraedicant. Secus alii eadem penitus averſantur, ita ut magis utile exiſtiment, illa penitus omittere. Porro mirum maxime eſt, quod, dum elapſis ſaeculis *Purgantia* nimis commendari, ſaepiuſque uſurpari ſolebant, ea nunc omnimode in quibuslibet morbis condemnentur, atque ſpernantur adeo, ut idem prorſus penes aliquos ſit, de *Purgante*, etiam miti Remedio, ac de Veneno, loqui; dum caeteroquin plurimae emergunt non raro morborum circumſtantiae, in quibus *Purgantia* neceſſaria maxime ſunt, & ſummopere utilia evadunt: illiſque neglectis, in deterius ruere Aegritudines plurimae comperiuntur. Itaque ſi mediocritas in omnibus ſervanda eſt: hoc maxime in Arte noſtra expedit facere; ut neque remediis caeca mente nimium credamus, neque ea contemnamus penitus; dummodo in hiſce, ſicuti & in caeteris praeſto ſemper ratio ſit: ea ſaltem, quam ab *Anatomicis Phyſiciſque* cognitionibus eruere experto Medico, *Veramque Praxim* agenti, conceditur.

Si ideo multiplices ob cauſas tam facile in Medicina errare quilibet poteſt; ille porro, qui, praedictis munitus doctrinis, minus falli comperietur, aptior caeteris putandus erit, maximeque exiſtimandus, ac praecipue ille, qui ſe errare poſſe cognoſcet, & aperte confitebitur. Hinc, quum Aegroti convaleſcunt, raro quempiam ex Sanioribus Medicis invenies, qui ipſius opera ſanatum illum ſemper fuiſſe glorietur: cum ſatis ſuperque eidem ſit, quod quilibet noſcat, eum illi neutiquam nocuiſſe. Pauci enim admodum eveniunt morbi, quibus ſpecifica aptare remedia Ars noſtra noverit, ideoque Medici opera eos ſolvi utique conſtet. Plurima, variaque, pro diverſa methodo, remedia quiſque praeſcribit: quibus adhibitis, ſi Aegroti ſanantur, ſuam unuſquiſque methodum laudat, cui ſanationem tribuendam vere eſſe putat, eidemque in ſimilibus, aut ita viſis circumſtantiis, inſiſtendum neceſſario eſſe pro certo habet; licet caeteroquin haud ſatis conſtet, num huic potius, aut alteri remedio, & fortaſſe nulli ex illis, ſed ſoli Naturae victoriam adſcribere oporteat. Nihilominus, quia pauci rationum congruo fulcro nituntur, & quiſque ſibi ipſi acquieſcere ac plaudere potius, quam aliorum ſententias amplecti plerumque amat: hinc innumerae pene curandi methodi, eaeque maxime inter ſe diſcrepantes ſubortae ſunt, quas unuſquiſque ex illarum aſſeclis optimas, aliiſque praeferendas exiſtimat. Ego vero magis eos ſemper laudaverim, qui Naturam praecipue, potius quam Artem ſanationibus utplurimum conferre, arbitrantur. Id ipſum

docet Hippocrates, dum ait (69) quod *Morbis Naturae medentur; A nullo quidem edocta Natura, citraque diſciplinam, ea, quae conveniunt expedit*. Idcirco praecipua ſagacioribus Medicis cura eſſe ſolet, ut, quantum poſſibile eſt, in morbis omnibus ſpontaneos Naturae operantis utiliores motus attendant, ac penitus ediſcant, ex quorum conſideratione potior curandi norma proficiſcitur. Hac de cauſa, dum ad Noſocomium majus noſtrum Aegroti, praecipueque Ruſtici, declinantibus aut diu protractis morbis transferuntur (hujuſcemodi namque homines, cum aegre admodum curationes, & diaetam praeſertim ferant, ſero plerumque ad Medicum confugiunt) ſciſcitari ab ipſis ſedulo ſoleo, quaſnam criſes Natura ſponte ſua tentaverit, & quomodo ab ipſis levamen Aegroti ſenſerint. Eo enim conſilio de hiſce certior adamuſſim fieri ſtudeo, ut, Natura ipſa duce, ea noſcam praeſidia, quae in ſimilibus caſibus idonea magis tutaque cenſeri merito poſſint, atque tunc auxiliatrices tantummodo Naturae ipſi manus praeſtem, eam nullo modo marte proprio cogendo. Secus vero illi, quibus optima non ſuppetunt ratiocinia, ſuas ſemper panaceas prae manibus habent, quibus perperam fidunt, iiſque utuntur paſsim, ea quidem methodo, quae ipſis familiaris eſſe ſolet, non autem Naturae motibus, atque peculiari Aegrotantium temperiei conformis; Unde ipſis ſatis ſuperque eſt, quod morbus ſolutus fuerit, ut indebitam ſibi aſciſcant gloriam, etiam ſi ad hoc ipſi nequaquam contulerint, aut potius maleſana ſua methodo, Naturae criſes retardando ſeu perturbando, morbum diuturniorem, atque moleſta magis *ſymptomata* effecerint: quod non raro contingit.

Verum oh utinam Medentes hujuſcemodi, nullo ratiocinio freti, diuturniores tantummodo redderent morbos illos, qui ſuapte natura, etiam non curati, citius atque feliciter ad exitum properarent. Etenim perſaepe incongrua ſua methodo Aegrotos ipſos nefarie perdunt: atque ex levi morbo, peſsime ab ipſis curato, graviores alios, aut chronicos ſaltem pullulare faciunt. Neque hinc (quod pejus eſt) ab ullo condemnantur, aut propriae famae jacturam quidquam faciunt, dum ipſorum errores neutiquam manifeſtantur. Medici enim ipſi ſuis rebus tunc conſulere dextere ſatagunt, dum malas quaslibet morborum transmigrationes peſsimae Aegrotorum ſpeciali conſtitutioni attribuunt, quam dum emendare pergunt, errores erroribus addunt, eoſque ad interitum perducunt, aut aegrotare diutius cogunt, aut ſaltem ipſorum crumenas multiplici remediorum expenſa praetermodum & fruſtra exhauriunt. Quoties ideo infauſto prorſus ipſis omine res cedunt, ut, ſibi debitam, effugiant culpam, Ovidii effatum illud Adſtantibus ſtatim obtrudunt.

(70) *Non eſt in Medico ſemper relevetur ut Aeger:*
Interdum docta plus valet Arte malum.

Haecque ea, praeter alias, potiſsima ratio eſt, qui fiat, ut vulgus plerumque de Medentium peritia judicare peſsime ſoleat. Cum

(69) *Hippoc. Epidem. lib. 6.* (70) *Ovidius lib.* I. *de Ponto.*

Cum itaque ex dictis ſatis conſtet, Medicos hoſce congruo penitus ratiocinio carentes nec abditiores morbos noſcere, nec eos tuto unquam curare, neglecto praecipue Cadaverum frequenti ſcrutamine, poſſe: quid in praeſagiis inde ipſi valeant, aut praeſtare poſsint, paucis nunc inquirendum eſt. Quam caute, quam prudenter in praeſagiendo ſagaciores etiam Medici ſe gerere ſemper debeant, penes Sapientes judicium eſto: dum Hippocrates ipſe ſic appoſite animadvertit. (71) *Conſuloque, & ſuadeo quamprudentiſſimos, & parciſſimos eſſe in his praedictionibus, & in tota Arte, ſciantque, ſi quis conſequatur, uti vera praedicat, ſcienti & languenti in ſumma admiratione erit. Si vero deerraverit, peroſus erit, forſanque inſanire videbitur. Qua de cauſa ſuadeo, uti prudenter raroque praedicant, caeteraque alia omnia & haec agant cum prudentia. Siquidem & audio & video Homines, quae in Arte dicantur, aut fiant, nec bene ſentire, & judicare, nec dicere.* Non hinc tamen omittenda penitus a Medico praeſagia eſſe, Hippocrates contendit, imo ipſis prudenter eum uti debere monet, maxime cum de Magnatibus agitur. Siquidem alibi ſatis demonſtravit, quantum Artis noſtrae, atque Medicorum exiſtimationi hoc ſpecialiter confert: uti Galenus ſic nobis oſtendit. (72) *Itaque docet Hippocrates ex praefatione, quantum uſui Medicorum praeſagia habeantur, oratione in tria capita deducta. Primum eſt, quod Aegri mandatis Medici parent propenſius: Secundum, quod Medicus praeſentiendo, quae Aegrotantibus eventura ſunt, de longinquo obviam it: & Tertium, quod crimine vacat internecionis Aegrotantium.* Quae omnia a Medico ſemper maximi facienda ſunt.

Triplici hoc ex capite, quicunque nobiliſsimam Artem noſtram exercere laudabiliter, maximamque in hac, ſicuti & in caeteris, famam apud omnes aſciſcere ſibi cupit; certa magis, eaque caute admodum in morbis praeſagia proferre debet. Ad haec ideo paratum ſe omni ſtudio reddat oportet, iis praecipue incumbens ſedulo, quae ſelectioribus cognitionibus mentem locupletare adeo valeant, ut, intima morborum penetralia ſubeundo, cauſaſque perpendendo omnes, quid in ipſis futurum ſit, tutius praenoſcat. Hiſce conferunt maxime Clariorum Medicorum documenta, atque praeſertim Hippocratis divina pene praeſagia, quae caeteris omnibus palmam praeripere, non eſt qui ignoret; unde jure meritoque Doctiſs. Boerrhaavius ſic monet. (73) *Hippocratica Folia, Sybillinis veriora revolvamus, in quibus gravia naturae oracula ſonant.* (74) *Merito igitur magnae habentur gratiae Hippocrati primum, qui partis hujus, ut & bonorum omnium nobis auctor extitit: deinde & aliis omnibus, qui in hac parte laboraverunt, de Arte Medica optime meriti. Eſt enim haec pars difficillima: quo factum eſt, ut pauci ſcripta Hippocratis & Galeni de praedictione commentariis proſequuti ſint.*

Licet tamen Clariorum ejuſcemodi Medicorum ſcripta ad hoc conferre

(71) *Hippoc. lib. 2. Praedict.* (72) *Galenus Com. in lib. 1. Prognoſt. Hippoc.*
(73) *Boerhaav. Or. de Stud.* (74) *Valeſ. Controverſ. lib.* 10.

maxime poſsint: non utique prorſus ſufficiunt. Iteratas enim longo *praxeos* curriculo obſervationes, eaſque ſano ratiocinio cum illorum documentis collatas requiri, ſemper ſum ratus; ad quod ideo frequens praeſertim Cadaverum diſſectio confert; quo modo de morborum ſede, atque *ſymptomatum* praecipuorum origine, nec non de ipſa mortis cauſa certiores fieri poſſumus. Etenim (75) *non melior magiſque apta ad perquirendas, quae mortem in morbis inferunt, cauſas, ſuppetit via, quam per diſſectionem Corporum morbis defunctorum, qua clariſſime, quid mors, & quaenam formalis ejus ratio, vel ſenſuum ipſorum miniſterio palpari poteſt, & percipi.*

Quomodo ergo praeſagia tuto adſerent illi, qui *Anatome* parum ſtudent, *Praxi* tantummodo, eaque *erronea*, tametſi diuturna gaudentes? De hiſce ideo, cum Galeno ſtatuendum erit, quod ſi a vero non aberrant, (76) *divinandi Artem quandoque fortuna ſuggerit*: de quo gloriari merito nequeant, cum hoc inexpertis quibuslibet perſaepe contingat; neque ideo ipſis ulla fides adhibetur. Quare ejuſcemodi praeſagia nemo certe laudaverit, utpote quae a ſola praeteritorum in analogis aliis morbis materiali recordatione (quae quidem facile deleri, atque ob praeexiſtentes erroneas doctrinas perverti omnimode poteſt) derivantur, neque ullo rationis fulcro inſiſtunt. Soli namque indefeſſo diligentiorique *Anatomico* morborum eventus rationabiliter praenoſcere conceſſum eſt: illi nempe, qui naturalem viſcerum omnium in ſanis Corporibus texturam optime callens, indeque ſubortas, ex varia morborum ratione, partium laeſiones varias attendens, genuinas praecipuarum Aegritudinum cauſas aſſequitur, ut eventuum etiam tutiorem notitiam nanciſcatur. Etenim Malpighius monet, quod (77) *Anatome eſt facultas, quae una cum aliis Medico neceſſariis, illum inſtituit & dirigit, ad cognoſcendum machinas & modum, quibus utitur natura in ſtatu ſano & morboſo: ideoque illum deducit in cognitionem Aegritudinum, earumque cauſarum, &, ſi adſit occaſio, eum docet, remedia praeſcribere, a priori indicationes deſumendo, vel Aegrum cum ſolo prognoſtico deſerere.*

Qui egregiam hanc ac pene divinam Artis noſtrae partem, quae circa praeſagia verſatur, omni jure aliis difficillimam eſſe, & fuiſſe ſemper intelligunt, mirantur ſummopere, quod inexperti quidem Medici, aliorum caeteroquin prorſus ignari, in ea etiam ſe verſatos adeo eſſe praeſumant, ut in quibuslibet morbis futura praedicere ſemper audacter quaerant. Verum hoc ipſum eorundem inſcitiam aperte patefacit: unde apud Doctos contemptui magis habentur; utpote qui, cum hoc congruo ratiocinio praeſtare minime valeant, aſtute tantum & dolis peragere contendant, dum gloriabundi a Vulgaribus laudari, imo encomiis inde cumulari ſummopere affectant. Hujuſcemodi porro Medentes ex illis ſunt (78) *qui nihil eſſe tam alienum ab humano ſenſu putant, quod negent ſcire ſe;*

(75) *Frider. Hoffm. c. 16. de cauſis mort.* (76) *Galenus de loc. affect.*
(77) *Malpigh. Op. poſt.* (78) *Valleſ. Controverſ. lib. 10. in Praef.*

ſe, nihil tam abditum, quod non vaticinentur, tam conſtanter proferentes, quam ſi naturis rerum imperare poſſent: qui tamen ſtatim ac incaute protulerunt, fortunam deprecantur, atque quod in mendacio deprehenſi cauſari poſſint, excogitant. Alii proferunt ambigua quaedam, ut Apollo ex Tripode; aut ſi minus haec poſſunt, ajunt modo, negant ſtatim; ne qui ſit rei eventus, quem non praedixerint. Quibus artibus apud imperitum vulgum admirationem conſequuntur: tamen apud Sapientes ſunt ridiculi, & tam habentur Mendaces, cum vera dicunt, quam cum mentiuntur. Ut contra, qui loquuntur prudenter: laudantur merito etiam cum deerrant. Scilicet nunquam errare nulli mortalium contigit; rariſſime errare contigit peritis & prudentibus, quos primum omnium decet nihil polliceri, quod praeſtare non poſſit Ars: deinde quae dicent proferre non ut divinatores, ſed ut artifices.

Si itaque ex dictis ſatis conſtat, Medicos ejuſcemodi *Philoſophicis*, *Anatomiciſque* cognitionibus, atque proinde optimo ratiocinio carentes, nec poſſe morbos intime noſcere, nec eorundem cauſam funditus inveſtigare, neque ipſis tuto opem praeſtare, nec tandem de iiſdem praeſagia ſapienter proferre: quis nam eos *Veram Praxim* exercuiſſe, aut exercere unquam utiliter poſſe arbitrabitur? Itaque neque Periti in Arte merito cenſendi erunt, etiamſi, diuturno admodum tempore Aegrotos quamplurimos inviſendo, ſummopere conſenuerint, indeque apud Vulgum maximo in honore habeantur. *Vera* enim *Praxis* congruum quidem expetit exercitium in Arte, praecipue tamen optimam praedictorum omnium peritiam (quam diuturnis ſtudiis atque laboribus conſequi oportet) ſupponit: quod quidem exequi ſedulo quiſque deberet, ut tum proprio, tum Artis nobiliſſimae noſtrae decori, atque ulteriori augmento conſuleret. Unde cum Valleſio ſic effari opportunum erit. (79) *Oh utinam Hollerii exemplo* (ut plurimos ex Recentioribus *Praxi* non minus, quam *ſcientia* celeberrimos omittam) *moniti primi ordinis doctores iiſdem veſtigiis inſiſterent, & quantum ab ea Arte, quam ad faſtum & gloriam profitentur multi, luminis & decoris mutuantur, tantum in eamdem conferre ornamenti ſtuderent, vel ſaltem ſtudioſorum conatus, ex quorum inſectatione perverſe nomen aucupantur, aequius conſulerent ac interpretarentur. Melius, meo judicio, optimi quique Medici audirent, nec ita paſſim apud multos contemptui haberentur: nec ſtulta quadam animorum caecitate boni & mali, docti & indocti eadem ſorte cenſerentur. Verum proh Deum atque Hominum fidem! iniquos videas hoc tempore permultos, quorum impiis technis Ars pulcherrima, ſaluberrima, & ſacratiſſima mirum in modum proſcinditur & conculcatur. Alii probis viris inſultant, quod ſuas nugas liberius inſinuent & jactent: Alii juniores Medicos tanquam inexpertos craſſae imperitiae apud vulgus criminantur, quod abſolutos, ut ajunt, conſummatoſque, ac perfectos Medicos non niſi aetate confectos eſſe oporteat.* Verum quid plura? Non vacat hiſce ulterius immorari, quae tantum abeſt quod ad propoſitum noſtrum

(79) *Anton. Vallet. Epiſt. ad Lector. in Oper. Hollerii.*

trum quidquam conferant, ut nauſeam potius probis Medicis moveant..

Videamus itaque modo, num Medentes illi, quos ad ſecundam claſſem initio revocavimus, *Veram Praxim* exerceant, ut inde Aegrotis utiles cenſendi ſint. Siquidem iſti rationibus quidem, partim a *Philoſophia*, partim ab *Anatomia* (quibus tumultuarie incubuerunt) quoquo modo petitis utuntur, eo tamen pacto, ut ne ratiocinari quidem, ſed inepte potius atque inconſulto loqui, ſeu blaterare Sapientibus videantur. Qui Medicinae Hiſtoriam funditus attenteque pervolverit, ſatis noſcet, quot & quam variae *Philoſophantium* ſectae in Medicinam, peſſimo utique fato, irrepſerint, quae ejuſdem principia ſuſdeque evertentes, chimaericas hypotheſes, ſeu mavis figmenta tam magna atque multiplicia prodiderunt, ut, quo magis res quaslibet ad Medicinam ſpectantes illuſtrare ſic ſe poſſe arbitrati ſunt, eo denſioribus tenebris eas obvolverint: ideoque factum hinc fuit, ut Medicinam in ipſa Medicina quaerere tamdiu & fruſtra cogeremur.

Haſce ſectas (quae tot quidem fuerunt quondam, quot Capita, ſeu potius quot Hominum phanaticorum deliria) fruſtra hic ad examen reducam: tum quia e regno Medico fere penitus exularunt, tum quia indoctis etiam ipſis nunc patet, Medicos iiſdem omnimode addictos *Veram Praxim* exercere, ut diximus, haudquaquam poſſe, cum hae fallaciis undique ſcatere neceſſario debeant.

De illis itaque ſolummodo loquamur, qui, cum ratiocinium Medicum ſibi aſciſcere, eidemque inhaerere medendo affectent, marte proprio *Chymica* quaeque principia, quae ab elaboratoriis ſuis eruere Artifices ſolent, in Corpus noſtrum intrudunt, ex quibus vario modo diſpoſitis, atque inter ſe invicem mixtis, innumeras diverſaſque evenire poſſe luctas, tumultus, aut aeſtus ſibi perſuadent, unde morborum quorumlibet, ſive ad ſolida, ſive ad fluida, ſive ad utraque ſpectantium cauſae emergant. Multiplicia ideo ſalium genera in Humana Machina effingunt (ſive ipſi congenita, ſive quomodolibet ab Aere, aut ab Alimentis petita ſupponantur) quorum ſpeciales admirabileſque vires ipſi ſibi imaginantur, ſcrutanturque, ut *ſymptomatum* quorumcunque rationes in promptu habeant. Quapropter, dum ſuppoſitis hiſce, ceu certis principiis, inſiſtere mordicus quaerunt, innumera ſibi proponunt, plenoque ore paſſim proferunt, quibus abditiora quaeque *Phyſiologiae* Theoremata enodare, atque Aegritudinibus quibuslibet, remedia inde congrua ſeligendo, obviam ire ſe poſſe contendunt. Quum ideo Veterum vulgares facultates, tanquam delirantium Medicorum commenta habent, atque contemnunt: pejora longe, obſcuraque magis, atque a *vera Theoria* penitus aberrantia mille alia proferunt, propter quae ſibi ipſis gratulantur adeo, ut omnium admirationem ſe inde excitare merito poſſe exiſtiment; licet vere riſum potius Sapientibus moveant, &, quod pejus eſt, Aegrotis, ſic peſſime ratiocinando, damno potius

quam

quam utilitati evadant. Scilicet vanis commentationibus ſuis indicationes & remedia ipſa, per analogiam, ut putant, adaptare conantes, innumera, eaque ridicula, penes Aegrotos, problemata ſibi ipſis proponunt, nullaque habita temperamentorum ratione, varia conſtruunt Pharmaca, quorum ope, dum ſuppoſitorum ſalium vires retundere, pravaſque qualitates immutare contendunt, Aegrotis ipſis necem ſaepiſſime ſtruunt. Invaluit adeo *ſalinariorum*, ut ita dicam, ejuſcemodi Medicorum ſecta, praecipue apud Clinicos non paucos, ut nihil frequentius, nihil ampulloſe magis in eorundem conſultationibus ſonet, quam *Protheiformium*, ut ſic loquar, ſuorum *ſalium*, *ſulphurum*, *oleorum*, *ſpirituum* aliorumque hujuſce cenſus nomina, quibus aliorum mentem defatigant & obruunt, magis quam Priſci Medici commentis ſuis, loquendo & ſcribendo Sapientibus moleſti: unde cum Celeberrimo Pitcarnio merito ſic expedit loqui. (80) *Noſtris Majoribus vitio dabatur introducta in Artem rerum ſenſibus ignotarum ſolaque conjectura conſtantium farrago, &, ut verbo dicam, nimius Sectae amor: nos, qui tam gravem veternum videbamur excuſſiſſe, an in Arte exornanda multo fuimus feliciores? Haudquaquam. Sed poſtquam incredibili felicitate profligata foret peſtis illa, quam ad litteras perdendas advexerant Barbari, reſque Medicae excellenti quorumdam Hominum virtute in melius relatae, & nihil non a detecto ſanguinis circuitu ſperaretur, prohibuit nihilominus amor ſectae, ut debita illi invento felicitate potiremur, laetitiamque poſt Homines natos ſummae proximum noſtrae invidit aetati.*

Nihilominus haud is unquam ego ſum, qui ſales ab Humano corpore exulare penitus velim. Adſunt enim & in ſano, & in aegroto Homine, quibus & in rerum natura nulla Corpora omnimode carent. Illi tamen ideo in Aegrotis praecipue magis abundant, quia ſtagnantes in quavis parte humores, ſolidaque ipſa ſaepe diſſolventes, novam quamdam induunt compagem, quae acres ita & ſalſos eos reddit, ut in circuitum poſtea cum tota maſſa redacti, illam admodum pervertant, atque lympham undique inficiant, eidem ſalinum acidumve largiendo ſaporem, analogaſque pravas facultates communicando. Hoc videre eſt in Pulmonaribus ulceribus, a quibus ſaliva emanans noxios hoſce ſapores ori manifeſtat; atque ideo in hiſce morbis diſſoluta praetermodum & acris reddita univerſa lympha, modo Inteſtina plus aequo ſtimulat, & contumaciſſimos Alvi fluxus gignit: modo cutis minimas glandulas exedit, & puſtulas varias excitat: modo nutritium ſuccum ubicunque pervertit, univerſaque ſubſequitur macies, & capilli e capite decidunt, curvantur ungues, caeteraque alia peſſima Phoenomena ab hoc unico principio derivantur. Nec in Pulmonaribus tantum, verum etiam in aliarum quarumlibet partium ulceribus, aliiſve morboſis affectionibus, congrua ſervata proportione, ſalium hujuſcemodi morboſa geneſis

(80) *Archib. Pitcarnius in Praeloq. n.* 11.

neſis emergit : quod ſpecialiter in *Scorbuticis* verum ſemper eſſe comperitur, in quibus, ſi humores pravam quomodolibet diatheſim referunt, hanc a viſceris alicujus praevia laeſione (*Hepatis*, puta, *Lienis*, *Uteri*, aliarumve imi Ventris, aut caeterarum etiam partium) petendam utplurimum eſſe, nemo ſanae mentis omnimode inficiabitur.

Hujuſcemodi ideo ratiocinio, ſi ſalium peculiarium exiſtentiam in Aegrotis corporibus concedere quiſpiam velit, a veritate neutiquam, meo judicio, aberrabit, idque ego etiam concedam. Verum tunc non cauſa, ſed effectus *primarii*, ut diximus, morbi cenſendi erunt ſales iſti, ideoque non ipſis, ſed ſpeciali illi morbi principio remediis primum occurrendum erit. Secus illi faciunt, qui ſales illos pro cauſa, non pro effectu habent, eorumdemque commentitias ſibi effingunt proprietates, quibus deſtruendis, ut innuimus, peculiaria praeſidia excogitant atque adhibent: quae num vere optatum ſortiantur effectum, an potius Aegrotis detrimentum adferant, Cordatiores Viri judicent, illi maxime, quorum mens a praejudiciis penitus abhorrens, Medicos hoſce optimum nunquam nanciſci ratiocinium, ac proinde *Veram Praxim* exercere, ex dictis, neutiquam poſſe, decernent.

Inter Medicas curioſas Hypotheſes recenſenda quoque illa hic eſt, quae de innumeris vermiculis, ſanguinis noſtri, aliorumque humorum incolis agit, quorum mores, genium, propagationes miras, & morbos etiam ſibi mente effingunt. Ex illis alii fortuiti ſeu morboſi, alii naturales, ſeu nobis inſiti cenſentur. Ab hiſce ſanguinem, alioſque humores diſſolvi, atque ad motum diſponi melius: ab illis morbos ſuboriri varios autumant; quibus ideo nullum praeſtantius reperiri poſſit remedium, quam ſi illa ſeligantur, quae vermiculos hoſce enecare cito valeant; ad quod caeteris omnibus palmam praeripere *Mercurium* uno ore depraedicant. Nulla eſt contagioſa aegritudo, cujuſvis illa generis ſit, quam a ſpecialibus vermiculis in ſanguine natantibus derivari poſſe, non noverint: quin imo viget adeo haec opinio, ut aliqui putaverint, inteſtinalium etiam noſtrorum vermium morbos nobis ipſis communicari poſſe, ita ut, quoties aegritudines inde ortas evincere quiſquam velit, vermes ipſos curare expediat: ad quod *Mercurium* praecipue conferre poſſe experientia & ratione demonſtrare conantur: quod haud ſatis praeſtant.

Quid de hujuſcemodi variis vermium hypotheſibus ſentiendum merito ſit, doctiſſime oſtendit nuper Celeberrimus Johannes Baptiſta Bianchi in eruditiſſima *Hiſtoria de Generatione*. Cum ipſo autem certo certius ſemper putabo, quod (81) *ad ſtatuendos in ſanguine non tantum fortuitos ſeu morboſos, ſed in primis naturales, perpetuos, inſitoſque vermes, naturalium ipſa corporum analogia atque ratio, Philoſophos quidem plurimos allexit: oculus vero non adhuc ſatis operam praebuit*. Verum praeſentis inſtituti ratio neutiquam patitur, quod pleraſque doctiſſimi hujuſce Auctoris rationes, aliaſque etiam quampluri-

(81) *Jo: Bap. Bianchi de natur. & morb. Generatione Hiſtoria.*

plurimas (quas, ſi opus erit, alia occaſione data opera proponam) hic retexam, ut ſententiae ejuſcemodi incerta principia, imo pura commenta eſſe utplurimum, oſtendam: quorum ſpecioſis ideis dum nimium alliciuntur aliqui, a veritate ipſa saepiſſime recedunt, quo magis ipſam eruere inde ſe poſſe facile nimis praeſumunt. Etenim (82) *in ipſo ſanguine, ſemper irrequieto, fugaci, intimeque divulſo, penituſque attrito, morboſos vermes nidulari poſſe, ſervarique, ſatis intelligere non poſſumus.* Attamen concedam etiam, quod aliquando liceat (83) *animo effingere, epidemicarum vagantium acutarum aliarumque aegritudinum principia, ſita eſſe in quibuſdam inſolitorum inſectorum invisibilibus turbinibus, per certos ventorum afflatus noſtram in atmoſphaeram tranſlatis, & in hac ſe volutantibus: quae inde famelicae hoſtiles familiae, & turbae huc illuc caſu excurrant; eodem pacto ac verno interdum aeſtivoque tempore denſiſſimos per aera diſperſos minimarum muſcarum, ſeu culicum, aut papiliunculorum vortices circumverſari conſpicimus;* Eodem pene modo, quo menſe Julii anni 1741. maximum agmen hujuſcemodi papiliunculorum Florentiae circa Arnum inopinato obverſari viſum eſt: quorum hiſtoriam accuratiſſime propoſuit in eruditiſſima epiſtola doctiſſimus Medicus Johannes Targioni ibidem Profeſſor Bottanicae Celeberrimus: eoſque *Emerobios minores albos Arni* merito dicendos eſſe cenſuit.

Verumtamen addam cum praelaudato Bianchi, quod *cujus naturae, cujuſque formae haec animantia ſint; quo pacto ſoboleſcentia; quid agant in ſanguine; & quibus in partibus, quibuſve viribus res ſuas exequantur, adhuc ignotum.* Unde nullum prorſus hujuſce ſententiae congruum fundamentum emergit: quidquid in oppoſitum Vermiculorum amatores ſentiant.

Neque illis etiam, qui malignantium vulgarium febrium principium ab inteſtinalibus Vermibus deducunt, ut ſententiae ſuae robur addant, ſatis eſſe poteſt oſtendere, quod Vermes illi, ſeu eorundem fragmenta per Alvum magna in copia tunc prodierint, adhibitoque *Mercurio* convaleſcere Aegroti viſi ſint. Paucos enim profecto aſſignare poſſumus morbos, in quibus plus, minuſve Vermes ita prodire aliquando non conſpiciantur; licet ipſi pro illorum cauſa a nemine unquam habiti rationabiliter ſint, cum in ſanis aeque Corporibus deliteſcant. Neque ad hoc quidquam confert, quod, iteratis *Mercurii* parvis doſibus, febris evanuerit: maxime quia *purgantia* ipſi immiſceri conſueverunt, quorum ope Alvi excretiones, optataeque proinde criſes promoveri utiliter poterant; iiſque ideo potiore jure ſanatio tribuenda eſt: cum id ipſum mihi etiam fauſto plerumque omine eveniſſe obſervaverim, tunc cum in earundem febrium curationibus ſolis mitioribus *purgantibus* uti ſatius duxi, atque antehac etiam uti ſemper ſolitus fui, fruſtraneum penitus ſaltem in hiſce morbis *Mercurii* uſum exiſtimans, atque cum Sanioribus pro certo habens.

Non vacat hic chimaericas tot alias, quae circumferri ſolent, opiniones ad

(82) (83) *Jo: Bap. Bianchi de natur. & morb. Generatione Hiſtoria.*

ad trutinam revocare, innumeraſque adferre inanes quaeſtiones, quas (84) *Scriptorum non admodum utilium multitudo peperit;* ut, ſingulis perpenſis, videamus, num inde congruum elici poſſit ratiocinium, quod cognoſcendis rite curandiſque morbis, atque proinde *Verae Praxi*, de qua egimus, utile ſit. Hoc enim Sapientes omnes optime norunt, qui ab hujuſcemodi figmentis vanas erui ideas atque ſpeculationes intelligunt, quae in errores quamfacile Medicum adducunt; ita etiam ut, non perſpecta vera, aut veriſimili ſaltem morborum cauſa, incongrua, ne dicam nocua, ſaepe remedia emergant, quibus adhibitis, non utique ſatis eſt quod aliquando convaleſcant Aegroti, ut eorum utilitas atque neceſſitas pateat: pro ut fuſius ſupra oſtendimus, *verae* & *falſae Praxis* characteres inveſtigando, atque probando.

Id unum ſupereſt, quod tandem de *Mechanico ratiocinio* illo agamus, quod noſtro hoc aevo in Medicinam invexit, & floret adeo, ut celebriores Academiae, Clariſſimique Auctores omnes eo, tanquam tutiſſimo, utantur. Hujuſcemodi ratiocinandi modus tanti etiam ab Hippocrate ipſo habebatur in Medicina, ut Theſſalum ſuum ſic ſpecialiter hortari neceſſarium duxerit. (85) *Geometriae & Arithmetices cognitioni ſtudium adhibeto mi Fili. Neque enim ſolum vitam tuam glorioſam, & ad multa in rebus humanis utilem, verum etiam mentem acutiorem, & longe ſplendidiorem ad fructum eorum omnium, quae in Arte Medica uſui ſunt, conſequendum reddet.* Studia enim haec praecipue, cum ad aſſequendam veritatem puriorem methodum doceant, mentem adeo aſſueſcunt, ut non tam facile decipiatur Medicus, imo minimas quaſlibet differentias, propietateſque, indeque orta accidentia omnia perpendere rite noſcat: quibus inter ſe mutuo comparatis, corporum affectiones quaſcunque, earundemque permutationes, per *inductionem*, ut ajunt, rectam inveſtigare funditus valeat. Id eo magis in Medicina intereſſe patet: quum ipſa plerumque, ut diximus, conjecturis inhaereat. Porro, cum opinabilis magna ex parte & conjecturalis Medicina ſit, innumeris paſſim fallaciis ſcatere animadvertitur, quas tantum effugere magis poterit ille, qui ſufficienti ſtudio *Mechanicum* ſibi comparaverit *ratiocinium*, *Anatomicis* cognitionibus inſiſtens, quo arrepta occaſione uti optime norit.

Equidem (86) *Corpus Humanum Machinam eſſe, omneſque ejus actiones, ſive ſint eae, quibus objecta externa ſentiat, ſive quibus vigore externo, rectaque valetudine fruatur, a cauſis omnino Mechanicis oriri apud omnes jam diu in confeſſo eſt.* Quapropter nec qua ratione ſanus homo vivat, nec quomodo aegrotare, nec proinde quibus praeſidiis tutius morbos effugere, aut ab iiſdem citius liberari poſsit, nemo ſane, non intellectis *Mechanices* legibus perſpicere, ſeu explicare unquam poterit. Siquidem (87) *ex quo oculatiſſimus Harvejus (cujus laudes Gens Britanica Medica nunquam ſatis praedicabit) ſanguinem circuire demonſtravit, continuoque ſuo circuitu, tam ſenſum, quam motum, tam ſalutem, quam vitam corpori, ſinguliſque partibus ad officia ſua praeſtanda*

(84) *Valleſ. Controv. lib.* I. *in Praef.*

(85) *Hippoc. Epiſt. ad Theſſalum.* (86) (87) *Jacob. Keill. Tentam. Medic. in Praef.*

tanda facultatem tribuere, tantum ſolertiae, tantum conſilii ubique cernitur, ut nulla partium actio ad ſeveriores mechanicas leges exigi renuat, imo nulla ſit, quae ipſas leges, tanquam minus accuratas, calliditate non ſuperet.

Crambem utique recoquere, actumque hic me agere quilibet exiſtimaret, ſi *Mechanici ratiocinii* utilitatem neceſsitatemque maximam, ad abditiora quaeque Medicinae pervadenda penetralia, fuſius demonſtrare contenderem: cum luculentiſsima tot adſint Clariſsimorum Medicorum teſtimonia, doctiſsimaeque diſſertationes, quibus tum hujuſce Scientiae praeſtantiam commendare, excuſſoque antiquitatis jugo, Medicinae laboranti auxiliatrices manus admovere, eamque ad ſummum dignitatis culmen evehere conati ſunt. Nec eos vacat ſingillatim enumerare, qui, utpote de Medicina optime meriti, maximam in hoc famam penes ſapientes ſibi compararunt; cum ſatis cuique eſſe poſsit, ſi celeberrimi Michelotti Praeloquium (88) Sapientiſsimique Jacobi Keillii praefationem, praeter tot alia Recentiorum ſcripta evolvat. Longeque adeo lateque per univerſam Rempublicam Medicam imperium evexit, atque firmavit *Mechanicum ratiocinium*, ut nemo abſque illo ne hilum quidem diſcurrere recte ſe poſſe arbitretur. Qui vero oppoſitum ſentiunt, aut caecutire prorſus in Arte noſtra turpiter amant, aut ea tantum blaſphemare, quae neſciunt: aut ex illis forſan erunt, (89) *qui Medendi Artem, veterum labore inventam, ſatiſque conſummatam rati, non ultra progredi contendant, velintque poſteros omnes, uno quaſi filo deductos, iiſdem ſemper veſtigiis inſiſtere, de quibus nefas ſit, vel tranſverſum (quod ajunt) unguem decedere. Viam illi prorſus obſtruunt inveniendis novis, & eos impudentiae graviter accuſant, qui in eo omne ſtudium collocarunt, ut aut novum quidpiam conderent, aut traditas ab antiquis artes jam quaſi vetuſtate collapſas fulcirent, aut illis adderent, quae partim diligentia, partim aetate eſſent progrediente conſequuti.*

Revera poſteaquam ex Recentiorum ſolertia pulcherrimis *Anatomiae* inventis, *Phyſiciſque* tutioribus experimentis Medicina ditata praetermodum fuit, eaque & caetera omnia ad Artem noſtram quomodolibet ſpectantia *Mechanicis* legibus perpendere ſedulo, atque inter ſe mutuo conferre coepit: innumeri adeo, ſive ad *Theoricam* ſive ad *Practicam* Medicam ſpectantes errores exulare viſi ſunt, ut maximum inde Ars noſtra ſibi decus comparaverit, atque quo minus remediis dives, eo magis utilis propemodum evaſerit. Cum enim hinc probe noverit quid ſit Homo ſanus & Aegrotus, & quommodo in utroque ſtatu conſiſtat, & qua ratione inde recedere queat; veriſimilius hinc ratiocinari, cauteque magis, & tutius mederi didicit Medicus. Factum hinc ideo fuit, quod *adſtringentia* aut *hypnotica* non inconſulto (ſicuti *annoſi* quidam *juvenes* a Valleſio ſupra memorati faciunt) in quacunque *Haemorrhagia*, aut Alvi fluxu adhibeantur, ex quorum abuſu ſuffocationes paſsim, Tabes, Viſcerum contumaciſſimas

(88) *Michelott. de ſeparat. fluidor.* (89) *Fernel. de abdit. rerum cauſis in Praef.*

ciſsimas obſtructiones, graviſsimaſque tot alias aegritudines ſuboriri obſervamus. Quamobrem animadvertit merito doctiſsimus Gorter, quod (90) *Multum intereſt Medici, ſciat veram morbi cauſam, & modum, quo medicamentum operatur, quod talem morbum curat: Hoc ſi non perſpectum habet, hypnoticum non poſſet dari in Alvi fluxu, & conſtipatione, menſium profluvio, & ſuppreſſione &c.* Diſtinguendae enim ſedulo ſunt ejuſcemodi immoderatae excretiones, quae a copia humorum tantummodo fiunt, aut ab eorundem ſtimulo, aut ab utraque cauſa: ab aliis, quae a continentium ſolidorum laxitate nimia proveniunt. In hiſce porro *adſtringentia* (dummodo congrua ſint) convenire poſſunt, utpote quae laxatas fibras corrugando, validiores illas reddunt, vaſorumque excretoriorum diametros ſimul imminuunt. In illis autem (niſi modum prorſus excedant) tantum abeſt, quod illico *adſtringentia* uſurpare oporteat, ut ea nocua admodum aeſtimanda ſint, dum inde critici naturae motus cohibentur. Unde merito commendanda maxime hic eſt Clariſsimi Georgii Erneſti Stahalii doctiſsima Diſſertatio *de Adſtringentium cauto uſu*.

Pari pacto ex *Mechanico ratiocinio* praeſertim edocemur, quam caute & quam raro validiora *purgantia* exhibere oporteat, ne in manifeſtum vitae diſcrimen Aegroti cogantur, aut ſaltem graviſsimis *ſymptomatibus* obnoxii fiant. Potentiora quippe haec remedia ſummopere ſtimulando agunt; unde Inteſtinorum fibras praetermodum irritant, eaſque contrahi vehementer cogunt; ita ut, aut compreſsis plus aequo lymphaticis tubulis, immodicae ſuccedant excretiones non pravorum tantum, verum & utilium humorum, ſolidorum quoque fibris inde admodum labefactatis: aut ex violenta nerveorum villorum corrugatione, torpeſcit inde magis poſtea Inteſtinorum *vermicularis* motus, atque Alvus adſtringitur ideo potius, quam laxatur: quod ſaepiſsime poſt vehementiorum *purgantium*, ſecus quam mitiorum uſum evenire obſervatur. Ratio ideo primum habenda eſt ſpecialis aegrotantis Corporis texturae, cujus fibrae ſi levi quocunque ſtimulo admodum contrahuntur, mitiora potius, quoties opus ſit, uſurpanda ſunt *purgantia*, aut laxantia oleoſa tantum, ne votis fruſtratus turpiter evadat Medicus, atque inde periclitetur Aegrotus. Hinc videre eſt, cur nocua admodum *Hyſtericis* Mulieribus *purgantia* quaeque comperiantur: dum tunc illarum fibrae, ob notas cauſas, oſcillare validius ſolent, adeoque contractae admodum caeteroquin ſunt, ſimulque fluida quaeque facile nimis in furibundos coguntur aeſtus: unde multiplex & mira *hyſtericorum ſymptomatum* omnium ſeries proficiſcitur, quibus ideo laxantia, demulcentia, & *hypnotica* melius, quam irritantia quaeque opitulantur. Quod ſi *Mechanica* ratio violentioribus *purgantibus* utplurimum adverſetur, mitiora ſaepe ſuadet, eorundemque totalem neglectum (quem ſcrupuloſi plurimi noſtro hoc aevo indiſcriminatim nimium amant) jure meritoque condemnat: maxime cum Inteſtinorum fibrae plus aequo tor-

(90) *Gorter de inſenſib. perſpir. Aphor.* 398.

torpeſcunt, atque educendi humores, utpote viſcidiores craſsioreſque, partibus nimis tenaciter adhaerent: eoque magis cum de illis agatur morbis, quorum cauſa non longe ab Inteſtinali tubo, aut ab excretoriis bilis tubulis latere conſtet, ut per alias vias excerni neutiquam commodius poſsit. Modum itaque in hiſce aliiſque omnibus uſurpandis remediis ſuggerit *Mechanica* ratio, dum veridicas morborum cauſas, ope *Anatomiae*, in propatulo ponens, neque *purgandum* nimis, neque ab hiſce omnimode abſtinendum eſſe, pro varia Aegritudinum ratione, appoſite admodum docet. Siquidem non raro in Aeſtivis praecipue morbis (qui plerumque ab imi Ventris viſcerum *ſtaſibus* proficiſcuntur) omiſsis congruis *purgantibus*, contumaciſsimae eveniunt Aegritudines, quae ſaepe ad *Chronicas*, ob viſcerum infarctus, tranſeunt. Id ſpecialiter obſervatur in ſpuriis tertianis febribus, in quibus *China China* praemature nimis, aut magna in copia, abſque neceſſariis *purgationibus*, uſurpetur, neque Natura ſponte ſua idoneas Alvi excretiones bilioſas promoveat: ut alias monuimus.

Potiſsimum vero *Mechanico ratiocinio* ſubjiciuntur morbi illi, qui a vitioſa ſanguiferorum ductuum, ac praecipue majorum, ſtructura ortum habent, ſive *Varicoſi* nempe, ſive *Aneuryſmatici* generis ſint, ſive alterius cujuſpiam, ob *Polypum*, aut *oſſeas concretiones*, aliaque ſimilia in eorundem cavitatibus degentia, aut tunicis infixa. Ideo enim morbi ejuſcemodi difficillimae ſaepe indaginis pleriſque evadunt, ut paſsim decepti *Hypochondriacas* affectiones perperam accuſent; quia ipſi haud ſatis ex *Mechanica* didicerunt, qua ratione conici Venarum Arteriarumve tubi ſanguinem iteratis ſuorum Villorum aequalibus contractionibus in ſtatu ſano promoveant; dum ipſorum ratio & congruam Cordis ſtructuram ſupponit, ac laevem Vaſorum ſuperficiem, idoneamque ubicunque *contractilem* eorundem potentiam, & actionem; quae omnia aliaque ejuſdem cenſus plurima nemo ſane abſque *Hydroſtaticae* & *Hydraulicae*, caeteriſque omnibus motus legibus aſſequi unquam tuto poterit. Hiſce porro fretus Medicus praecipuum a regimine victus, atque ab emiſſione ſanguinis praeſidium utiliter exquirit, aliis omiſſis remediis, quae aut inutilia, aut nocua in hiſce caſibus eſſe poſſe inde intelligit: Secus ac alii faciunt, qui *Mechanices* nitidiſſimo lumine carent.

Neque tantum in hiſce morbis, verum etiam in aliis omnibus opportunas mittendi ſanguinis occaſiones *Mechanica* ſola ratio detegit. Dum enim priſcis temporibus (quum nondum utile tutumque *ratiocinium* hoc in Medicinam invexerat) Corpore undique *Leucophlegmatico*, ut dicimus, tumore, ſeu mavis *Hydrope* laborante, ſanguinem emittere piaculum erat, atque nunc etiam canuti quidam Medentes, nullo rationis lumine, ſed opinionibus tantum ducti, peſſime arbitrantur; noſtro hoc aevo non indiſcriminatim adeo *Phlebotomia* condemnatur, imo ſaepe ſaepius neceſſaria tunc maxime oſtenditur, neglectis etiam utplurimum *revulſionis*, aut

deriva-

derivationis innumeris praejudiciis. Quamobrem, dum enixo foetu (ut Tu probe noſti Paſquale mi) imminutiſque, aut ſuppreſſis extemplo, aut praemature nimis lochiis, intumeſcunt undique Mulierum Corpora, *cachecticumque* induunt habitum, nullum praeſtantius remedium, quam a *Phlebotomia* ſperandum eſt, quam tamen indocti omnes tunc omnimode & perperam averſantur. Siquidem iſti haud ſatis intelligere abſque *Mechanica* poſſunt, quod (contractis a Partu tubulis omnibus Uterum pervadentibus, minuſque proinde ſpatium nactis) niſi ſanguinis ſupervacanea copia, nutritioni foetus paulo antea inſerviens, *Puerperii* purgatione congrua educatur: ejuſdem exuberans moles Vaſa caetera ſummopere adimplet, ſibique repagulum, prae nimia copia, ubique praeſtat, unde ejuſdem motus imminuitur, eaque ratione pars ſeroſa a reliqua maſſa ſecedens, atque in interſtitiis cutis conſiſtens, *Oedematoſos* tumores efficit; quos itaque ſola ſanguinis imminutio ſolvere cito tutoque valet, non autem *Hydrotica* remedia a quamplurimis tunc uſurpari ſolita, quae tenuem ſanguinis partem educendo, craſſiorem reliquam reddunt, atque proinde ad motum eo magis inertem.

Hinc videre eſt, qua ratione Grajorum Medicorum Coryphaeus Hippocrates ſtatuerit, quod in *Hydrope* etiam (91) *Si Aegrotus difficulter ſpiret, fueritque Anni tempus aeſtivum, & aetas vigeat, & robur adſit, ſanguinem a Bracchio auferre oportet*. Perſaepe enim morbus iſte ab intercepto ſanguinis motu originem habet: ſive id ob ejuſdem nimiam copiam aut efferveſcentiam eveniat: ſive ob peculiare *Pneumaticorum* aut ſanguiferorum ductuum repagulum, aut ob vitium aliud quodlibet, propter quod ſaepe *Aſthma* ſuccreſcit, atque inde *Hydrops*; cui eatenus *Phlebotomia* tunc aliquo modo opitulatur, quatenus ſanguinis copiam imminuit, liberioremque ejuſdem motum praeſtat. Corruunt hinc innumere *cavillationes* illae, quibus olim *Phlebotomia* obnoxia erat, atque nunc etiam ab indoctis ſubjicitur. Iſti enim cavendum ſedulo ſemper eſſe depraedicant, ne, ſuppreſſis lochiis, ſanguis ex Brachio emittatur, imo neceſſario ab inferioribus venis ex Talo educendus ſit, ut illorum fluxus promoveatur, aut facilior, ſi opus ſit, Partus ſuccedat. Oppoſitum autem experti ſunt illi, qui *Mechanico ratiocinio* freti, animadvertere utiliter norunt, quod ideo ſaepe ad Uterina vaſa ſanguini praepeditur aditus, quia ipſe prae copia nimium undique turgeſcit, indeque vaſa ea proportione magis tenſa reddita (non ſecus ac Veſica urinaria lotio ſummopere repleta) oſcillare & contrahi minus poſſunt, ut contentum extrapellant ſanguinem. Quapropter, dum a ſuperioribus tubulis effluit, eodem tempore inferiores eadem ratione laxi evadunt, optatiſque perficiendis criſibus magis diſpoſiti: id quod etiam ad ſolicitandum Partum verum eſſe comperitur.

Aſt quid plura hic Tecum agam, Amiciſſime Paſquali, ut *ratiocinii Mechanici*

(91) *Hippoc. de ratione victus in morbis acut.*

chanici neceſſitatem utilitatemque maximam eſſe in rebus omnibus Medicis oſtendam; adeo ut Poma me dare Alcinoo, videri merito poſſit? Siquidem Tu, qui in Hetruria ſemper penes Celeberrimos Profeſſores (quorum doctrinis me potitum aliquo modo, pro ingeniolo meo, fuiſſe, ego ſemper gloriabor) Medicis ſanioribus ſtudiis ſedulo incubuiſti, utpote veritatis genuinus amator, *Mechanicum* ejuſcemodi *ratiocinium* ſummopere excoluiſti, praeter omnigenam ſelectiorem literaturam, in quibus omnibus, una cum comitate morum, mirifice praeſtas. Hinc certo certius exiſtimas, quod in quibuslibet ad Medicinam ſpectantibus praecipuum a *Mechanica*, praeeunte *Anatomia* accuratiore, praeſidium petendum eſt, iteratis ſemper faventibus ſimul obſervationibus, quae quidem a nemine tutius diligentiuſve, quam a *Mechanico* Medico haberi poſſunt. Enimvero (92) *Expertorem & obſervatorem non invenies aut oculatiorem, aut dexteriorem, quam cui mens lumine illuſtretur mathematico.* Quamobrem, ſi ex dictis ſatis conſtat, Medicum in omnibus ratione ſemper uti debere: cum haec non aliunde tutius (pro ut ipſi conceditur) quam a *ratiocinio Mechanico* emergat: verum etiam proinde erit, huic uni, tanquam firmiori fulcro, inſiſtendum eſſe; ſive de morborum ſtatuenda idea agatur; ſive de eorundem inveſtigandis explicandiſque cauſis; ſive de remediorum perſcrutanda vi, ut arrepta occaſione ipſorum ſelectus habeatur: ſive etiam (quod arduum maxime eſſe demonſtravimus) praeſagia proferre tuto opus ſit: In quibus omnibus verſari maxime debet Medicus, ut exercitatus in Arte evadat, *veramque* illam proſequatur *Praxim*, quae ſicuti *Aegrotis utilis*, ita *ipſi neceſſaria* praetermodum eſt. Uno verbo, aut *ratiocinium* quodlibet ab Arte noſtra exulare debet (quod nemo ſanae mentis audebit aſſerere) aut illud a *Mechanica* tantum, *Anatomicis*, aliiſque non omiſſis cognitionibus, ſperandum eſt, atque omni ſtudio quaerendum. Illo dumtaxat duce, *rationalis* ſane evadit Medicus, ideoque optime ſuo munere fungens, Sapientibus ratiocinando, & medendo ſummopere ſatisfaciet. Sic utique ſe gerere in omnibus ſapienter prudenterque Medicum quemlibet oporteret, ut maximum ſibi decus, atque Arti ipſi debitam exiſtimationem conciliaret, atque in dies magis magiſque augeret. Proinde Medicina a vulgarium omnium calumniis, atque a Doctorum objectionibus vindicari optime poſſet: pro ut eleganter doctiſſimeque praeſtitit (93) Praeclariſſimus Antonius Franciſcus Bertinus Praeceptor olim meus Sapientiſſimus. Hac vero ratione ſe gerens Medicus quiſque vulgaria quaeque dicteria, aliorumque ſubdola judicia, ab invida plerumque mente pullulantia, floci faciet, hoc uno contentus, ut, propriae conſcientiae pro viribus conſulens, nulla ex illis omittat, quae in Nobiliſſima hac Arte noſtra ipſum omnifariam inſtruant, atque magis utilem reddant. Hinc ſua nihil propemodum referet, quod ogannire alii aut blaterare turpiter velint; dum a mor-

(92) *Joſeph Donzellini de uſu Mathem. in Medicina.* (93) *Bertini la Medicina difeſa.*

a morborum eventibus tantum, aut a praeſagiis (quibus non ſemper fauſta ſors arridet) de Medicorum peritia judicare ſe poſſe praeſumunt, atque paſſim audacter revera judicant: unde & ignari perſaepe populari fruuntur aura, Sapienteſque contemnuntur, quippe qui docti etiam aliquando, ſed parum experti in Arte haberi conſueſcunt. Siquidem verum ſemper fuit, eritque in poſterum, quod (94) *quae a peritia Medici prodeunt beneficia, aut ab imperitia male facta, ita confunduntur cum iis, quae a ſpontaneis naturae motibus, quae ab exterioribus, quae a cauſis inconſpicuis, aut a morborum particulari indole proficiſcuntur; ut non facile ſit diſtinguere, an ſanitas ſit Medici opus, an ſortis, an alterius latentis cauſae, an vero beneficium naturae.*

Caeterum de hiſce aliiſque hujuſcemodi vulgaribus judiciis, atque dicteriis nihil plane ſolicitus ſit prudens & optimus Medicus, qui Aegrotorum non minus bono, quam proprio decori conſulere omnifariam ſeduloque ſatagat, hoc ſolummodo contentus, quod nihil omittat, ex quo vere peritus utiliſque evadere aliquando poſſit. Neque, ut *veram* ſatis calleat *Praxim*, curandiſque laudabiliter Aegrotis ſufficiat, illum in Arte noſtra eximium, perfectum, & undequaque abſolutum (quod paucis utique conceſſum eſt) evadere debere exiſtimo. Equidem (95) *non hic pono, liberum eſſe humano ingenio ad conſummatam, & numeris omnibus abſolutam Medendi artem pervenire .....ſed qui ad eandem ſe conferunt, illis ad ſummam eſſe tendendum, id pono. Cum enim vel ex hiſce ipſis, qui in quavis arte primas appetunt raro videamus ad ſecundas, tertiaſque provectos in hac certe cui non minus difficultatis, quam utilitatis, dignitatiſque, inſitum eſſe confitemur, in imo ſubſiſtat neceſſe eſt quiſquis ad ſumma non enitatur.* Quaenam quantaque ea ſint, quibus inſtructum eſſe peritum Medicum oportet, ut optime ſemper ſuo munere fungatur, ex dictis ſatis patet, & nuper paucis elegantiſſime non minus quam ſapientiſſime indicavit praecitatus Celeberrimus Morgagnius ibidem, ubi merito ſtatuit, *ſatis eſſe non putandum eximio in primis, quem inſtituendum* poſuit, *Medico Aegrotantium lectulis aſſidere, ſed praeterea inſerviendum eſſe poſteritati, quae is ſcire potuerit, quaeque artis gratia inquirere, candide illa, atque ſimpliciter in omnium ſaeculorum notitiam proferendo, tum Reipublicae obtemperandum, in ſcholis modo atque in Gymnaſiis artis rationem aperiendo, in foro alias atque in judicio de veneficiis, de prodigiis, de vulneribus, de aeris, ciborumque ſalubritate reſpondendo,* tum & de tot aliis, quae in eadem Diſſertatione n. 17. adamuſſim ipſe propoſuit. Ad haec ideo omnia & ſingula optimum Medicum, ut vere Reipublicae utilis evadat, inſtituendum eſſe monet Praeclariſſimus iſte Auctor, eaque novis inſtitutionibus comprehendenda eſſe autumat, quas oh utinam ipſe pro bono publico perficiat, iiſque veram cuilibet ſternat viam, quae una ad perfectam Artis noſtrae cognitionem, ac proinde ad *Veram*, quam indicavimus ruditer, *Praxim* manuducet.

(94) *Donzellinus ut ſupra.* (95) *Jo: Bapt. Morgagnius nova Inſtitut. Medicar. Idea.*

DE AORTAE ANEURYSMATE
OBSERVATIONES TRES
CUM ANIMADVERSIONIBUS

PAULI VALCARENGHI

IN REGIA TICINENSI UNIVERSITATE
THEORICAE MEDICINAE PRIMARII
PROFESSORIS,

Atque Celeberrimae Bononienſis Academiae
Socii.

TYPOGRAPHUS B. L.
S.

CUm binarum, quas tranſacto proxime anno Clariſs. iſte Auctor cudendas mihi exhibuerat, Obſervationum *de Aortae Aneuryſmate* exemplaria fere omnia conſumpta ſint: eas hac occaſione praelo iterum ſubjicere, praepoſitoque huic Operi adjungere, oportunum duxi, ut Eruditis ſatisfacerem: quibus eo gratam magis praeſtare me rem nunc poſſe, autumo; cum tertiam ejuſdem cenſus obſervationem, prioribus addendam, quae illarum ratiociniis haud parum conferet, obtinuerim. Animum ideo ne ſpernas B. L., dum, alia inpoſterum ab eodem Auctore, ac praecipue ſpeciale (quod prae manibus habet) de Virginum & Sanctimonialium morbis opus ſperans, majora tibi promitto. Vale.

BENEVOLO LECTORI

AUCTOR S.

NE *culpae mihi, quaeſo, vertas, B. L. cum Obſervationes haſce, ſecus ac alii faciunt, prolixe nimis conſcripſerim. Dum enim optatae brevitati ſtudere in animo habebam, quamplura de hiſce me fuſius agere coegerunt, ut habitae controverſiae momenta, rationeſque omnes perpenderem, iiſdemque, pro rei dignitate, reſponderem. Si haec tibi haud diſplicuiſſe novero, cum hujuſcemodi obſervationibus ſpecialiter incumbam, alia tibi inpoſterum offeram, quae organicorum ejuſmodi morborum diagnoſim magis ſorſan obviam reddent. Vale.*

OBSERVATIO PRIMA.

NObilis D. Joſeph Guazzius Patricius Cremonenſis, prope decimum aetatis luſtrum tunc conſtitutus, optima Corporis temperie praeditus, proſperaque valetudine antehac gaudens, etſi ad *hypochondriacum* aliquantulum vergens, ineunte Anno 1729. Hyemis tempore, dum rigidior ſaeviebat Bruma, ſaepiuſque ſolito Aquilonares dominabantur Venti: Cum per Urbem noctu violento curſu quondam divagaretur, intrinſecus excaluit maxime, dum extrinſecus a frigido praetermodum Aere vexabatur. Statim ideo magnum inopinato ardorem in ſuperiore mediaque Pectoris parte ſub Sterno perſenſit, cui dolor non levis illico acceſſit ad utrumque Brachium productus, una cum torporis ſenſu: additaque hinc reſpirationis ſumma anxietate, *Lipothymia* correptus fuit, ita ut viribus fere deſtitutus evaſerit. Verum haud diu morboſa haec affectio perduravit, quinimo eadem fere ratione, qua ipſe a motu deſtitit, paulo poſtea evanuit. Attamen poſthac Hyemis tempore, praecipue cum violentioribus ſeſe motibus exerceret, iiſdem pene, quamvis levioribus *ſymptomatibus* laboravit, eoque magis poſt prandium, quam jejuno ſtomacho, veſperique ſaepius, & rarius Aeſtate: hoc uno habito diſcrimine, quod tunc, cum difficilis reddebatur reſpiratio, *lipothymiam* pati raro ſoleret. Viciſſitudines haſce quatuor circiter annorum curriculo morbus iſte deinceps ſervavit, uſque dum, validiore reddita ipſius cauſa, pari pacto tum Hyeme, tum Aeſtate, & mane, & veſperi ipſum indiſcriminatim vexare coepit; praecipue dum ſcalas aſcenderet, violentiſque magis Animi, Corporiſve motibus ſe ſubjiceret, aſſumpto maxime liberalius cibo; tantaque fuit aliquando praedictorum *ſymptomatum* vehementia, ut animo deficere, ob reſpirandi laborem ſummum, non ſecus ac antea videretur. Nihilo tamen ſecius, ſtatim ac a moleſtis hiſce inſultibus immunis evadebat, conſuetam ſervabat animi hilaritatem, actioneſque quaslibet perfecte obibat, & florido perfuſus colore erat, juxta optimam Corporis univerſalem conſtitutionem, ita ut *imaginariam* potius quam veram aegritudinem pati a pleriſque crederetur: multoque magis quia libere utplurimum ſpirabat, nullaque ex dictis tunc aderant *ſymptomata*: quamvis violentos quomodolibet ſubiret motus, Aeſtivo praecipue tempore, ac ſereno Coelo: ſecus vero dum pluvioſum aut nubilum eſſet, flantibuſque Borealibus ventis. Quotieſcunque *dyſpnoea* hac recurrente identidem vexabatur aequa ratione pulſus frequens & concitatus admodum erat, ac plerumque inaequalis, nec non etiam extra *paroxiſmum* inſolitam multoties celeritatem ſervabat.

Poſt primum quadriennium graviores paulatim frequentioreſque inſultus

ſultus evaſerunt Hyemis tempore, praecipue dum in iram ſummopere concitabatur. Declinante Anno 1737. adauctus ita fuit morbus, ut non ſolum occaſione vehementiorum Animi Corporiſve motuum, verum etiam cum Rheda per Urbem veheretur, iiſdem & majoribus *ſymptomatibus* detineretur: quae quidem ſemper ſub Sterni dicta ſuperiore parte, cum ardore, originem ducere videbantur; nunquam abſente dolore, atque torpore ad utrumque Brachium, & Manus protracto, eoque graviore ſemper reddito. Haec plerumque noctu ipſi tunc evenire conſueverunt: unde a ſomno derepente expergefactus, erecta tantummodo cervice ſpiritum ducere quoquo modo poterat: idque gravius ipſi eveniebat, cum lautiori indulſiſſet coenae, meracioribuſque vinis abunde uſus eſſet: rarius autem & levius, cum parce manducaſſet.

Februario menſe Anni 1738. ſaepe adeo vehementerque inſultus hoſce paſſus fuit, ut jam ad interitum properare videretur. Etenim tunc non niſi erecta cervice decumbere in lecto poterat, ut ſpiritum ſatis, etſi non modico cum labore, duceret: frequentius Animi patiebatur defectus: Extremae intumuerant undique partes, non parum frigefactae: totaque Corporis peripheria *oedematoſum* praeſeferebat tumorem. Iteratis tamen ſanguinis emiſſionibus, tenuique inſtituto victu, non omiſſis attemperantibus remediis congruis, nimium ſanguinis aeſtum coercentibus, paulo poſtea convaluit.

Accedente Vere, cum laudabilem magis ſex rerum, ut ajunt, non naturalium normam ſervaret, eo melius ſe habuit: licet non adeo nutritus, neque florido praeditus colore, ſicut antea, eſſet. Solita tamen pollebat hilaritate, & robore in actionibus omnibus rite obeundis: & quo magis animum recreabat, nihil parumve in victu delinquens, eo diutius a conſuetis incommodis vacabat.

Sequentibus tribus annis eumdem pene ordinem ſervavit morbus, identidem invaleſcens, utplurimum noctu, rariuſque interdiu: atque hoc tantum juxta occurrentes Animi, aut Corporis vehementiores motus, temporumque praedictas conſtitutiones, maximeque juxta incongruum magis victus regimen.

Tranſacta proxime Aeſtate Anni 1740. proſpero magis ſalutis ſtatu frui compertus eſt, atque etiam inter inordinatas Hyemis viciſſitudines aeque bene ſe habuit: ſi leves excipiamus conſuetos inſultus, a quibus noctu plerumque detineri ſolitus fuit. Vigente morbo pulſus frequens ſemper, ſicuti antea, nec parum inaequalis repertus eſt; eoque abſente, concitatus ſaepiſſime evaſit, multoque magis, quam univerſali ipſius conſtitutioni conveniret. Animadvertendum tamen eſt, quod Corpus ad maciem aliquantulum vergere in dies videbatur, neque florido ut antea colore praeſtabat, non raro ex flavo palleſcens, *Oedematoſo* ſub oculis tumore ſaepe apparente.

Cum

Cum de moleſto contumaciquc maxime ageretur morbo, Cremonenſes clariores omnes, plurimoſque exteros doctrina praeſtantiſſimos Medicos identidem conſuluit, a quibus dum diverſimode de ejuſdem cauſa diſputabatur, varias etiam curationis methodos obtinuit, quibus adamuſſim obtemperare non neglexit Nobilis Aegrotus: utpote qui optatam jam diu ſalutem ab omnibus ſe obtinere poſſe ſperabat, & maxime ab illis, qui fauſtam ipſi, neſcio qua ratione, *prognoſim* pollicebantur.

Alii autem *Hypochondriacam* tantum in ipſo accuſabant affectionem, quae ab infarctibus imi Ventris, humorumque ſpeciali craſſitie (ut ipſi ajebant) proficiſcens, *aperientia* quaeque, *martialia*, *purgantia*, nec non *deobſtruentes Thermales aquas*, aliaque plurima hujuſce claſſis expeteret: id quod nunquam optima ipſius univerſalis conſtitutio indicaverat.

Aliis *Antiſcorbutica* ſuppetebant Pharmaca; cum analogam in ipſo ſcrutarentur labem, caeteris omnino ignotam.

Epilepticam alii Pulmonum Aegritudinem dixerunt: hocque veriſimile magis ipſis videbatur, quia morbus per intervalla tantum ſaeviebat, *dyſpnoticos* excitans inſultus: quia *opiatis* remediis ſaepe auſcultabat; maximeque quia, abſentibus inſultibus, bene coloratus, maxime hilaris, tamque bene conſtitutus in caeteris videri conſuevit, ac ſi nullo prorſus antea morbo laboraſſet.

Convulſionum aliis generalis idea, a nervoſi generis prava diatheſi pendens, non impari ratione arridebat: nihil obſtante contumacia morbi ſaepiſſime recurrentis, ejuſque conſtanti ſemper principio ſub Oſſe Sterno, dum caeterae partes per conſenſum tantummodo, & nihil fere patiebantur.

Nonnullis *organici* in Pectore morbi ſuſpicionem jure meritoque obtulerunt affectionis ejuſmodi recurrentis conſtantia, *ſymptomatum* ſimilitudo, ſpecialis conditio, principium, exitus, & propagatio: exulante penitus ſpecialiter tuſſi, nullaque peculiari unquam habita *anacatharſi*. Verum non eodem modo omnes ratiocinabantur. Alii enim in *Corde* vitium adeſſe putabant; alii in contiguis ipſi majoribus Vaſis; alii in *Pulmonibus*: modo *Tubercula* eaque *cruda*: modo *Polypum*: modo *Aneuryſma*: modo utrumque: modo *varicoſas* venarum expanſiones, aliaque hujuſmodi indicando.

Ego vero hiſce omnibus inſtructus, pulſus ſemper inordinatum rhithmum in vigore morbi, nec parum extra ipſum deprehendens; attentis variis Animi Corporiſve violentioribus motibus, ſpecialibus Aeris conſtitutionibus, lautiore comeſtione, praedictiſque omnibus extrinſecis cauſis, quae morbum praeire, & fovere paſſim conſueverant: veriſimilius ſtatuendum eſſe arbitratus ſemper fui, morboſa quaeque illa *phoenomena* a retardato tunc ſanguinis motu circa Cor, Pulmones, praecipuaque Pectoris vaſa ſuboriri maxime & immediate conſueviſſe: hocque

Dempto Sterno, in quo nihil peculiare, praeter induratas Cartilagines, obſervavimus, Pulmones invenimus mole, colore, & ſtructura bene conſtitutos, atque nullibi Pleurae adhaerentes. Mediaſtinum & Pleura ne hilum quidem a naturali ſtatu receſſerant. Cor mole adauctum paululum videbatur. Superior Venae *cavae* truncus, ſicuti, & *axillares* rami grumato ſanguine praeter modum tumebant, tum etiam dextera Auricula Cordis, quae ſolito grandior apparebat. Laeva Cordis cavitas nihil ſanguine ſcatebat, naturalemque ſervaverat ſtatum. Ejus ſubſtantia denſa ſatis erat, validiſque undique texebatur fibris: neque in caeteris quidquam a conſueta ſtructura deflexerat. Sola *Aorta* Arteria paulo ſupra Cor amplior ſolito viſa eſt, atque praecipue circa ejuſdem *Arcum*. Ideo, cum *Aneuryſmatis* ibidem geniti ſigna ſeſe nobis offerrent, ut ipſius cavitatem accurate magis pervadere poſſemus, ipſam prope Cor aperuimus, ſectionem uſque ad *Arcum* & ultra paulatim continuando. Tunicarum ibidem textura denſa admodum erat. Intima vero ſuperficies (quae verſus Cor laevigata erat) circa *Arcum*, ubi *ſubclaviae* Arteriae oriuntur, inaequalibus minimiſque ſinibus undique perfundebatur, in poſteriore praeſertim ejus parte: ubi variae jacebant *oſſeae concretiones*, ſibi in directum miro modo diſpoſitae, propter quas interior Arteriae tunica inaequalis maxime reddebatur & aſpera. Oſſicula haec Piſcium grandiorum ſquammas aemulabantur, majorum unguium noſtrorum latitudinem ſuperantes, & figurae, ut ajunt, *irregularis*, cum hinc inde acutiſſimis ſcaterent angulis, a quibus digiti acriter pungebantur. *Squammulae oſſeae* iſtae tunicis Arteriae ſtricte adnectebantur, praeſertim circa earum centrum, ut ita dicam: atque circa peripheriam elevari quoquoverſus facile poterant, ita ut adinvicem accedere aliquo modo, & recedere viciſſim, juxta Arteriae ipſius contractiones, potuiſſe aliquando, viderentur. Quamplurimae autem hujuſcemodi *oſſeae ſquammulae*, figura, & mole erant diſſimiles, quae in ipſo *Aortae Arcu* poſterius incipientes, atque in lineam rectam miro modo diſpoſitae, reliquam etiam *Aortae deſcendentis* poſteriorem partem, fere uſque ad *diaphragmatis* inſertionem pervadebant. Illae vero, quae prope *Aortae Arcum* jacebant, grandiores craſſioreſque erant, nec non acutis magis plurimiſque angulis ditatae: reliquae vero ſequentes minorem obtinebant molem. Caeteroquin tamen in anteriore ſua parte *oſſiculis* hiſce *Aorta* Arteria prorſus carebat, conſuetamque praeſeferebat texturam, licet amplior facta, nec in ejuſdem cavitate *Polypoſum* ullum Corpus concreverat. Hujuſcemodi *oſſeae lamellae*, praedicto ordine diſpoſitae, *Aortae* Arteriae liberas contractiones haud parum praepedire potuerant, atque praeſertim in ejuſdem poſteriore parte: ubi, juxta earundem majorem latitudinem, & ſpecialem diſpoſitionem, Arteriae parietes ad ſe mutuo ſatiſque accedere, in actu *ſyſtoles*, haudquaquam poterant; ſecus quam in anteriore parte, ubi nulla aderant

rant

rant *oſſicula*, omneſque ejuſdem tunicae aeque flexiles ibidem remanſerant. Reliqua autem majora vaſa bene conſtituta erant; aliaeque Partes omnes praecipuae cum medii, tum infimi Ventris naturalem texturam obtinebant.

Duplicem Arteriae dilatationis ſpeciem jure meritoque aſſignat famigeratiſſimus Morgagnus in Adverſ. Anatom. II. Animadv. 39. unam nempe dum *Arteriae expanſio eſt inſtar ſacci a latere appenſi;* qualis eſt illa, quam in altera huic adnexa obſervatione proponimus: alteram vero, cum expanſio *omni ex parte eſt aequalis*. Primae ſpeciei *Aneuryſmata*, tametſi mole non tam ampla, ſub oculos facilius cadunt: alia vero non item. Hinc dum Arteriae cujuſvis expanſio *omni ex parte* aequaliter facta eſt, abſque ſpeciali ullo ſacco *a latere appenſo*, niſi magna fuerit, difficilius cognoſcitur, atque ab illis tantum, qui naturalem dilatatae Arteriae illius capacitatem optime noverint, iſtamque cum illa comparare ſedulo valeant. Hujuſce ſecundae ſpeciei recenſitum hoc *Aneuryſma* erat, utpote quod *omni ex parte* expanſionem Arteriae *Aortae* referebat, quae tamen in poſteriore parte, ubi *oſſeae ſquammulae* conſtiterant, paulo magis dilatata per longum fuerat.

Hinc, cum non tam amplae molis *Aneuryſma* hoc evaſiſſet, non adeo facile captu cuipiam videri poterat, quomodo ab ipſo ſolum tam contumax, variuſque, & inconſtans morbus, gravibus praedictis *ſymptomatibus* ſtipatus, ſubortus fuiſſet, & talis quidem, ut inopinatae violentaeque morti tandem anſam praebuerit, abſque quod ulla vaſorum diſruptio, atque proinde ſanguinis effuſio praeceſſerit. Haud equidem me latet, majora admodum *Aneuryſmata* in Arteria *Aorta* progigni poſſe, diuque ibidem conſiſtere, ſine multiplicibus tam moleſtis, tamque diuturnis incommodis. Hujuſcemodi autem obſervationes quamplurimas (praeter aliam a me data opera huic adnexam) legere paſſim nobis occurrit cum apud Antiquos, tum apud Recentiores Clariſſimos Viros. Teſtis ſit Riverius Centur. 4. Obſerv. 34., ubi tam magnum refert *Aneuryſma* in Arteria magna aſcendente productum, ut Brachii fere magnitudinem adferret. Monſtruoſum *Aneuryſma* ſe vidiſſe narrat celeberrimus Rhuyſchius Obſervat. 38. tantae quidem magnitudinis, *ut Pulvinar mediocre, quo in ſedili utimur (demptis quatuor angulis, rotundum enim erat Aneuryſma) adaequaret .... quod ortum duxit ex Arteria Aorta tribus circiter digitis tranſverſis ſupra Cor.* Obſervatione autem 37. de alio *Aortae Aneuryſmate* loquitur, mole ſua Infantis recenter nati caput adaequantis. Ex actis philoſophicis Anglicanis notat Mangetus in ſua Bibliotheca Chirurgica monſtruoſum magis *Aneuryſma* Arteriae *Aortae*, quod integram Thoracis cavitatem in latere dextero replebat, Pulmones ita comprimens, ut pene eſſent conſumpti. Supra *Aortae* autem praecipue flexionem maxima *Aneuryſmata* procreari poſſe ex actis Gallicis deducit doctiſſimus

tiſſimus Freind in Hiſtoria Medica, ubi ait, quod *duorum in iſto loco Aneuryſmatum hiſtoriam commemorat Littrus: in quibus ita protruſa erat Arteria, ut Saccum effingeret ad Thoracem collumque pertingentem, immo in altero caſu per cervices uſque ad maxillam.* Et ne fruſtra hic alias recenſeam ejuſcemodi obſervationes, ſatis ſit ſi innuerim cum praecitato Clariſſimo Mangeto ibidem, *dari cujuſcumque magnitudinis Aneuryſmata, nempe a piſi magnitudine, ad magnitudinem caput humanum bis ſuperantem, pro majore vel minore Arteriae dilatatae amplitudine, ejuſdemque ad ſe dilatandum facilitate.*

Neque *oſſeae concretiones* in memorata dilatata Arteria inventae novum mihi prorſus ſpectaculum obtulerunt (ſicuti cuipiam viſum fuit) ita ut ex hoc tantum admirari unquam poſſem. Admiratio enim rerum plerumque, de quibus agitur, ignorationem ſubſequitur. Porro innumeras referre hic poſſem hiſtorias *oſſeorum* vaſorum in Cadaveribus detectorum. Gabriel Faloppius *de Partibus ſimilaribus* Cap. 14. notat, *Partes multas Arteriarum eſſe cartilagineas, imo oſſeas, veluti in ſenioribus Animalibus.* Inſuper teſtatur ibidem, ſe vidiſſe *in quadam Vetula omnes Arterias ſiniſtras oſſeas eſſe factas, quae paſſae erant Aneuryſma.* Peculiaris adeſt obſervatio Clariſſimi Joannis Baptiſtae Bianchi a Mangeto in Theatro Anatomico relata, enormis *Aneuryſmatis* in principio *Arcus Aortae* conſiſtentis, ubi erat *oſſea, imo ſaxea potius loricatio ad totam illam Aortae faciem, quae accubitu Polypoſo tenebatur.* Aliae hujuſmodi leguntur Obſervationes in Commentariis Celeberrimae Academiae Bononienſis a Praeclariſſimo Michelotto in ſpeciali eruditiſſima Diſſertatione ſua contextae, quas non vacat hic ſingillatim proponere. Nec in Arteriis tantum, ſed & in quibuslibet aliis Animalium partibus oſſeas concretiones produci poſſe, Autopſia ipſa teſte, pluries didici. Merito idcirco monet Pechlinus Obſerv. 40. *Tendines, Membranas, Cartilagines, & ligamenta etiam oſſificari poſſe;* ubi, id praeſertim de Arteriis verum eſſe aſſerit. Nec *oſſeas tantum, ſed & lapideas Arterias evadere* idem Auctor ſubdit Obſervat. 41.

Haec autem hic recenſenda prius eſſe arbitratus fui, ut cuipiam pateret, nec praedictas *oſſeas ſquammulas*, nec repertum eas continens *Aneuryſma* parvae molis, admirationem mihi unquam ita moviſſe, ac ſi quid novum prorſus mihi adferrent. Praeterquam quod neque mirum mihi quidquam evaſit, quod a tam parvo *Aortae* Arteriae *Aneuryſmate* adeo multiplex graviorum, & inconſtantium *ſymptomatum* Iliades progenita fuerit, morte tandem ipſa inopinato ſubſequente: ſi *Aortae Arcum*, circa quem maxime dilatatio evenerat, ſi inaequalem ipſius intimam ſuperficiem in poſtica parte, a latis, *irregularibus*, mobilibus, ſpecialique modo diſpoſitis, & acutos angulos referentibus *lamellis* illis *oſſeis* occupatam attenderem; Id quod ex ſequentibus rationibus certo certius deducere quemlibet poſſe, exiſtimo.

Antea-

Anteaquam autem hujuſce morbi praecipua *Phoenomena*, gradus varios, permutationes & ſpecialem curſum, uſque ad omnimodam ejuſdem ſolutionem, congruis rationibus proſequamur atque explicemus; cum nulla alia prorſus in Cadavere detecta ſit cauſa, atque haec a reperto *Aneuryſmate* peti unice debeat; operae pretium erit ſi de ejuſdem *Aneuryſmatis* prima origine paululum diſſeramus.

Omnes *Aneuryſmatum* cauſae, ſive extrinſecae illae ſint, ſive intrinſecae, ad eas generaliter utplurimum reducuntur, quae affatim ſanguinis velocitatem adaugere valent, aut Arteriae cujuſvis tunicas ita debilitare, ut prementi quoquoverſus per normales lineas ſanguini haud ſatis reſiſtere queant. Ideo violenti Corporis motus, contuſiones fortes, ictus vehementiores quilibet in extimis Partibus excitati, ibi praecipue ubi majora latitant Vaſa, aut minora etiam, ſed muſcularibus machinis minus tecta, *Aneuryſmata* producere quamfacile poſſunt; prout, experientia ipſa teſte, ſolidiſſimis rationibus evincunt Mechanici omnes ſaniores Medici, atque prae caeteris Celeberrimus Lanciſius. Praeterea plurimum ad hoc conducere poſſunt violentiores niſus, ſpirituſque nimiae diuturnaeque contentiones, in Tubicinis: & alia hujuſmodi.

Verumenim vero, praeter haec, non incongruum eſt ſupponere ſpecialem earundem Arteriarum diſpoſitionem, quae laxam nimis ipſarum texturam conſequitur, propter quam prementi eas jugiter ſanguini, nimioque impetu, ſeu ratione copiae, ſeu ratione velocitatis, ſive ob utramque cauſam diſtendenti, plus aequo facileque cedant. *Impetus enim* (ut docet Praeclariſſimus Michelottus in praecitata Diſſertatione pag. 426.) *ſeu vis viva excurrentis ſanguinis, quantitate partium ejus pondere proportionali, & harum velocitatis quadrato componitur.* Et ut paucis me expediam, ſatis erit innuere cum eodem Auctore, quod *ſi ejuſmodi ſolidorum Corporum excavatorum, & fluidorum in ſe mutuo actiones praeter conſuetas naturae leges ſic immutentur, ut, vel ſanguinis in ſuos ductus impetus, horum viribus ad reſiſtendum, & retro agendum manentibus integris, valde increſcat; vel ſanguinis impetu haudquaquam mutato, canales eum vehentes, & reducentes, aut a primordiis non ſatis, ſuarum fibrarum cohaeſione, craſſitie, ac denſitate firmi; vel morbo, aut alia quacunque de cauſa imbecilles facti, naturali ipſius ſanguinis momento haud valide reluctentur, morbi innaſcuntur in ſanguinis ductuum dilatationibus, dilacerationibuſque conſiſtentes.* Animadvertendum inſuper eſt, quod, licet Arteriarum textura talis ſit, ut fluenti impellentique eas quomodolibet ſanguini reſiſtere ſatis queant: Earum tamen configurationes atque peculiares diſpoſitiones, *Aneuryſmatum* generationi magis favere paſſim comperiuntur. Hinc fit, quod plerumque prope *Arcum Aortae* facilius, quam alibi Arteriarum expanſiones, ut in caſu noſtro, eveniant. Id ipſum innuit Celeberrimus Morgagnus in Adverſar. II. Animadverſ. 41., ubi docet, quod trahi in dubium nequeat, *Aortae Arcum non longe a Corde incurrenti*

ſanguini

ſanguini objectum, hujus curſum ſubito, & violenter inflectere; unde ſi Cordis impulſus nimium intendatur, & praeſertim ſi Aorta vel a primordiis minus firma ſit, vel ab eroſivo aliquo principio debilitata, facile intelligitur, Aortae expanſionem effici. Eadem porro hujuſce Phoenomeni ratio a doctiſſimo Freind proponitur in Hiſtoria ſua Medica, dum ait, quod *certum eſt Aortam ſupra ejus flexionem facilius dilatari poſſe, ob reſiſtentiam eam, quae ſanguini illic ex ejuſdem curvatura opponitur; ex quo etiam in hac Arteriae parte utplurimum Aneuryſmata producuntur: ac ſi iſta in dilatatione tantum conſiſtant, nullibi hanc facilius, quam in eo loco fieri poſſe credibile eſt.* Hoc quoque confirmat, fuſiuſque explicat praelaudatus Michelottus. *Siquidem cruor a Corde, facie poſteriori vulgo appellata, diaphragmati veluti in tranſverſum incumbente, in cavum Aortae, a baſi Cordis uſque ad eum locum, quo manifeſtius deſcendere incipit, ſeſe incurvantis contente jactus, ſecundum rectam lineam ipſius Aortae curvaturam tangentem progredi conatur; in eaque vi centrum verſus reflectente detinetur. Viribus itaque omnino contrariis ſecundum contrarias directiones in ſe mutuo agentibus, in incurva Aortae parte veluti jactatus cruor, ſi forte in hac vi projicienti Cordis ſatis propinquam, ac propterea totum ejus impetum ſuſcipientem, tanta copia, tanta velocitate, tanta contentione ab validiſſime palpitante Corde vibretur, ut illius momento cum tendineae, tum carneae fibrae alioquin fortiſſimae, confertiſſimaeque, ex quibus illa ipſa inflexae Arteriae Aortae portio texitur, ſummopere in contrarias partes diſtrahantur; primum in ea intimae tunicae notabilis diſtentio, inde vehementiſſimis ſanguinis in ipſius interiorem ſuperficiem incurſibus, viviſque preſſionibus ſaepius iteratis, ingens quoque expanſio, praememoratorum demum fibrarum abruptio, laceratiove neceſſario ſubſequetur.*

Ex hiſce omnibus facile eſt, rationique perquam conſonum ſtatuere, quod tunc primum ejuſcemodi *Aneuryſma* inchoatum ſit, cum Nobilis ille Vir anno 1729. Hyemis tempore, rigidiore ſaeviente Bruma, ſaepiuſque ſolito Aquilonaribus dominantibus Ventis, noctu per Urbem violento curſu divagabatur, ut ex hiſtoria patet. Hiſce enim omnibus concurrentibus cauſis, quis non videt, quam facile vaſorum tunicae diſtendi nimium, ne dicam lacerari tunc poſſent, illaeque praeſertim, quae a primordiis compactam minus, & firmam texturam nactae erant, atque in illis maxime Vaſis, quae, ob peculiarem configurationem, impellenti plus aequo ſanguini difficilius reſiſtere, & contraniti valent: prout de *Aortae* Arteriae *Arcu* verum comperiri ſupra ſatis innuimus.

Hoc autem inficias nemo unquam ibit, ſi multiplices tunc concurriſſe cauſas ad dilatandam Arteriam animadverterit, quarum pleraeque ſingulae ad hoc ſufficere abunde poterant. Tunc enim Hyemis tempore rigidior ſaeviebat Bruma, eoque crudelior, ob Aquilonares ſaepe flantes ventos; quare perſpiratio quam maxime cohibita fuerat. Hinc ſanguinis moles pari ratione excreverat, quae caeteroquin in ipſo magna

quidem

quidem erat , cum Plethorico tunc frueretur habitu ; optimeque in omnibus conſtitutus eſſet. Quod in ejuſmodi Aeris conſtitutione potius quam in alia Arteriarum expanſiones facile fiant , ac praecipue Aquilonibus dominantibus , merito admonet Michelottus in praecitata Diſſertatione, ubi aliam addit rationem caſui noſtro perquam faventem. Dicit enim ; *Sanguiferorum canalium rimas , rupturaſque ab inſigniter increſcente Aeris vi elaſtica fieri quoque poſſe ; ſanguinea ſcilicet maſſa certis anni temporibus, conſtitutionibuſve , ſummo gelu, vel aliam quamcunque ob cauſam , prona ad concreſcendum exiſtente, facile intelligemus ; ſi , quae de Aeris ex conglaciatis aqueis particulis erumpentis vi, vel bellica tormenta frangere valente , quemadmodum humores a cruore in Animalibus ſecernantur ſcribentes annotavimus , huc traducamus.* Praeterea Hyemis hujuſcemodi tempore ſolida quaeque, eaque maxime, quae Arterias contexunt, rigidiora, magiſque elaſtica evadere, nemo non novit: idque Hyemale Corporum noſtrorum majus robur oſtendit, atque ipſa quoque inanimata Corpora, & Metalla praeſertim evincunt, quae Hyeme praeter modum rigeſcunt, & laxantur Aeſtate: ut experientia conſtat. Tunc itaque , cum noctu violento ſe curſu exercuit, ſanguinis velocitas ſummopere adaucta fuit, ejuſque impetu pari ratione excreſcente , *Aortae* Arteriae parietes, qui aliunde ob nimiam ſanguinis molem diſtenti maxime fuerant, diſrumpi magna ex parte potuerunt. Hoc autem eo facilius, eo violentius tunc eveniſſe credendum eſt, cum major eſſet vis ſanguinis impellentis in interiora majora vaſa: quia minimi omnes tubuli extimam Corporis ſuperficiem pervadentes a rigidiore circumambiente Aere plus aequo preſſi erant, magiſque proinde fluxui ſanguinis ibidem reſiſtentes: id quod ex eo patebat, quod tunc intrinſecus maxime excalefactus fuiſſet , dum extrinſecus a rigidiore Bruma eodem tempore ſummopere vexabatur.

Ob nimiam ideo *Aortae* Arteriae diſtenſionem, nec modicam diſruptionem in internis ejus tunicis ab extrinſeca cauſa ibidem ſubitoque factam, dolor cum ardore ſub Sterni ſuperiore parte (ubi *Aortae Arcus* collocatur) illico ſuccrevit, qui, juxta *Subclaviorum* ramorum propagationem, ad utrumque Brachium tendere viſus eſt, una cum torporis ſenſu, ob compreſſionem Brachialium Nervorum, qui iiſdem *Subclaviis* vaſis adnectuntur. *Hinc reſpirationis anxietas maxima acceſſit, Lipothymia correptus fuit, ita ut viribus fere deſtitutus evaſerit.* Etenim robur Corporis, ſi non immediate, ſaltem mediate a congruo ſanguinis motu , analogaque hinc emanante vi, qua vaſa undique diſtendit, derivari cuilibet patet ; maxime quia laudabilem hunc ſanguinis motum, atque in ſolida quaeque irruptionem, optima nervorum univerſalis conſtitutio ſubſequitur. Ideo dum vaſa, & majora praeſertim, nimium premuntur undique atque diſtenduntur a validiore ſanguinis gurgite , haud ſatis reniti valent , ut ſucceſſivum ejuſdem motum ultro promoveant: quare *Lipothymia* fit, tur-

genteque

genteque nimis, ac minus aequo excurrente ſanguine in Pulmonaribus tubis, reſpiratio laborioſa evadit.

Hujuſcemodi *ſymptomata* omnia *Aortae Aneuryſmatum* vere propria ſunt, illorumque praecipue, quae prope ejuſdem *Arcum* incipiunt, qualia a doctiſs. Freind in Hiſtoria ſua Medica adnotantur: *dolor ſcilicet non modo in Pectore, ſed etiam in Humeris, in Brachiis ..... ſomni parum iſque haud raro interruptus: in lecto decumbendi ſaepe impotentia, atque inclinato antrorſum Corpore ſemper levamentum majus: ſpiritus ita nonnunquam impeditus, ut ſubitum Strangulationis metum incuteret*; quae omnia partim in ipſo morbi principio, partim in progreſſu eveniſſe animadvertimus. Quod autem *Aneuryſma* hoc in *Aorta* Arteria ſubito tunc fieri potuerit, abſque quod nullum unquam illius praevium ſignum apparuiſſet, praeter dictas rationes, ſatis ſuperque evincunt obſervationes, & ratiocinia a Praeſtantiſſimo Lanciſio propoſita. Ea quippe eſt praecipua differentia inter Vitia *Varicoſi* generis atque *Aneuryſmatici* (ut docet Praeclariſſimus Albertinus in Commentar. Bononienſibus) quod illa *inter ſimplices, diuturnas, & graves animi Aegritudines lente* ſuboriantur; iſta vero *poſt ſubitos miſtorum, & vehementium animi pathematum impetus ex tempore quaſi nata comperiantur*.

Mala haec *Aortae* Arteriae inde ſuborta conſtitutio, toties enarratis *ſymptomatibus* anſam praebere plus, minuſve poterat, quoties ſanguinis congruo motui ibidem varia ratione obſtabat; quoties nempe ſanguis ipſe, aut ratione copiae, aut ratione adauctae velocitatis, canalium parietes violentiore incurſu urgeret, atque diſtenderet, propter quod diſciſsae antea Aortae fibrae a ſe invicem recedere violenter coactae, contrahi haud aequo poterant: ea nempe vi, quae urgentis ſanguinis impetui proportione data reſponderet, unde tunc ineptae fere ipſae evaderent ſanguinis ultro promovendo motui. Etenim ut recte ſanguis vaſa quaeque non interrupto, imo ordinato ſucceſſivo motu, pervadat, praeter receptum a Corde impetum (quo partim per lineas axi canalium paralellas pergit, partim per normales, vaſorum tunicas premit, & urget) talis ſpecialiter requiritur vaſorum contraniſus, ut non tantum inflictae ipſis a transfluente ſanguine preſſioni ſine noxa reſiſtant, verum etiam ipſum urgeant, & pellant, ut incoeptum proſequatur motum, eo quidem impetu, qui occurrentibus ubicunque innumeris ſuperandis reſiſtentiis aptus eſſe valeat. Quamobrem, ſi diſciſſae Arteriae tunicae, debiliores inde factae, *oſcillatorios* quidem debiliores, non autem validiores contraniſus exercere poterant: placido quidem ſanguinis ferendo, & promovendo fluxui, non autem concitatiori, & valido diſpoſitae erant. Quaecunque ideo intrinſeca, aut extrinſeca cauſa occurreret (quae copiam aut velocitatem ſanguinis augeret) ejuſdem preſſiones in laeſam Arteriam ipſius concontraniſibus minus

propor-

proportionatas reddebat; ideoque ſanguis ibi turgeſcens, ſubaeſtuans, atque a recepto nuper a Corde motu aliquantulum deflectens, Vaſa ibidem praetermodum diſtendere, maleque afficere ita debebat, ut enarrati ardores doloreſque fierent. Hujuſcemodi ſanguinis ab incoepto curſu aberrationes ſatis indicabat pulſus ipſe, qui, vigente morbo, pari ratione plus, minuſve a naturali rhithmo recedebat, concitatior, atque exilior factus, atque ſaepe inaequalis.

Haec meo judicio potiſſima ratio eſt, propter quam Aegrotus ille poſt primum inſultum, quieſcente a motu Corpore, ac proinde placido magis reddito ſanguinis fluxu, optime ſe habere paulo poſtea viſus fuit. Nec abſimili ratiocinio intelligimus, cur primo quadriennio modo immunis a morbo evaſerit, modo ipſo varia ratione laboraverit. Hujuſcemodi enim morbi viciſſitudines occurrentium cauſarum quarumlibet rationi adamuſſim reſpondebant; dum ab ipſis nempe, aut moles, aut velocitas ſanguinis major reddebatur. Idcirco quo magis imminuebatur perſpiratio Hyemis tempore, magiſve copioſum ſanguini pabulum ex lautiore menſa ſuppeditabatur, eo frequentius, eo gravius hiſce inſultibus tenebatur, quibus Aeſtate, & jejuno Stomacho plerumque carebat. Sic violenti potius Animi Corporiſve motus, qui ſanguinis fluxum concitatiorem efficiunt, ejuſdemque in vaſa impetum validiorem praeſtant, huic morbo anſam facilius ſubitoque praebebant. Moderata autem Corporis Animive quies, ſicuti placido aeque ſanguinis motui ſervando, ita & proſperae ejus valetudini maxime favebat.

Verum cum tractu temporis, ex repetitis validioribus ſanguinis appulſibus, atque preſſionibus, diffractae in Arteria laeſa fibrae non parum occaluerant, ſtricto magis in dies nexu cohaerentes, *oſſeas lamellas* effecerunt, gravioribus frequentioribuſque excitandis *ſymptomatibus* idoneas. Neque mirum ulli videri debet, quod, cum oſſearum ejuſmodi concretionum in *Aneuryſmatibus* geneſim terreis tartareiſque, aut ſalinis tantum congeſtionibus alii tribuant; ego repetitis tantummodo ſanguinis vehementioribus percuſſionibus adſcripſerim. Oſſa enim ipſa in generationis principio membranas molles aemulari, omnes ſentiunt. Hinc *cartilagineae* evadunt, & *lamellas* flexiles conſtruunt, quibus in dies nova *lamellarum* ſtrata ſuperadduntur, quaſi tenuiſſima plana, quae ope fibrillarum obliquarum, & tranſverſalium viciſſim miro ordine uniuntur, quas tot minimorum *claviculorum* vices gerere, Gagliardus merito aſſerit. Quid autem aliud ſonat mira hujuſcemodi tranſmutatio membranarum in Cartilagines, & iſtarum in Oſſa, quam novam materiei glutinoſae additionem (qua praecipue tota ſanguinis maſſa ſcatet) ejuſdemque ſtrictiorem unionem, ab indeſinenti ſanguinis impulſu, & preſſione factam, propter quam minima, & pleraque texentium fibrillarum ſpatiola magna ex parte obliterantur, atque replentur? Hac de cauſa nulla adeſt Animalis cor-

P poris

poris pars, etiam mollior, quae diuturno vitae curriculo durior evadere nequeat, oſſeamque ſoliditatem induere: id quod Autopſia ipſa docet, quae non *oſſeas* tantum ſed & *tartareas lapideaſque* concretiones ubique in Corpore noſtro factas detexit; ita ut Penem ipſum oſſeum prorſus redditum Chriſtianus Paulinus, teſte etiam Bartholino, referat Centuria prima Obſerv. 72., ut alias taceam obſervationes, cum in Hominibus, tum in Brutis factas, quas non vacat hic ſingillatim retexere. Nec alia eſt ratio, cur ob validiores iteratasq; Manuum, Pedumve, aut aliarum partium preſſiones, variae calloſitates emergant: cur Vaſa quamplurima, diu admodum protracta vita, oſſeam induant naturam, aut ſaltem pleraque ſupramodum rigeſcant, atque indurentur. In utroque enim caſu ſtrictiorem componentium fibrarum contactum intelligimus; in primo caſu ab externa comprimente cauſa factum; in ſecundo ab ingeminatis ſanguinis ictibus, qui eo citius hujuſcemodi effectum praeſtant, quo frequentiores, quo validiores evadunt. Quod vero *oſſeae* ſupra deſcriptae *lamellae* in ea *Aortae* parte potius concreſcere debuerint, ubi fibrae diloricatae fuerant: experientia & ratio ipſa teſtantur. Plerumque enim *oſſeae Aneuryſmatum Squammulae*, *ſacci Aneuryſmatici*, ſaepiuſque ejuſdem apicis latera occupant, ubi videlicet, ratione majoris capacitatis, major ſanguinis copia affluit, ibique tum ratione majoris ponderis ejus copiae proportionalis, tum ratione ictus a corde derivati, per *tranſverſales* lineas, & etiam *normales* praeter modum premit, & urget.

Hiſce genitis oſſeis *lamellis*, *irregularis* figurae, ut diximus, acutiſſimoſque referentibus angulos, facile eſt explicare, cur poſt primum quadriennium graviora frequentioraque in dies evaſerint *ſymptomata*. Satis enim erit animadvertere, quod *ſquammulae* majores pleraeque, tametſi in centro ſtricte Arteriae tunicis adhaererent, circumundique in ſua peripheria ab ipſis ſolutae *erant*, ita ut, eum omnes ſibi mutuo per lineam rectam ſuccederent, ſpatiolis interjectis, dum alternatim modo contrahebatur, modo laxabatur Arteria ipſa, nunc viciſſim ſibi appropinquare, nunc a ſe invicem recedere neceſſario deberent, variaque ratione ſpiculis ſuis Arteriarum tunicas ibidem ferirent, juxta ingeminatas magis validioreſq; ejuſdem contractiones. Verum cum vis contractionis in Arteriis, vi ſanguinis eaſdem diſtendenti adamuſſim reſpondeat, eaque, caeteris paribus, creſcat in ratione molis, & velocitatis, qua ſanguis ipſe movetur; illico patet, cur in ſupra recenſitis omnibus circumſtantiis morbus identidem invaluerit, gravioraque attulerit incommoda, ita tamen, ut pari pacto tum Hyeme, tum Aeſtate, tum mane, tum veſperi, varia quidem ratione ab ipſo Aegrotus corriperetur. Quamcumque enim ob cauſam plus aequo turgeſceret ſanguis, ſive ob nimiam copiam, ſive ob rarefactionem, atque ideo celerius moveretur, male jam affecta Arteria magis diſtendebatur, analogas vehementiores contractiones poſtea exercens,

cens, quae, etiamſi non ita validae forent, moleſtam tamen ipſi ſenſationem adferebant, eoquia jacentium ibidem *lamellarum* anguli arterioſas tunicas plus, minus feriebant, proportionatis ſubſequentibus *ſpaſmodicis* contractionibus, quae ad utraſque *Subclavias* inde ortas, propagari facile poterant, non ſine moleſta contiguorum Brachialium Nervorum ſenſatione.

Violentior idcirco Corporis motus, Scalarum aſcenſus, concitatior Ira, Brumales Hyemis rigores, Aquilonares Venti, lautae comeſtiones, caeteris paribus, graviora ipſi adferebant *ſymptomata*, modo ſanguinis velocitatem, modo molem augendo: prout concitatior, inordinatuſque plerumque pulſus in actu inſultus teſtabatur. Utplurimum tamen infortunium hoc ſubibat in lecto noctu decumbens poſt aliquot horas a cibo, & ſomno, a quo inopinato expergiſcebatur: praeſertim ſi liberalius coenaſſet. Hujuſcemodi enim temporis intervallo ingeſta Alimenta in circulationis aream magna ex parte reducuntur, habitaque ratione ejuſdem copiae, ſanguinis molem, & velocitatem adaugent. Praeterea dum ab aſſumptis Alimentis, iiſque intus fermentantibus, Ventriculus, & Inteſtina quoquoverſus diſtenduntur, pari ratione comprimuntur Inteſtinalia quaeque ſanguinea Vaſa, ad quae tendens ſanguis majorem ſolito reſiſtentiam invenit, propter quam, & facilius, & majori in copia ſuperiores alios tubos pervadit, atque plus aequo replet: id quod ſuſcitandis, aut diutius protrahendis incommodis praedictis non parum conducit. Saepe enim in actu inſultuum, erumpentibus per inferiora flatibus, copioſaque Alvi habita excretione, dum utrinque Vaſorum Inteſtinalium compreſſiones ea ratione imminuebantur, non modicum experiebatur levamen; unde aliqui conjectare male ſolebant, quod morbus iſte ab *hypochondriaca* potius, quam alia cauſa penderet, aut ſaltem *flatulenta*. Addendum hic etiam eſt, quod ideo facilius ab hoc morbo vexaretur, dum in lecto decumberet; quia, in horizontali plano jacente Corpore, facilior, & celerior aſcenſus ſanguinis fit per ſuperiora vaſa: quare etiam, vigente morbo, erecta cervice, & corpore, in lecto jacens eo melius ſe habere ſemper compertus fuit.

Addam hiſce omnibus, juxta Sanctorii effatum Aphor. 407., quod *Vectio in curru omnium violentiſſima eſt: non enim ſolum perſpirabile incoctum expirare facit, ſed etiam ſolidas Corporis partes offendit*. Ideo quid mirum, ſi Nobilis ille Vir tunc ſaepius graviuſque inſultibus illis vexabatur, cum Rheda per Urbem veheretur, ac praecipue poſt prandium, ſanguinis prius mole pari ratione adaucta: & rarius mane, jejuno ſtomacho. Siquidem, dum hoc modo vehimur (teſte Clariſſimo Gorter in Commento ejuſdem Aphor.) *vehementiſſime ſuccutitur Corpus, ut magno ſaepe impetu ſanguis aliique humores ferantur in partes firmas, quae, ſi debiliores, non raro diſrumpuntur, & dolent: Hernioſis igitur, Haemophtoicis, Hydropicis, vel*

P 2 *fragi-*

fragilitate partium firmarum laborantibus minime vectio in curru, & equitatio conveniunt. Quanta vis ſit ſuccuſſionis corporis in equitatione, & proinde in vectione in curru, ad velocitatem ſanguinis, ejuſdemque impulſum in Vaſa augendum, ex eo magis ultro patere poteſt, quod inde Vaſorum dilatationes eveniant; ut notat Mangetus in Biblioth. Chirurgica lib. 1. Id accidiſſe narrat Nobili cuidam Viro, *de quo Adolphus Occo, & Achilles Gaſſerus verba faciunt, qui ſuccuſſo violenter ab aſpero Equo Corpore, Aortae Aneuryſmate tentatus fuit, quod primo exterius in Vertebris Dorſi conſpectum, hinc ad Ovi ſtruthiocameli magnitudinem auctum, poſt obitum fuit repertum totam unius lateris Pectoris cavitatem replens, a tergo Vertebris adhaerens, & a fronte coſtis*. Quodſi corporis hujuſcemodi ſuccuſſiones violentae *Aneuryſmata* de novo progignere hoc modo poſſunt, quanto magis infenſae unquam evadent illis, qui dilatatas jam Arterias geſtant, quae ideo tum expandi magis poſſunt, aut ſaltem ab irruente vehementius ſanguine ita diſtendi, ut maxima inde ſuboriantur incommoda, quae eo facilius in caſu noſtro, ob ſpecialem affectae Arteriae diſpoſitionem, eveniebant, & gravius. Videant nunc illi, qui *Hypochondriacam* in ipſo Affectionem accuſando, frequentem equitationem ipſi imperabant, videant, inquam, num prodeſſe magis, aut nocere potiore jure ipſi poſſet! Ex tali enim Corporis concuſſione, dum proinde ſanguinis velocitas ſummopere augeri creſcere, proportionato impetu in laeſam Arteriam, ſquammulaſque incurrebat ſanguis, analogam ibidem excitando contractionem, quae morbum augere magis, magiſque valebat.

Hiſce omnibus rite perpenſis, atque explicatis, facile cuique evadet congruam inde *ſymptomatum* aliorum rationem proponere, & praecipue irrequieti ſomni, & raro placidi, noctu ipſi occurrentis. Etenim, *ut ſomnus fiat placidus, aequabilis requiritur per omnia vaſa motus ſanguinis nulla irritatione perturbatus*: docente Gorter Aphor. 315. Quod aequabilis in ipſo utplurimum non fieret ſanguinis motus per omnia vaſa, ſatis ſuperque indicabat pulſus ſaepiſſime concitatus, etiam extra conſuetos inſultus, quamvis nulla peculiaris ex dictis vigeret cauſa, quae ſanguinis velocitatem, aut aeſtum quoquo modo augeret. Recenſita namque *Aortae* laeſio, ſicuti congruas ejus contractiones, aliquomodo ſaltem, ſemper impediebat; ita raro aequabilis placiduſque per alia vaſa motus ſequebatur, multoque minus noctu poſt coenam, quae quo liberalior fuerat, eo potiore jure irrequietum magis reddebat ſomnum, ut diximus.

Anteaquam autem ad alia tranſeamus, operae pretium fore exiſtimo, ſi praecipuas ex praemiſſis huc adducam rationes, quae ſatiſfacere illis poſſint, qui morbum hunc a *convulſivo* principio derivantes, haud ſatis intelligere videbantur, qui fieret, ut, ſi *organica* ejuſdem ſtatu-

enda

enda fuiſſet cauſa, haec modo graviora, modo leviora, & plerumque nulla excitaret *ſymptomata*, iiſdemque diuturno aliquando tempore Nobilis Aegrotus careret: cum hoc, *convulſionum* identidem varia ratione recurrentium poſita Hypotheſi, ſtatim obvium eſſet: maximeque cum opiatis remediis ſaepiſſime morbus auſcultaret.

Porro hoc non tam arduum explicatu, ſicuti aliis, viſum mihi unquam fuit; quippe qui ex praxi ipſa ſatis didiceram, quamplurimos paſſim occurrere *organicos* morbos, qui, juxta Anni temporum conſtitutiones, atque varias victus normas, aliaſve extrinſecas cauſas, modo magis, modo minus ſaeviunt, atque nonnunquam fere nulli apparent, etſi eadem ſemper, & ſtabilis vigeat eorundem cauſa: prout videre eſt in Phthyſicis, Aſthmaticis, aliiſque caeteris, qui ab inaequalitate ſumma pulſus ſemper permanente, aut in corde, aut prope Cor *organicam* ſe habere laeſionem ſatis oſtendunt. Verum, ut ad propoſitum noſtrum redeamus, animadvertendum hic denuo eſt cum Praeclariſſimo Boerrhaavio Aphor. de Cur. Morb. n. 100., quod *Auctus motus cruoris per vaſa efficit majorem vim pulſi cruoris in vaſa excipientia, & majorem renixum vaſorum in cruorem*: idque nos quoque ex dictis innuimus. Si itaque vis reniſus vaſorum contractilium, vi ſanguinis ipſa impellenti diſtendentique pariformiter reſpondet; quotieſcunque ſanguis quavis ratione, ut diximus, vehementius urgere vaſa, atque praeſertim laeſam Arteriam potuit, ipſa eadem proportione contracta, *ſquammularum* acumina non abſimili impetu ejuſdem tunicas feriendo, graves excitaverunt inſultus: analogis comitantibus *ſymptomatibus*. Secus vero, dum placidus eſſet ſanguinis motus, & proinde minor ejuſdem impetus, dilatandis leniter tantummodo vaſis, non iiſdem violentius urgendis, aptus evaderet. Tunc enim *ſquammulae*, aut nihil movebantur, aut ſaltem tam modica vi, quae ipſis in tunicas vaſorum adigendis haudquaquam ſufficeret. Diuturniora ideo, & breviora morbi intervalla, graveſque magis, aut leviores ejuſdem acceſſus, ſanguinis peculiares diſpoſitiones, atque motus praecipue ſequebantur; habita nempe ratione variarum Aeris conſtitutionum, ſpecialiſque ipſius in ſex rebus non naturalibus regiminis. Quamobrem, dum a contumacia, & vehementia morbi perterrefactus, congruam victus normam ſervare conſuevit: diutius proſpera valetudine uſus eſt, levioribus tantum aliquando *ſymptomatibus* detentus. Contra vero, dum, ſpreto morbo, meracioribus vinis, lautioribuſve conviviis indulſit: eo pejus ſe habuit, ſaepiuſque aegrotavit.

Quodſi optima victus norma, Aeris laudabilis temperies, atque aeſtas maxime, laxando fibras, magiſque copioſam perſpirationem promovendo, morbum diutius avertere poterant, quia placidum magis ſanguinis motum ſervabant: pari ratione praeſentem compeſcebant morbum, illa omnia, quae aut ſanguinis copiam imminuere, aut aeſtus nimios

refraenare, aut contractas fibras laxare apta erant. Optimo idcirco conſilio admonet Praeclariſſimus Michelottus in praecitata Diſſertatione, ad opium tunc confugere ſatius eſſe; cum illud nimium ſanguinis motum ſufflaminare, aeſtuſque ſedare, perſpirationem promovendo, & fibras laxando, mirifice valeat. Ait enim ſic: *doloribus vero magnopere, quod in pleriſque Aortae, & ſubclaviarum Arteriarum magnis expanſionibus intervenire obſervavi, urgentibus, Remedia quoque opium recipientia, diſſentientes animalium ſpirituum, nerveorumque filorum motus componentia praeſcribenda.*

Non ideo merito ad *convulſionum* ſimplex principium Morbus iſte reducendus erat, quia ipſe per intervalla tantummodo ſaeviebat, atque opiatis remediis aliquando ſolvebatur; niſi improprio tantum modo violentas illas *Aortae*, & *Subclaviarum* Arteriarum contractiones, Nervorumque ibidem ſubſequentes compreſſiones, ad *convulſionum* claſſem reducere velimus: dum illae caeteroquin non a Nervorum *ſpaſmodicis* motibus (a quibus *convulſivae* quaeque aegritudines ſive mediate, ſive immediate dependent) ſed ab *Aortae* Arteriae ſuperioris ſtimulo, validioreque contractione originem ſortiebantur. Idcirco opium multoties huic morbo utile evaſit, non quia Nervorum *ſpaſmodicos* motus compeſceret (qui nulli proprie erant) verum quia contractiles Cordis Arteriarumque fibras laxabat, ita ut debilius contraherentur, nec ſanguinis concitatiorem motum promoverent, a quo unice inſultus hoſce ſubortos ſemper fuiſſe ſtatuimus.

Quapropter nulla ratione ardores illi, & dolores ad *convulſivorum* claſſem reduci unquam poterant, neque ad *Rheumaticos* referendi erant, cum a praedicta tantum *Aortae* Arteriae laeſione originem ducerent. Profecto *ſymptomata* haec facile minus cautos fallunt Medicos, maxime in *Aneuryſmatum* principiis, quando vagantes occurrunt dolores, *Rheumaticos* ſimulantes. Hoſce enim, *prima plerumque Aneuryſmatum, vel ad Aortae curvaturam, vel in ſubclaviarum, vertebralium, carotidumque Arteriarum, immiſſariis innaſcentium rudimenta, alia quoque ratione, a viribus ſcilicet quibuſcumque arterioſarum tunicarum fibras, ſive impellendo, ſive premendo, ſive pulſando, ſive contendendo valide diſtrahentibus ſaepe produci* contendit praelaudatus Michelottus in eadem Diſſertatione pag. 442. ad *Rheumaticorum* affectuum ſpeciem rite diſtinguendam.

Quod autem maximum ab emiſſione ſanguinis levamen Aegrotus noſter obtinere poſſet, ex dictis etiam potiore jure evincitur. Cuique enim notum eſt, nullum praeſtantius, nullum efficacius remedium, quam hoc, ad contracta nimis laxanda ſolida uſurpari poſſe: quod ideo caſui noſtro conveniens omni jure erat. Inſuper ſanguinis copiam imminuendo eo magis utile evadebat; quia imminuta ſic totius ſanguineae maſſae moles vaſa quaeque, ac proinde laeſam Arteriam minus premere, atque diſtendere poterat. Hoc vero ipſi Naturae conſentaneum ultro videba-

videbatur: cum ipſa ſaepe ſaepius per *Haemorrhoidales* venas ſanguinis identidem fluxum promoveret, & quidem utiliter.

Quod ſi congruae ſanguinis emiſſiones quandoque celebratae, nec non attemperantia, laxantia, & opiata remedia morbum hunc refraenare poterant, ideoque ſummam merebantur laudem; quid nam de incidentibus, volatilibus, excalefacientibus, aliiſque hujuſce indolis medicamentis dicendum erit, quibus, neſcio quo conſilio ductus, ad ſuppoſitas ſolvendas *obſtructiones*, Imique Ventris infarctus evincendos, uti multoties conſuevit? Porro hujuſcemodi Pharmaca in Arteriarum hiſce vitiis ab omnibus merito damnantur, utpote quae ſanguinem nimis attenuant, atque diſſolvunt, ejuſdemque velocitatem, & aeſtum augendo, pejoribus excitandis *ſymptomatibus* anſam praebent. *Mercurialia* vero, ad quae, me renuente, aliquando confugiebat, eo magis infenſa ipſi fuiſſe certe crediderim. Satis enim eſt, ſi cordatiorum Medicorum unanimi conſenſu dixerim, *Hydrargirum Aneuryſmata* non tantum augere, verum etiam de novo procreare poſſe; cujus rationem adfert Clariſſimus Lanciſius in aureo ſuo libro de *Aneuryſmatibus* prop. 34., ubi ſic ait: *Omnis autem Hydrargiri vis in excitandis Aneuryſmatibus repoſita eſt in momento impetus, quo lympha, & ſanguis attenuati quaquaverſum urgentur, ac debacchantur, qui quidem liquores, quoniam admiſtione ſalium acidorum, intra Aegrum Corpus erodentes evadunt, facile poſſunt cunei inſtar Vaſa implere, ac diſtendere.* Quod ſi acidorum hujuſmodi ſalium exiſtentiam negare velimus, ex legibus motus tantum, praedicti *Phoenomeni* ratio peti poterit, cum laudato toties Michelotto. Etenim *a mercurii ſatis uberi copia ingeſti maſſulis magnum pondus in parvo latens volumine continentibus, naturali, ordinariaque alioquin Cordis virtute, in harum ipſarum Arteriarum intimos parietes impulſis, aliquando nullis intervenientibus acidorum ſalium cuneis, eo diſtenſionis redigi non poſſe, ut tandem dehiſcant, plane atque omnino nego* cum eodem Auctore. Aſt ad alia tranſeamus.

Cum nimia ſanguinis copia, ejuſdemque immoderatus aeſtus quavis ratione factus, graviora ipſi ſemper incommoda adferret: quo magis imminuebatur perſpiratio, eo pejus ſe habebat. Quamobrem anno 1738. Hyemis tempore, cum crudelius ſaeviret Bruma, frequentius graviuſque morbus ipſum detinuit. Diuturni autem maxime tunc erant acceſſus, a quibus ſanguinis motus ita pervertebatur, ut, ipſo hac de Cauſa in Pulmonaribus Vaſis, & circa Cor praeter modum turgeſcente, maximam diuturnamque ſpirandi difficultatem paſſus fuerit. Ob *dyſpnoticos* autem hoſce, diuque nimis protractos inſultus, ſanguinis velocitas tunc ita decrevit, praeſertim in extremis partibus (ubi ea imminuitur magis, caeteris paribus, in ratione diſtantiarum a Corde) ut, ſecedente ibidem ſeroſa ſanguinis parte a reliqua maſſa, eaque extra aream, ut ajunt, circulationis projecta, *Oedematoſi* tumores ſuccreverint, qui *conſecutivi*, ut

dicimus, *Hydropis* patentes notas proferebant. Jamque ad Agonem properare ideo videbatur, & profecto tunc mortuus eſſet, niſi per urinarias vias, & per Alvum idonea excitata criſi, ab exuberante fluidorum pondere Natura ſponte ſua ſeſe liberaſſet: non parum ad id conferentibus ſanguinis emiſſionibus, & opiatis remediis, diureticiſque, ipſi data opera a me praeſcriptis, ut tum copiam ſanguinis imminuerem, tum nimios ejuſdem aeſtus fervoreſque ſedarem.

Hinc propriis periculis diſcens, congruum magis victus regimen poſtea ſervavit, ab illis omnibus rebus ſedulo cavens, quae motum ſanguinis, aut aeſtus, copiamve augere poſſent: prout ipſi ſemper imperaveram. Ideo ſequentibus tribus Annis minus incommodam duxit vitam, a conſuetis *dyſpnoticis* inſultibus rarius leviuſque detentus: id quod ex dictis rationi ipſi conforme maxime fuiſſe nemo inficiabitur: ac praeſertim quia tunc temporis frequentius copioſiuſque *Haemorrhoidalibus* ſanguinis fluxibus obnoxius erat.

Verum licet, ob dictas cauſas, conſuetis inſultibus tunc rarius laboraret, non ita florido, ut antea, colore gaudebat, totumque Corpus ad maciem vergere non parum in dies comperiebatur. Non abs re enim eſt conjectari, *oſſeas* ſupra enarratas *ſquammulas* mole, & numero, tractu temporis adauctas fuiſſe, propter quod circulanti ſanguini non modicum impedimentum fiebat: etiam ſi moderato ipſe motu veheretur, multoque magis dum ſanguis praetermodum turgeſcens, concitatioreque motu progrediens, in *Aortae* adauctas *ſquammulas* vehementiore vi impetum faceret. Hinc enim dum ſanguinis congruus motus in dies pervertebatur, ac plerumque perturbatus evadebat, pari ratione minimarum ejuſdem molecularum attritio, chyli neceſſaria commixtio, humorumque ſecretio, aeque minus fiebant; unde Corpus univerſum male nutriebatur, juxta pravam totius ſanguineae maſſae diatheſim, in detracto ſanguine tunc ſaepe admodum conſpicuam. Ipſe enim frigefactus, atque in vaſe concreſcens ichoroſam in ſuperficie cruſtam adferebat, plerumque flavovirentem ſeroſum laticem magna in copia ſecernens.

Hiſce omnibus exaratis reſtat nunc ut poſteriorum graviſſimorum inſultuum, & repentinae mortis rationem perquiramus. Cuipiam enim difficile captu videri forſan poterit, quod recenſita haec *Aortae* dilatatio, plurimaeque inventae ibidem *oſſeae* illae *ſquammulae* tam grave infortunium adferre ipſi potuerint; maxime quia *Aneuryſma* parvae potius molis fuit, *oſſeaeque* concretiones frequenter inveniuntur, imo Vaſa ipſa oſſea prorſus fiunt paſſim, abſque quod tam vehementes, atque exitiales aegritudines producant. Ego vero, attentis omnibus ſupra deſcriptis circumſtantiis in Cadavere ipſo detectis, certo certius ſtatuere autumo, *Aneuryſma* hoc tam frequentes, tam graves inſultus,

& mor-

& mortem ipſam inopinato attuliſſe, quia parvae molis erat, atque Arterioſum laeſum Vas non omnimode *oſſeum*, ſed inordinatis tantum illis pungentibus *lamellis oſſeis*, in lineam rectam ſibi mutuo ſuccedentibus, ſtipatum fuerat. Siquidem, cum in caeteris ſanum omnimode Corpus repertum ſit, aliaeque praeſertim ſpiritales partes, tum & Abdominis Viſcera a naturali ſtatu nihil prorſus receſſiſſent; non aliunde merito iſtorum inſultuum, atque inopinati interitus cauſa petenda erat; niſi quid chimaericum ſupponere perperam quiſpiam vellet. Verum, hiſce omiſſis, Clariorum Virorum ſententiis innixi, atque experientia ipſa ſatis muniti, ad rationes tandem properemus.

Ut ſanguis momento ex materiae quantitate, & quadrato velocitatis, compoſito in vaſa eum continentia continenter agit; ita haec & certo ſoliditatis robore reſiſtente in certa quadam proportione, & certa elaſticitatis, quin imo & determinata carnearum fibrarum vi ſuperaddita in prementem ſanguinem ad eum reflectendum, comprimendum, ſeu verius propellendum, jugiter, & aeque retroagunt. Ita docet praelaudatus Michelottus in eadem Diſſertatione. Si itaque mutua haec ſanguinis a Corde propulſi actio ad diſtendendas Arterias, iſtarumque proportionata ejuſmodi reactio neceſſaria eſt, ad motum ſanguinis aequabiliter, & quaquaverſus continuandum: praeter optimam Cordis fabricam, congrua quoque requiritur Arteriarum conſtitutio. Quamobrem neque laxa nimis, neque praetermodum denſa, rigidaque Arteriarum textura huic muneri ſatisfacere laudabiliter poterit. Utrinque enim minor aequo, ac proinde incongrua eveniet reactio Arteriarum in ſanguinem, quam ſit ejuſdem vis ad eaſdem dilatandas urgendaſque. Nam ſi laxae plus aequo ſint Arterioſarum tunicarum fibrillae, non ſolum minus elaſticae, quam oporteat, fient, verum etiam ſanguinis impulſui parum reſiſtentes: unde & diſjungi, & lacerari facile poterunt. Si autem nimis rigidae ſint, & durae, magis quidem, eadem proportione, irruenti in eas ſanguini reſiſtent: aſt congrua proinde flexilitatis elaſticitatiſque potentia carendo, minus in ſanguinem impellentem reagere comperientur, & minus quidem, quam ejuſdem a Corde receptus impetus expetat: id quod idoneo ſanguinis continuando motui, & praeſertim ejuſdem aequabilitati ſummopere obſtabit.

Nunc, ut ad propoſitum noſtrum redeamus, non immerito conjectare nobis licet, *ſquammulas* illas *oſſeas* in *Aorta* Arteria progenitas, tractu temporis, & mole, & numero adauctas fuiſſe. Rationi namque conforme haudquaquam foret, putare, eas toto morbi decurſu eamdem latitudinem craſſitiemque ſervaſſe, quam in diſſectione Cadaveris obſervavimus; cum ipſae quoque, ſicuti, & aliae partes, congruum ſemper nutrimentum indeſinenter obtinerent; non ſecus, ac in *callоſitatibus* externis evenit, quae, juxta Anni temporum viciſſitudines, adinſtar vegetabilium,

nutriuntur

nutriuntur magis, minuſve, & creſcunt. Poſito ideo, quod poſterioribus annis, ac praeſertim ſub morbi finem, *oſſeae* illae *lamellae* majores quam antea evaſiſſent, ſibique proximae magis, & contiguae forent; rigidam magis, quam antea Arteriam reddebant, minuſque elaſticam, praecipue in poſteriore ejus parte, ubi illae, in linea recta diſpoſitae, pro mole ſua, impediebant, quo minus, in actu contractionis, ejuſdem parietes ad ſe mutuo accedere congruo modo poſſent. Tunc ergo ibidem nec ſatis validae, nec ſatis expeditae, nec totales hac de cauſa evadentes *Aortae* contractiones, ſanguinis quidem moderatis impulſibus reſpondere quoquo modo poterant, non autem violentioribus concitatioribuſque; unde in primo caſu nullam prorſus, aut vix modicam tantum Aegroto moleſtiam adferebat morbus: in ſecundo autem gravioribus diuturnioribuſque *ſymptomatibus* ipſum extorquebat: prout ex dictis etiam ſatis ſuperque conſtat. Nec tantum ob incongruam hanc *Aortae* tunicarum, *oſſeis* illis *lamellis* grandioribus factis ſtipatarum, reactionem in ſanguinem, frequentiora gravioraque fiebant poſtea *ſymptomata*; quia ſanguinis motus ibidem, ut innuimus, non parum praepediebatur, ipſeque ibidem pariformiter turgeſcebat; ſed etiam quia *lamellarum* earundem anguli forſan multiplicati, & acutiores redditi, eo validius tunicas *Aortae*, in memoratis circumſtantiis, urgebant pungebantque.

Si ideo quo major, caeteris paribus erat ſanguinis velocitas, & proinde major impulſus in laeſam Arteriam, eo magis ejuſdem tunicarum reactionis vim ſuperabat, magiſque validae iteratаeque erant *oſſeorum* angulorum punctiones: quis non videt, quod a mediocri hac Arteriae dilatatione jure meritoque pejora evenire debebant incommoda, quam ſi longe magis amplum nacta fuiſſet ſpatium? Cuique enim notum eſt, quod fluida quaeque, ſi ab anguſto in latiorem tubum traducantur, non parum priſtinae velocitatis amittunt, ratione habita ad auctam magis, minuſve ejuſdem tubi capacitatem. Porro hoc etiam de motu ſanguinis per vaſa quaeque verum comperiri, ſatis conſtat. Merito ideo ſtatuendum eſt, quod ſi *Aneuryſma* hoc multo magis amplum evaſiſſet, nec tam gravia, nec tam frequentia, atque diuturna incommoda, aliis poſitis circumſtantiis, adferre potuiſſet. Ponamus enim quod repertum *Aneuryſma* quadruplo majorem amplitudinem obtineret, eaedemque concreviſſent ibidem *oſſeae lamellae*; Profecto in tali hypotheſi, eadem data vi Cordis impellente, quadruplo minor circiter, quam in noſtro caſu, fuiſſet ibidem ſanguinis velocitas, & proinde quadruplo minor ſanguinis impulſus in Arteriam laeſam, cujus ideo vis contrahens, licet minor, ob dictam *ſquammularum* diſpoſitionem, imminutae ſanguinis velocitati magis analoga fuiſſet, utpote ipſi potiore ratione reſpondens. Inſuper, cum quadruplo minor, ut ſuppoſuimus, eſſet ſanguinis velocitas, minor pariformiter eſſet vis ejuſdem impellens in *ſquammulas*, minorque

earundem

earundem preſſio, & minor proinde tunicarum Arteriae laeſio ab ipſarum angulis contingere potuiſſet: quod idem prorſus eſt, ac *ſymptomatum* praedictorum minorem frequentiam, minoremque vehementiam explicare, prout ex praedictis neceſſario conſequitur;

Haec autem non ratione tantum, ſed experientia etiam evincuntur. Satis enim hoc plurimae teſtantur obſervationes grandiorum admodum *Aneuryſmatum* in *Aorta* genitorum, a quibus neque tam frequentia, neque tam dira ſuboriebantur *ſymptomata*; prout etiam ex alia huic adnexa obſervatione magis patere conſtat. Etenim ſtrenuus ille Miles, tametſi maximum *Aortae Aneuryſma* geſtaret, parvis tamen *ſquammulis*, & paucis ſtipatum, perquam raro Pectoris dolores patiebatur, & ardores, qui fere nunquam ad Brachia tendebant. Ideo ſatis proſpera, etſi incommoda valetudine diu frui potuit, ſuiſque militaribus incumbere muneribus, quamvis peſſimae vigerent Aeris conſtitutiones, nec congruum omnino victus regimen ſervaret. Hinc, niſi, pro munere ſuo, vehementer nimium clamaſſet, Milites ſuos obcrepando, diu admodum vitam traducere quoquo modo potuiſſet. Secus vero Aegrotus alter, de quo nunc agimus, frequentibus moleſtiſſimiſque inſultibus debilitatus (licet commodam ſatis traduceret vitam, minuſque quam Miles ille temporum injuriis obnoxius eſſet, atque in victu, & caeteris laudabiliorem ſervaret normam) poſt diuturnos illos, atque violentiores *dyſpnoticos* inſultus, ſupremum obire diem inopinato, & miſere coactus fuit.

Verum non abs re erit aliqua huc ex dictis traducere, quae noviſſimorum graviorum hujuſmodi inſultuum, ſubſecutaeque paulo poſtea inopinatae mortis veriſimilem magis rationem patefaciant; quae certe non adeo perſpicua cuipiam evadet, utpote quae nec ab ulla ſanguinis effuſione, nec a *Polypoſo* corpore vaſa affatim occludente (quod nullum erat) nec ab alia obvia, & conſueta cauſa petenda merito ſit.

Supponendum iterum ex dictis eſt, diuturniore temporis curriculo *oſſeas ſquammulas* illas in *Aorta* adauctas magis fuiſſe, ita ut *oſcillatorios* ibidem completos motus magis, quam antea praepedirent, pro ut oculis ipſis in Cadavere animadvertimus. Hanc ideo ob cauſam propulſus a Corde ſanguis incoeptum curſum minore impetu continuabat, cui etiam non modicam adferebat reſiſtentiam aſpera admodum, & inaequalis ejuſdem Arteriae ſuperficies a praedictis *lamellis* conſtituta. Retardatum ſic quammaxime ſanguinis curſum, paucis ante ipſius obitum diebus, pulſus ipſe mihi ſatis indicabat, tum & Corporis vires, quae debiliores evaſerant, tum, & faciei magis pallidus color. Hiſce omnibus addenda Auſtrini Coeli tempeſtas, & ſaepe pluvioſa, quae Januario praeſertim menſe dominari utplurimum conſuevit.

ſuevit. Hac enim nulla aptior eſt ad laxanda undique Animalium Corporum ſolida, eorundemque *oſcillatorios* motus debiliores reddendos, tum etiam ad imminuendam perſpirationem. Hinc merito ab Hippocrate ipſo 3. Aphor. n. 5. dicuntur *Auſtri auditum hebetantes*, *caliginoſi*, *Caput gravantes*, *& pigri*, qui, ut ſubdit n. 17. *Oculis atque Corporibus difficilem motum praeſtant*. Quamobrem, dum perſpiratione hac de cauſa imminuta, totius ſanguineae maſſae moles adaucta fuerat, congrua ſervata proportione, eo validiores Cordis, & Arteriarum contractiones neceſsariae erant, ad fluxum ſanguinis indeſinenter debitoque congruo impetu continuandum: Id quod obtineri haudquaquam poterat, tum quia ſolida quoquoverſus magis laxa, minuſque elaſtica ob Auſtrinam conſtitutionem evaſerant, tum quia mala *Aortae* laeſae conſtitutio huic praetermodum, ut diximus, obſtabat. Tunc ideo, dum quamplurimis aliis, qui *organicas* varias laeſiones circa Cor, aut Pulmones a diuturno tempore geſtabant, gravia Pectoris *ſymptomata* cum difficultate reſpirandi in hac Aeris Auſtrina conſtitutione eveniſse obſervavimus; Quid mirum, quod Aegrotus noſter prae caeteris gravius ſubierit infortunium, praepedito nempe, aut ſaltem debili admodum reddito ſanguinis curſu? Hinc diuturni illi graviſſimique inſultus ſuborti ſunt; eo quia ſanguis debiliori impetu a Corde jactatus, a male affecta Arteria, laxatiſque undique fibris, minus aequo urgebatur, unde in vaſis, fere dixerim, conſiſtens, ac ſibi ipſi repagulum prae craſſitie parans, ſubaeſtuare debebat, vaſorumque latera diutius diſtenta detinere. Cum hoc autem tum in laeſa Arteria, tum in Pulmonaribus vaſis, atque *ſubclaviis* eveniret, caeteraque vaſa ſollicito ſanguinis impulſu carerent, Facies livido diuturnoque pallore perfundi tunc viſa eſt extremaeque omnes frigeſcebant partes, ſpiritum ſummo cum labore ducebat, tamque magnum in Pectore dolorem patiebatur, ut ibidem partes omnes vehementer ſibi diſtendi, ac fere dilacerari diceret, pulſu parvo admodum, & inaequali reddito, juxta inordinatas languidaſque Cordis palpitationes tunc occurrentes. Quouſque tamen vis Cordis contractilis Arteriarumque talis ſaltem evaſit, ut, tametſi debilis admodum, occurrentium undique reſiſtentiarum obicem aliquo modo ſuperaverit, per biduum vitam miſere traduxit: illa vero, ob iteratos longioreſque inſultus propemodum debilitata, ſanguinis ubicunque motus inopinato evanuit, qui *ſemel ita impeditus a tota vi Cordis non iterum poterat renovari*, ut monet Praeſtantiſs. Jacobus Keilius tentamine 3. unde repentina morte peremptus fuit.

Cum variae, maximeque inter ſe diſcrepantes, ut diximus, ſententiae, circa hujuſce morbi ideam, & cauſas, ab aliis Medicis emanaſſent, dum Nobilis ille Vir adhuc inter vivos erat; Poſt ipſius interitum etiam non defuerunt aliqui, qui, licet praevia Cadaveris diſsectione, a praeconcep-

ta *convulſionum* opinione recedere haudquaquam voluerunt, putantes nempe, inopinatam hanc mortem ab *organica* detecta laeſione derivari merito non poſſe. Porro, ut hiſce reſpondeam, ſatis ea eſſe poſſe arbitror, quae uſque nunc, de hujuſce morbi origine, progreſſu, *ſymptomatumque* praecipuorum ratione fuſius differens, propoſui. Nihilotamenſecius non incongruum erit alia ultro hic ſubjicere, quae rem hanc in propatulo magis ponere, praehabitaque ratiocinia confirmare melius valeant.

Si ab enarrata *Aortae* laeſione improviſae iſtius mortis immediatam cauſam petere quiſpiam renuat, aliud aſſignare debet principium, quod utique mihi ignotum ſemper erit; cum ſpecialis nulla alia apparuerit laeſio, a qua congruam hanc cauſam deducere merito liceat; dum caeteroquin omnia, quae toto hujuſce morbi curriculo, atque paulo ante ipſius obitum, evenerunt *ſymptomata*, eumdem violenta *ſyncope* peremptum fuiſſe manifeſte oſtendant. Morbi namque illi, qui Homines inopinato occidunt, juxta Clariſſimi Lanciſii monitum lib. 1. de mort. ſubit. cap. 13., ad triplicem tantum reducuntur claſſem: ſcilicet *ad ſuffocationem*, *ad ſyncopem*, *vel ad Apoplexiam*. Aliquando tamen ex hiſce tribus omnibus ſimul complicatis omnium maximus fit morbus, quem *ſyderationem* cum Hippocrate idem Auctor appellat, de Repent. Mort. Obſerv. 4. n. 10.

Profecto, Nobilem hunc ex *ſyderatione* hac denatum fuiſſe nemo unquam audebit aſſerere, cum praecipua non praeceſſerint ſigna, quae triplicem illam affectionem, ex Lanciſii mente indicaverint; niſi cum eodem ſtatuere quiſpiam vellet, quod illius cauſa *non ſemper in Cerebro quaerenda eſt. Nam aliquando in Vaſis, aut Cavitatibus Cordis obſtructis, compreſſis, atque convulſis, intercepto cruore, delitеſcit*.

Videamus itaque num *ob ſuffocationem* ſimplicem, num ob *Apoplexiam* ipſum derepente occubuiſſe, veriſimilius judicare quiſpiam poſſit: dum ego ex dictis genuinae *ſyncopis* ideam certo certius deduxi. *Suffocationis*, aut *praefocationis* nomine, cum praelaudato Lanciſio lib. 1. de Mort. ſubit. cap. 12. n. 2. vehementiſſimos illos morbos intelligo, *qui ex aeris vitiis, aut laeſionibus inſtrumentorum, reſpirationi inſervientium, producti, confeſtim interficiunt*: de quo nil prorſus ſuſpicandum erat, cum nec tam prava adeſſet tunc Aeris conditio, nec ulla in inſtrumentis reſpirationis laeſio apparuiſſet.

Qui praeconceptam *convulſionum* ſimplicem ideam, abſque ulla *organicae* laeſionis ſuppoſitione, mordicus tueri ſemper conſueverunt, *ſyncopem* negando, ex *Apoplectico* inſultu ipſum denatum fuiſſe forſan putabunt. Verum, cum duplex *Apoplexiae* ſpecies a Clarioribus Medicis omnibus admittatur; una nempe, quae a Capite immediate procedit, altera quae a Corde ipſo, aut ab adnexis majoribus Vaſis quo-

modo-

modocunque male affectis originem habet: videndum eſt, num ad primam, aut ad ſecundam hanc ſpeciem inopinati hujuſce interitus idea reduci aliquo modo poſſit.

Primam porro ſpeciem nemo ſanae mentis unquam inculpabit, cum ſpecialia nunquam praeiverint ſigna ipſam merito indicantia; qualia utique illa ſunt, quae idem Lanciſius lib. 1. de Subitaneis mort. cap. 20. n. 6. recenſet. Nempe *dolor*, *gravitas*, *atque imbecillitas Capitis*, *memoriae jactura*, *in ſomnum proclivitas*, *vertigo*, *coecitas*, *membrorum torpor*, *& prae omnibus*, *leves*, *quae anteiverint*, *Apoplexiae*, aliaque ejuſdem cenſus, quae a Practicis paſſim proponuntur. Ex hiſce vero praevium nullum unquam tranſacto decennio ſignum apparuit; niſi Brachiorum torporem aliquem indicare hic opus ſit, qui ſtatim plerumque ſolvebatur, in actu inſultuum aliquando occurrens. Torpores autem illi, qui praedictam *Apoplexiam* anteire ſolent, non in Brachiis tantum, ſed etiam in aliis partibus ſentiuntur, diuque perdurare utplurimum obſervantur.

Si vero ad alteram *Apoplexiae* ſpeciem inopinatus interitus iſte reducendus per alios ſit: lis erit tunc ſolummodo de nomine. Hujuſcemodi namque *Apoplexia* (aſſerente eodem Lanciſio de Mortibus Rep. Obſerv. 3. in Schol. n. 2.) ſupponit *interclusam penitus circulationem ſanguinis in Praecordiis*, *& Cerebro*, *quam magnus Hippocrates ſub genere fortis Apoplexiae comprehenſam quoque voluit*, *ut optime philoſophatur Egregius ille Hippocraticae Doctrinae aſſertor Martianus*, *ubi oſtendit*, *aliquando Apoplexiam fieri interceptis Vaſis in Thorace*; *quia ſcilicet animadvertit*, *iis in partibus maxime apparere effectus interclusionis*, *difficultatem ſcilicet reſpirationis*, *& anguſtiam*. *Hinc alias citatus eruditiſſimus Fracaſſatus Apoplexiam*, *impedito motu ſanguinis in Pectore*, *ſaepius per Anatomen detexit*. Eadem eſt opinio quamplurium Clariſſimorum Virorum; videlicet Lucae Tozzi cap. de Apoplexia: Laurentii Bellini de Morb. Capitis; ut alios taceam.

Hinc errant ſaepiſſime illi, qui quotieſcunque in Cadaveribus denatorum ex repentina morte Cerebrum ſeroſo latice plus aequo ſcatere inveniunt, illos *Apoplexia*, ob Cerebri oppreſſionem, extinctos inopinato fuiſſe ſtatuunt, licet potiſſima mortis cauſa in Thorace delituerit. Siquidem, ut docet ibidem Lanciſius, dum, ob *organicam* laeſionem in Pectore latentem, intercipitur extemplo ſanguinis motus circa *Praecordiorum* Vaſa, ac proinde circa univerſas Corporis partes, *Lymphatica* quoque Vaſa, reſidente quoquoverſus ſanguine, deſiliunt, atque ubicunque ſeroſum laticem magna in copia citiſſimeque ſecernunt, qui ideo, dum circa Cerebrum quoque effunditur, plerumque non pro cauſa, ſed pro effectu praegreſſi inſultus habendus eſt.

Quod *Apoplexiae* hujuſcemodi fortes (quae ideo *ſyncopales*, aut *cardiacae* dici merentur) abſque primaria Cerebri laeſione, ab *organicis* Cordis,

dis, adnexorumque ipſi majorum Vaſorum vitiis originem immediate obtineant, praeter dicta, ex eo magis patet: quod ut plurimum illi, qui *Apoplecticis* hiſce inſultibus praehenduntur, diuturno antea tempore inaequalem, aut quacunque alia ratione inordinatum pulſum habuerint, nec raro cum *anhelosis* inſultibus identidem occurrentibus. Interceptionis autem ſubitae ſanguinis cauſam in caſu noſtro, quiſque ex dictis deducet.

Haec vero adjungenda hic erant, ut cuique pateret, quonam vere morbo ipſum occubuiſſe putaveram; dum varii varia de hoc loquebantur. Nec defuerunt aliqui, qui repertam a me Arteriae dilatationem (cum parva eſſet, ut diximus) prorſus negaverint. Iſti porro haud levem mihi injuriam praeſtant, dum ſic effantur; ac ſi ego poſt centena diſſecta Cadavera, naturalem *Aortae* capacitatem ab ejuſdem licet modica dilatatione diſtinguere nondum ſatis didicerim. Idcirco nihil prorſus ipſis reponendum eſſet. Etenim, tametſi recenſitum hoc parvum *Aneuryſma* nullum etiam prorſus fuiſſet, a ſolis concretionibus dictis *oſſeis* praefato modo configuratis, & diſpoſitis in *Aorta* quorumcunque *ſymptomatum*, & mortis etiam genuina cauſa peti rationabiliter poterat; abſque quod ad ſomniatum *convulſionum* principium confugeremus: prout ex ſupra expoſitis rationibus quilibet deducet. Nihilo tamen ſecius, ut debitam in hoc etiam mihi adſtruam fidem, ſatis erit ſi dicam, quod *Aortae* ibidem peripheria tres integros & ultra digitos, menſurae Londinenſis, metiebatur.

Hinc, ut clarius pateat, quantum vere ordinariam menſuram ſuperaret, cum Clariſſimo Jacobo Keilio Tentam. 2. innuam, quod *in Homine mediocris magnitudinis Aortae diameter* eſt 0. 73., ſive (ut cuilibet decimalem calculum intelligenti patet) eſt $\frac{73}{100}$ pars unius digiti, quem ad pedem Londinenſem pertinere exiſtimo, cum de Anglo Scriptore in Anglia ſcribente ita cenſendum eſſe, ratio ipſa ſuadeat; unde Auctor ipſe deducit, aream, ſive ſectionem ejuſdem Arteriae naturalis eſſe 0. 4187.

Tali ſuppoſita Arteriae *Aortae* menſura ab hoc praeclariſſimo Viro tam accurate exhibita, cuique notum facile evadet, num vere recenſita *Aorta* a nobis propoſita dilatata eſſet, & quantum ipſa conſuetam naturalem capacitatem ſuperaſſet.

Etenim iſtius circumferentia tres digitos menſurabat, una cum viginti duabus centeſimis digiti partibus. Unde, cum circumferentia ad diametrum, juxta Archimedis regulam, ſit ut 22. ad 7.; inde deduximus, ejuſdem Arteriae diametrum aequari uni integro digito $+$ 0. 2. $+ \frac{5}{11} = \frac{2}{10} + \frac{5}{11} = \frac{22 + 50}{110} = \frac{72}{110}$ Ideoque diameter iſta alterius diametrum ſupra expoſitam ſuperabat, per $\frac{20}{100} + \frac{5}{11} = \frac{319 + 500}{1100} = \frac{819}{1100}$; id quod ſatis ſuperque probat, quantum iſtius area conſuetam *Aortae* naturalem capacitatem ſuperaret.

Siquidem

Siquidem hoc manifeſtum fiet, medietate diametri in circumferentiae dimidium ducta: ut notat etiam Celeberrimus Grandius Concivis noſter in *Compend. Sec. Con. prop.* 48. *in Coroll.*

Nam dimidia circumferentia erat 0. 161. medietas autem diametri erat 0. 51. ✠ $\frac{1}{2}$. $\frac{5}{11}$: quibus inter ſe invicem ductis, fit 0. 8246. circiter. Quamobrem area Arteriae detectae in Cadavere Nobilis dicti Viri vix mediocris magnitudinis, erat ad aream Arteriae a Keilio ſupputatam, ut 0. 8246. ad 0. 4187.: quae ſane magna differentia eſt; cum fere duplum referat.

Ideo haec ſatis ſuperque eſſe putavi, ut praehabiti judicii mei, & obſervationis veritatem oſtenderem. Unde ſupervacaneum penitus exiſtimavi, novae huic editioni ſpecialia (quae poſtea obtinui) Clariſſimorum Virorum luculentiſſima teſtimonia adjungere: ut congruam mihi auctoritatem, propoſito meo perquam faventem, conciliarem; id quod, ſi opus erit, inpoſterum faciam. Plurimas enim in Pluteis meis Epiſtolas adſervo, data opera ad me traditas, quae ſententiam meam omnifariam confirmant, oppoſitamque opinionem funditus evertunt; Ad quod ſpecialiter conferent humaniſſimae litterae ad Doctiſſimum Patavinum Profeſſorem Homobonum Piſonem Concivem noſtrum miſſae a Clariſſimo Andraea Roſſetti Medico Veneto, qui pluries Patricium, de quo egimus, inviſit, eidemque ſanioribus praeſidiis (pro ut Arti in hiſce caſibus conceditur) opem ferre ſedulo non omiſit.



OBSER-

OBSERVATIO SECUNDA.

ILluſtriſs. D. Sebaſtianus Seitz Ducis locum tenens in Inclyta Legione Excellentiſs. Dom. L. Baronis de VVetes Generalis S. C. C. Majeſtatis ſeptimum vix aetatis luſtrum tranſgreſſus, Corporiſque laxa admodum temperie praeditus: quatuor abhinc Annis, dum extra Moenia Cremonae noctu fugientes Milites citiſſimo inſequebatur curſu, ex lubrico parvo aggere labens, in ſuppoſitam cecidit foveam, oppoſitamque in ripam Sterno dextrorſum vehementerque impigit, magno ſtatim ſubſequente dolore, atque reſpirandi difficultate.

Mane domum reverſus ſpiritum adhuc non ſine labore ducebat, non modico accedente Pectoris cruciatu, quem tamen parvi ipſe faciebat, utpote qui ſolam dumtaxat contuſionem ex praegreſſo ictu accuſaret, cujus fere nullum extrinſecus ſignum remanſerat. Verum recenſita haec Pectoris moleſtia ad plures menſes perduravit, gravius quandoque, leviuſve ipſum affligens, comite plerumque reſpirandi difficultate, praeſertim cum violentis animi Corporiſve motibus detineretur, nec raro dum lecto decumberet poſt lautiorem menſam. Aſt militaribus ſuis muneribus nunquam omnimode defecit. Poſthac Anno circiter tranſacto moleſtiſſimum in Pectore ardorem pati coepit, doloremque gravem in utroque Brachio, qui ad anticam uſque Pectoris partem, praecipue dextram, propagari hinc videbatur, una cum anhela reſpiratione. Paulo poſtea vehemens ſub Sterno pulſatio apparuit, quae a ſiniſtra Thoracis parte uſque ad dexteram ſub mamma protrahebatur, ubi eo major quam alibi evadebat. Hinc legitimi *Aneuryſmatis* in Thorace progeniti tuta ſigna habuimus, quae tractu temporis conſpicua magis certioraque fiebant.

Toto triennio ſubſequente eamdem ſemper ibidem pulſationem paſſus fuit, eoque majorem in dextera Thoracis parte, quam in ſiniſtra; unde, congrua habita ratione graviorum Animi Corporiſque motuum, atque Aeris viciſſitudinum, eo pejus, aut melius ſe habebat. Interea ſaepe vena ipſi ſecta fuit, aliiſque omiſſis remediis, tanquam inutilibus, aut nocuis, aptum dumtaxat victus regimen ſervare plerumque curavit, prout militare ipſi munus concedebat, cui ſedulo ſemper pro viribus incubuit.

Tandem ſeptimo Kalendas Novembris Anni 1740., tunc cum Brumales praematuros Aeris rigores patiebamur, circa 24. horam, dum in ampla Arcis noſtrae Platea Martialibus exercitiis Milites ſuos inſtruebat, elato ſaepe ſermone clamavit: cumque aliquando enixa vehementius voce ipſos obcreparet, *lipothymia* correptus cecidit cum anxietate ſumma, ſtertore, & faciei pallore, ita ut mori videretur.

Eodem tempore modicam ſanguinis copiam per exſcreatum eduxit; ac paulo poſtea animum aliquantulum acquiſivit: Ideo Rheda ſtatim ad proximum Excubiarum locum devectus fuit, ubi venam ipſi ſecari curarunt. Hinc ad ſuum hoſpitium delatus, lectoque commiſſus fuit.

Tunc ad ipſum acceſſi hora prima noctis, atque de praedictis certior factus, *Aneuryſmatis* diſruptionem, ſubſecutamque ſanguinis in cavitatem Thoracis effuſionem, quae paulatim adhuc fiebat, indicavi; nulliſque amplius Medicis praeſidiis opus eſſe ſtatui, ſed illis tantum, quae Animam munire feſtinanter poſſent. Siquidem pulſus frequens admodum, inaequalis, ac parvus erat, eoque magis ſucceſſive diminuebatur a naturali deflectens rhythmo. Erecta tantummodo cervice, licet cum labore maximo, ſpiritum ducebat, anhelus ſummopere factus. Profuſis ſcatebat undique ſudoribus, praecipue in fronte; Oculi obtenebrati erant; *Hippocratica* evaſerat facies fuſco pallore perfuſa: jamque extrema undique frigida comperiebantur. Tunc, cum ad agonem properaret, aliquoties vomuit, ea videlicet, quae in prandio aſſumpſerat: Tandem hora quarta noctis aeternum quievit.

Die ſequenti hora 24., quum ipſius Cadaver diſſecarem, in externis ipſius partibus nihil morboſum inveni. Dempto Sterno, in ſiniſtra Thoracis parte effuſus ſanguis magna in copia apparuit, qui partim grumatus, partim fluidus erat, totamque ibidem cavitatem replebat. Craſſiores grumi Mediaſtinum, ubi Sterno adnectitur, undique pervaſerant, ita ut Pericardium prorſus obtegeretur. Hiſce demptis grumis, *Aortae* Arteriae *Aneuryſma* vidimus, cujus moles tam magna erat, ut ejuſdem cavitas utraſque meas manus commode contineret, ipſoque Pericardio major ultra eſſet. Etenim *Aneuryſmaticus Saccus* a ſiniſtra baſis Cordis parte, ubi *Aorta* originem habet (quae quidem duplo amplior ſolito ibidem videbatur) incipiens, ad dexteram praeſertim vergebat, in obtuſum acumen deſinens, cujus ope *oſſeae* ſuperiori parti quartae, & quintae legitimae Coſtae dexteri lateris adeo ſtricte adnectebatur, ut magna vi hinc divelli abſque laceratione nequaquam poſſet. Verum quarta Coſta excavata maxime erat, ibi nempe, ubi ſummum *Aneuryſmatis* acumen adhaeſerat, maximaque pulſatio comperta ſemper antea fuerat. In hoc *Aneuryſmatis* acumine *polypoſae* plurimae aderant fibrae adinvicem miro modo contextae, ut laminam fere carneam ſatiſque craſſam conſtituerent, quae internam illius ſuperficiem ibi obtexerant, ubi validior pulſatio comperiebatur. Hinc *Aneuryſmaticus Saccus* ex eadem parte Thoracis dextera ſurſum aſſurgebat, ad ſiniſtram aliquantulum vergens, atque ad claviculas uſque magna mole ſua exporrigebatur, ita ut a ſummo ejuſdem vertice tum *Subclaviae*, tum *Carotides* Arteriae originem ducerent: quae tamen conſuetam diametrum propemodum ſervaverant. Attamen *Aortae* Arteriae truncus a poſtica *Aneuryſmatis* ſuperiore parte proficiſcens,

circa

circa ejus *Arcum*, amplior ſolito erat & craſſus, intimaque ejuſdem ſuperficies undique obducta erat *oſſeis* parvis *lamellis*, ſeu *ſquammulis*, quibus & interior *Aneuryſmatis* poſtica pars aliquantulum ſcatebat. *Oſſeae* iſtae *ſquammulae* tenues admodum erant, & laevigatae, obtuſiſque angulis ditabantur, propterquod in actu contractionis Arteriae, eamdem ferire haudquaquam poterant, maxime quia etiam huc illuc diſperſae erant, & latitudine ſua vix parvum lentis granum adaequabant: ſecus quam de aliis *ſquammulis oſſeis* in altera obſervatione animadvertendum fuiſſe indicavimus. *Aneuryſmatici* autem hujuſce *Sacci*, *Aortae* antrorſum appenſi, tunicae craſſae ſatis erant; minus tamen quam reliquus ſuperior *Aortae* tubus; atque illius interior ſuperficies inaequalis, & aſpera evaſerat. Idem vero *Saccus* prope ſuum acumen in anteriore parte, circa Mediaſtinum, laxiore textura praeditus erat, ibi nempe, ubi ab impellente validius ſanguine diſruptio, & ſanguinis effuſio facilius evenerat. Pulmones utrinque laxi reperti ſunt, & mole plus aequo parvi: dexter autem praecipue, ob compreſſionem *Aneuryſmatici Sacci*, illuc magna ex parte tendentis, minor altero paululum reperiebatur. Cor mole adauctum aliquantulum fuerat, laxioribuſque fibris conſtruebatur. Utrique ejuſdem ſinus ſanguine nil prorſus ſcatebant, nec ibidem ullum aderat *polypoſum* Corpus; quo ad reliqua vero bene conſtitutum cernebatur. Caetera quoque imi Ventris viſcera a naturali conſueta textura nequaquam receſſerant; niſi ſpecialem ipſorum mollitiem indicare velimus, quae quidem, meo judicio, parvi erat aeſtimanda, cum univerſalem Corporis conſtitutionem ſequeretur.

Si de magni iſtius *Aneuryſmatis* principio, progreſſu, atque exitu diſſerendum ſit, certo certius ſtatuere me poſſe arbitror, tunc illud primo conſtrui coepiſſe, cum Illuſtriſs. ille Vir quatuor abhinc Annis, ut diximus, occaſione violenti motus, inopinato cadens, maximum in media Sterni parte ictum cepit. Praecipua enim externaque haec fuit hujuſce morbi cauſa, cui & remotam addere non incongruum erit; praeviam nempe ſolidorum omnium mollitiem, ab ortu ipſo derivatam, atque in univerſo Corporis ambitu ſatis etiam antea patentem.

Quod ab externa illa contuſione circa Sternum vehementer facta, *Aneuryſma* hoc exordium ſumpſerit, nemo utique ſanae mentis inficiari unquam poterit. Hujuſcemodi enim plurimae adſunt obſervationes, idque praeſertim teſtatur Celeberrimus Lanciſius in erudítiſſimo Libro *de motu Cordis*, & *Aneuryſmatibus*. Ibi namque merito docet, quod ex contraniſu Arteriae *Aortae* ad ictum externae preſſionis duo contrarii ictus fiunt, atque ſimul concurrunt, *quorum alter extrinſecus infligitur*, *Arteriaeque membranas intropellit*, *atque urget*; *alter a ſanguinis niſu*, *qui eodem tempore a Corde impulſus*, *eaſdem tunicas extrorſum pellit*, *intenditque*. Hinc a contrariorum hujuſcemodi duorum ictuum concurſu Arteriae parietes de-

 bilitantur

bilitantur admodum, dum minima ipſos contexentia filamina conſuetum ſtrictiorem nexum deperdunt; hocque eo citius eo vehementius evenire poſſe credendum eſt, habita ratione praedictorum utrorumque ictuum momenti, minoriſque tunicarum Arteriae reſiſtentiae. Omni ideo jure ſubdit clariſſimus iſte Auctor, quod eo major Arteriae divulſio, atque diſtractio evenire neceſſario debeat, ſi Arteria extrinſecus percutiatur *eodem ipſo temporis momento*, *quo in dyaſtole verſatur*; multoque magis ſi hoc fiat, cum ſanguis concitatiore excurrens motu, majore ictu continentes tunicas diſtendit, habita ratione ejuſdem ſanguinis momenti, quod adauctam ipſius velocitatem, caeteris paribus, proinde conſequitur.

Omnes autem haſce cauſas in noſtro caſu ad *Aneuryſma* inchoandum augendumque concurriſſe, ex Hiſtoria patet. Ille enim laxam undique ſolidorum, ac proinde Arteriarum texturam obtinebat; atque tunc maximum in Sterno ictum ſubiit, cum violentius curreret, anxioque animo fugientes Milites inſequeretur: unde adauctam antea maxime ſanguinis fuiſſe velocitatem conjicimus. Hac facta *Aortae* Arteriae tunicarum violenta diſtractione, magnus in Pectore ardor ſubſecutus eſt, una cum reſpirandi difficultate; morboſaque haec, & caetera *Phoenomena* in dies augebantur; dum, ob indeſinentem ſanguinis preſſionem, filamina minima diſtractae, ac poſtea diſciſſae tunicae eo magis divellebantur, praeſertim cum ipſe vehementes ſubiret motus, aliave quavis de cauſa ſanguis majorem nanciſceretur impetum, aut tota ejuſdem maſſa mole augeretur, aut rareſcere nimium, vel aeſtuare quomodolibet poſſet. Ideo ex cohibita perſpiratione Hyemis tempore moleſtum magis in Pectore ardorem, gravioremque anhelitum patiebatur, eoque magis poſt liberaliorem menſam, quam jejuno Stomacho: quare, caeteris paribus, cum lecto decumberet, eo pejus ſe habebat. Diſtractis eo magis, magiſque poſtea *Aortae* Arteriae tunicis, *Aneuryſmaticus Saccus* grandior evaſit; prout ſubſequens poſt plures menſes palpitatio vehemens indicavit, quae majus ipſi, aut minus negotium faceſcere conſuevit, juxta varium ſanguinis illuc irruentis momentum, ut diximus.

Ob ingeminatos validiores ſanguinis impulſus in *Aneuryſmaticum Saccum*, dum contexentes illum fibrae alternatim diſtrahebantur, plurimas ex illis diſrumpi identidem neceſſarium erat, a quibus ideo effluens tenuior nutritius humor, atque inter earum interſtitia concreſcens, craſſiorem denſioremque *Sacci* ejuſdem tunicam reddidit, praecipue circa *Aneuryſmatis* acumen, ad quod praeſertim ſanguinis vibrationes dirigi conſueverant. Nec tantum interius, ſed exterius etiam minimae dicti *Sacci* tunicae, ob dictas rationes, divellebantur, atque diloricabantur; unde idem nutritius craſſiuſculus humor ab ipſis erumpens in cauſa fortaſſe fuit, ut *Aneuryſmaticus Saccus* Pleurae circa quartam Coſtam adhaeſerit; eodem prorſus modo, quo inflammati exterius Pulmones in pleriſque *Pleuriticis* (dum

aut

aut in Pleura, aut in Pulmonibus extima minima vaſa dilacerantur, & rorida tenax lympha effluit, ibidemque condenſatur) brevi morbi curriculo Pleurae undequaque varia ratione ſuccreſcere paſſim comperiuntur.

Non abſimili ratiocinio percipimus, cur *Aneuryſmatici Sacci* acumen hoc non tantum Pleurae, & Coſtae ibidem tenaciter adhaeſerit, verum etiam Coſta ipſa tractu temporis excavari maxime debuerit. Porro hoc non niſi ingeminatis validioribus ſanguinis impulſibus tribui merito debebat, quibus Coſta ipſa ibidem contranitebatur. Tantaque eſt hujuſcemodi percutientis urgentiſque ſanguinis vis in ſupra enarratis circumſtantiis, ut frangi etiam omnimode potuiſſet (ut alias evenit) ſi diutius vitam Aegrotus ille traduxiſſet. Satis enim Clariſſimorum Virorum obſervationes teſtantur, ab iteratis vehementibus *Aneuryſmatum* pulſationibus, Oſſa ſuppoſita, difrangi, corrumpi, carie affici, ac plane conſumi : ut prae caeteris teſtatur Clariſſimus Rhuyſchius in obſervationibus ſupra in alio caſu propoſitis. Animadvertendum hic tamen eſt (ut notat Clariſsimus Mangetus in ſua Bibliothec. Chirurg. lib. 1.) quod plurimi hujuſcemodi oſſium cariem, & corruptionem, non a ſola *Aneuryſmatis* impulſione validiore, ſed a ſpeciali acrimonia humoris ab *Aneuryſmate* diſtillantis deducunt. Attamen hoc non de quibuslibet *Aneuryſmatibus* verum comperiri poſſe exiſtimo, ſed de complicatis (teſte ibidem Mangeto) *in quibus congeſtiones ad ſuppurationem aliquando vergentes reperiuntur, quarum acrimonia interdum tanta eſt, ut oſſa, quibus pus inſidet, carie afficiat.* Secus autem, cum in caſu noſtro nulla ſuppuratio, aut ichoroſi cujuſvis liquoris extillatio, in *Aneuryſmate* hoc attendi potuerit; ſolis ſanguinis impulſibus vehementibus, & frequentibus Coſtam illam excavatam fuiſſe, nemo non agnoſcet.

Quouſque tamen Aegrotus ille congruam in omnibus vitae normam ſervavit, *Phlebotomo* identidem utens, ſequenti triennio militaribus ſuis muneribus laudabiliter incubuit, vitamque commode ſatis traduxit. Verum cum, adſtrictis plus aequo cutis porulis, ob praegreſſos Aeris praematuros rigores, auctaque proinde ſanguinis copia, elata nimis voce Milites ſuos veſperi obcrepavit; tunc ſanguinis impetus adauctus ita fuit, ut *Aneuryſma* dehiſcere ibi debuerit, ubi laxiorem obtinebat texturam, validiorque fiebat ſanguinis appulſus : factaque ſanguinis effuſione mors paulo poſtea ſucceſſit. Id unum fortaſſe mirum videbitur, quod rupto *Aneuryſmate*, atque effluente ſanguine in cavitatem Thoracis ſiniſtram, ad quatuor circiter horas vitam traducere adhuc potuerit. Attamen hoc haud difficile captu evadet, ſi dicamus, ſanguinem non omnimode ſtatim, ſed paulatim effluxiſſe. Dextrorſum enim prope cartilagineam Coſtarum partem, ubi adhaeſerat, *Aneuryſma* diſruptum fuerat circa *Sacci* ejuſdem acumen, procul ab *Aortae* axe; quare ſanguinis fluxus

 quoquo

quoquomodo continuaverat, tametſi aliqua ipſius portio ſingulis Cordis pulſationibus ex ſciſſura prodiret, donec omnimode effluxiſſet.

Non vacat hic praegreſſa alia *phoenomena* explicare, ac praeſertim *oſſearum lamellarum* originem; Cum haec cuique obvia eſſe poſſint, utpote quae a perturbato concitatioreque ſanguinis motu, ob *vitioſam Aortae* ſtructuram, aliaſque extrinſecas cauſas, praecipue pendere, ex dictis ſupra ſatis ſuperque pateat.

OBSER-

OBSERVATIO TERTIA.

LIcet ex binis ſupra propoſitis Obſervationibus quamplurima, imo pleraque graviora erui poſſint *ſymptomata*, quae *Aortae Aneuryſmatum* propria vere eſſe paſſim comperiuntur, adeo ut ex illis non modica lux effulgeat, ad ejuſcemodi morborum exiſtentiam, atque ad peculiarem definiendam ideam, congrui ratiocinii praeſidio; quia tamen iſtiuſmodi *phoenomena* neque junctim ſemper eodem modo eveniunt, neque graviter ſemper excruciare ſolent: haud tutum aliquando emergit judicium: unde perſaepe decipiuntur Medici, atque in oppoſitas ſententias facile admodum abducuntur: licet Clariſs. Lanciſii, Michelotti, Albertini, aliorumque veridicis documentis uti arrepta occaſione ſatis noverint. Revera, ſi *dilatationes* iſtae in Cordis ſinibus, aut non longe ſaltem ab ipſis (in *Aorta* nempe ſub ejuſdem *Arcu*, ſeu in *Arcu* ipſo) factae ſint: eo majorem Aegrotis moleſtiam adferunt, ob graviorum *ſymptomatum* comitatum, utpote quae Cordis, Pulmonumve actionem proxime magis laedant: propter quod optimo Medico, *Veraque Praxi* ſatis exercitato haud difficile manifeſtantur; praecipue cum crebrior atque magis valida affectae Arteriae *pulſatio*, praeter caetera, id primo vix intuitu perſpicuum maxime & plerumque reddat; niſi tamen in *Aortae Arcu* ita ſita ſint *Aneuryſmata*, ut, tum ob Os ſterni, tum ob alias ſuprapoſitas interiores partes, *pulſatio* illa, admota manu, percipi neutiquam poſſit: ut patet ex priore obſervatione noſtra, aliiſque ejuſdem cenſus, quae paſſim Clinicis accuratioribus Medicis obveniunt. Alia ſecus *Aneuryſmata*, quae magis a Corde diſtant, atque in *Aorta* ipſa deſcendente ſub *Arcu* fiunt, multo minus moleſta evadunt, leviorumque, ac rarius ſaevientium *ſymptomatum* ſpecie peritos etiam ſaepe Medicos fallunt; Quare in ipſorum inveſtigatione major requiritur ſolertia. Hoc videre eſt in ſequenti Obſervatione data opera aliis adjuncta.

Hyacinthus Rinaldi Bibliopola quinquagenarius, gracilis texturae, bilioſamque omnimode temperiem referens, antehac raro aegrotavit, licet immoderato utplurimum vini, ejuſque ſpiritus uſui deditus eſſet. Octo circiter abhinc annis, cum gravem inter binos amicos ſuos ſubortam rixam ſedare, illoſque ſollicite atque ſtrenue conciliare contenderet, undequaque ſe diſtorquere magna vi celeriterque debuit: unde modo dextrorſum, ſiniſtrorſum modo, ac ſaepius anterius poſteriuſque flectere vehementiſſime corpus, una cum animi ſpirituſque contentione ſumma coactus fuit. Idcirco praetermodum tunc doluit inferioribus Dorſi Vertebris, comitante ardore. Paulo poſtea dolor ejuſcemodi imminutus quidem eſt; levior tamen in dies factus ibidem per quinquennium circiter permanſit, identidem ipſum excrucians, aliquando etiam magis ſaeviens;

viens;

viens: praeſertim cum nullam ipſe in ſex rebus non naturalibus normam plerumque ſervaret: utpote qui morbum hunc (aliis annuentibus Medicis, fallaci conjecturae, ut ſupra, fretis) flocci penitus faceret, atque omnino contemneret.

Ideo invaluit poſtmodum dolor ille, qui huc illucque varia ratione divagari videbatur, nunc Dorſi vertebras, nunc ſcapulas, nunc claviculas occupans, mox dextrorſum, ſaepiuſque ad laevam Thoracis partem. Quamobrem, dum nullibi dolor ejuſmodi diu conſiſtebat, pro *Rheumatico* habitus eſt a pleriſque; a quibus varia praeſcripta remedia, tantum abfuit, quod ullam ipſi attulerint opem, ut morbum graviorem potius effecerint: tanquam ea, quae diſſolvendis humoribus accommodata, ſanguinis velocitatem atque aeſtum magis magiſque augebant. Poſthac dolor ſane adauctus eſt, ſpinae Dorſi, verſus ſpurias ſiniſtras coſtas, contumaciter infixus. Acceſſerunt hinc ſpirandi difficultas, identidem recurrens, Cordis oppreſſio, ſive (ut ajunt) moleſtiſſimus *angor* (praecipue occaſione celerioris motus per acclivia loca, graviorumve laborum, animive *pathematum*): impotentia ad diuturnum celerioremque motum: inanes vomendi quandoque conatus, ſive poſt paſtum, ſive jejuno ſtomacho: nec raro crebrior leviſſimaque cordis *palpitatio*, atque Arteriarum ſuperiorum concitatior *pulſatio*, tactu vix perceptibilis, una cum ſpeciali Pectoris ardore, praecipue circa Dorſum. Haec patiebatur ſaepius, cum Dorſo, alterutrove lateri incumberet, ut ſomnum caperet: a quo repente expergefactus, in lecto pronus degere coactus erat, ut aegre minus ſpiritum duceret: quo modo etiam alia occaſione decumbere ſolitus erat, tunc quum ennarratis *ſymptomatibus* vehementius torqueretur. Siquidem non aeque ſemper haec ſaeviebant, adaucto caeteroquin morbo; aſt, juxta Animi corporiſve diverſos motus, Aeris tempeſtates, atque alias externas cauſas, diverſimode quo ad tempus, modumve iiſdem vexabatur. Quapropter melius ſe habebat Aeſtate; pejus Vere; eoque gravius Hyeme & Autumno. Hinc diutius illis carebat, dum congruam Corporis ſervabat quietem: iiſque magis laborabat, dum laboribus exercebatur, atque praecipue cum brachia validius extenderet, ut gravem elevaret malleum, quo, ut mos eſt, conſuendos percutiebat libros.

Dum haec identidem patiebatur, non ſecus ac extra morbi inſultus, aequalis erat ſemper pulſus: etſi aliquantulum frequens & parvus: ſicuti etiam recrudeſcente morbo, dum tenſus magis evadebat.

Inſuper, quoties derepente gravioribus inſultibus corripiebatur pedibus ſtans, aut alio quovis modo ſuo munere fungens, Corpus humi illico proſternere, ibique diu prorſus decumbere cogebatur, donec dolor & ardor praedictus imminueretur, ut liberius ducere ſpiritum poſſet. Tunc autem liveſcebat adeo facies, ut ad *Hippocraticam*, ſic dictam, fere vergeret.

Ingra-

Ingraveſcente itaque morbo, eoque poſthac ſaepius graviuſque recurrente, ad maciem Aegrotus vergere viſus eſt, pallidoque ac pene lurido perfundi colore: Moeſtus evaſit, & ita debilis, ut ſuo muneri vix paululum ſufficeret. Depreſſa admodum ſaepe & rauca voce loquebatur: atque utplurimum, inclinato anterius Pectore, quam aliter ſpiritum minore cum labore ducebat.

Viciſſitudinariis ejuſcemodi tam diuturni morbi inſultibus diverſimode per biennium poſthac laboravit, juxta recenſitas extrinſecas cauſas, miſerrime ſic vitam traducens.

Noviſſime moleſtum *formiculationis* (ut nominant) ſenſum patiebatur circa Pectus, ejuſque poſteriorem praecipue partem. Extremis autem diebus, cum coenaſſet, praevio cruento modico excreatu, occaſione tuſſis, per vomitum inopinato ſanguinem eduxit, eoque penitus obrutus, e vivis repente diſceſſit XV. Kal. Januarii MDCCXLII., auſtrali dominante Coeli conſtitutione.

Ut de praedictorum omnium cauſa certiores fieri poſſemus, ejuſdem Cadaver quamprimum Anatomico Cultro ſubjecimus: demptoque ſterno, invenimus Pulmones a naturali ſtatu paululum recedentes; ſi laxam nimis eorundem texturam excipiamus. Dexter tamen eorum lobus diaphragmati & coſtis admodum inhaerebat: nec ulla ſanguinis, aut ſeri (ut paſſim in hiſce caſibus evenit) ibidem effuſio aderat.

Arteria *Aorta*, circa *Arcum*, prolatata paululum erat; magis autem trans curvaturam duos circiter tranſverſos digitos, videlicet in deſcendente ejus trunco, eaque parte, qua dorſi Vertebris adhaereſcit. Hic autem non prolatata tantum, verum etiam diſrupta *Aorta* poſterius cernebatur, ſciſſuramque diuturno utique antea tempore factam ibidem oſtendebat. Etenim undecunque, ad ſciſſurae margines, Arteria haec obducta erat craſſo ſatis callo, cujus ope Spinae ſtrictius adhaeſerat, ut ne gutta quidem ſanguinis effluere inde potuiſſet. Rima haec oblunga erat & lata; ita tamen, ut ejus labia, Axi *Aortae* paralella, duos circiter tranſverſos digitos inter ſe diſtarent: quatuor vero, quae Axis directionem ſecabant citra rimam hanc idem *Aortae* deſcendentis truncus, tum quo ad figuram, tum quo ad tunicarum diſpoſitionem, naturali pene conformis remanſerat. Anterior vero ibidem ejuſdem *Aortae* pars, ad Pulmones & Cor vergens, quae praedictae rimae e directo oppoſita erat, ne hilum quidem prolata erat. Quilibet etiam alii minores *arterioſi*, aut *venoſi* Cordis, aut Pulmonum rami incolumes prorſus erant, conſuetamque omnifariam conſtitutionem ſervaverant.

Dum enarrari ſanguinis praegreſſi fluxus per excreatum, multoque magis per vomitum, rationem, & modum inquirebamus, Tracheae ramos grumoſo ſanguine ſcatere adhuc obſervavimus, ac praeſertim ventriculi cavitatem, quae eodem penitus oppleta erat; id quod ſatis eſſe

mihi

mihi videbatur, ut repentinae fere ſubſequutae mortis cauſa pateret.

Recenſitum hoc deſcendentis *Aortae Aneuryſma* ſedulam utique Medici expetit indaginem: ſi ejuſdem originem, poſitum, durationem, atque exitum, nec non ſubſequutorum quorumlibet *ſymptomatum* rationem aſſequi funditus velimus.

Porro non me latet, deſcendentis *Aortae prolatationes* occurrere poſſe, eaſque tales, ut ab irruentis illuc ſanguinis immoderato impetu Dorſi vertebrae uſque pene ad ſpinalem medullam conſumi poſſint: ut nuper indicavit Clariſſimus Albertinus *in Coment. Acad. Bononienſis*. Mirum ideo mihi admodum evaſit, quod repertum hoc *Aneuryſma*, tamdiu ibidem permanſerit, abſque quod ſubpoſitae vertebrae quidquam laederentur: niſi hoc praegreſſae ejuſdem trunci diſruptioni, ac proinde ſubortis ibidem calloſis marginibus (cum inde excurrentis ſanguinis impetus pari ratione obtunderetur) tribuere quiſpiam velit.

Verum quod ad ejuſdem originem attinet (cum pravam, aut quomodocunque acrem ſanguinis diatheſim inculpare ex praegreſſis haudquaquam liceret) patere ſatis ſuperque arbitror, *Aneuryſma* hoc inchoatum tunc fuiſſe, cum Bibliopola noſter animo vehementer prius commotus, citiſſimo paſſu rixantes Amicos ſuos corripere, ſtrenueque componere aggreſſus fuit.

Quod violentae ſubitaeque animi perturbationes quaelibet ſanguinis placidum naturalem motum varia ratione pervertere adeo poſſint, ut vaſa ipſa, eaque praecipue quae Cordi proximiora ſunt, pariformiter laedantur, nemo eſt qui ignoret. Hoc ſatis evincunt animi *pathemata* quaeque, a quibus & Cordis vehementes palpitationes, univerſales laſſitudines, *lypothimiae*, aliaque hujuſcemodi gravia accidentia proficiſcuntur, morte ipſa aliquando ſubſequente. Attamen, ſi tunc quum animus perturbatur maxime, Corpus una violenter commoveri atque diſtorqueri quomodolibet, ſupponamus: eo potior emerget ratio, propter quam & ſanguinis velocitatem augeri magis, atque ejuſdem irruptiones in vaſorum tunicas vehementiores evadere, ſtatuendum erit: ita ut vaſa dilatari atque diſcindi facilius queant, ibique praeſertim, ubi aut laxior praeeſtiterit illorum textura, aut (juxta externos praehabitos Corporis concitatiores motus) irruentis ſanguinis momentum validius ſucceſſerit.

Hoc adamuſſim in ennarratis circumſtantiis verum fuiſſe animadvertimus. Ex anatome enim ſatis conſtat, *Aortae* Arteriae deſcendentem truncum Dorſi vertebris tam ſtricte alligari, ut, cum iſtae ex quavis cauſa vehementer diſtrahuntur, contrahunturve, aut quomodolibet commoventur, pari pacto & illa pati debeat: eoque magis, ſi praeter externam praedictam cauſam, praeterfluentis ſanguinis concitatior tumultuoſus motus, ac proinde validius ejuſdem momentum acceſſerit. Sane hoc Bibliopolae noſtro tunc contigit, cum anhelo animo ad rixantes Amicos ſuos ſe

contulit

contulit, vimque vi repellere coactus fuit; interno nempe ſummo aeſtu percitus, atque Corpus quaquaverſus contorquendo. Vehemens idcirco dolor & ardor ad Dorſi vertebras illico ſubortus eſt, qui diſtractas tunc fuiſſe nimis, indeque diloricatas, laceratasque *Aortae* poſteriores tunicas, indicabat: ut ex ipſius Cadaveris inſpectione poſtmodum innotuit.

Dolor autem iſte per quinquennium fere ſemper permanſit, acutus modo magis, modo minus evadens, pro varia Anni temporum, motus, & victus, animique *pathematum* ratione: unde pariformiter concitatus plus, minuſve ſanguinis motus eveniret; ut ex congruo iſtiuſmodi morborum ratiocinio ex dictis evincitur. Tractu vero temporis gravior, & contumax magis dolor ille redditus eſt, ac magis frequens: praecipue quia tum vino, tum ejuſdem ſpiritui (quo quidem, praeter caetera, nihil aptius eſt ad effraenatos ſanguinis ciendos motus) liberalius indulgebat: utpote qui morbum hunc pro *Rheumatico* ſimplici haberet, penituſque contemneret: ſicuti & inexperti plures Medici, *Vera Praxi* carentes, judicare paſſim ſolent. Potior ideo haec forſan cauſa fuit, cur diſciſſa antehac, ut diximus, *Aortae* tunica dehiſcere eo magis debuerit. Ad hoc etiam ſpecialiter contuliſſe putaverim, ponderoſi mallei frequentem pertractationem, dum colligandas librorum paginas (ut mos eſt) vehementer percutiebat. Ex iteratis enim hujuſcemodi conatibus, ſpirituſque laborioſis contentionibus, validior ad interiora, maximeque ad *Praecordia* & ſpiritales partes, ſanguinis fit affluxus, ibidemque, diu, quam par eſt, perſeverat; ideoque primaria majora vaſa, aequa proportione, diſtenta diutius permanent, atque (ſi quae ex iis laxiora ſint, aut quomodolibet diloricata) dilatantur magis, atque dehiſcunt.

Hiſce praelibatis, facile cuique evadet, congruam hinc praegreſſorum quorumcunque variorum *ſymptomatum* rationem aſſequi, ac praecipue recenſiti doloris, & ardoris, qui per triennium ſpinae Dorſi quaſi indeſinenter infixus, moleſtiſſimuſque evadens, ad Scapulas poſtea, ad Claviculas, & Coſtas &c. propagari diverſimode viſus eſt: pro variis concitati magis & aeſtuantis ſanguinis directionibus, atque arietationibus, a quibus haec potius quam illa diſtendebantur vaſa, ac pari pacto nervea filamina in *ſpaſmodicas* cogebantur contractiones. Id ipſum ex Doctiſſimi Albertini obſervationibus evincitur (in Com. Academ. Bonon. pag. 388.) ubi animadvertit, *Aneuryſmata orta longius a Corde dolores vehementiſſimos identidem traxiſſe: non quod oſſeis, frequentiſſime obviis, ſquammis eſſent referta (his enim in Vepſero quoque Aorta fere tota ſcatebat, nec dolores aderant) ſed quod vel ob peculiarem ſuae figurae modum, ſanguiniſque impulſum, ac indolem impenſius, celeriuſque in ſuis fibris diſtraherentur; vel tendinem, ſeu nervorum truncum, aut aliam ſenſilem partem, in primis contra os aliquod, ſuis ictibus impellerent*. Quod ad propoſitum noſtrum adamuſſim confert.

Dilororicata ſic poſterius *Aorta*, atque diſrupta, cum ſpinae Dorſi, ut diximus,

diximus, calloſis ſuis marginibus undecunque adhaeſiſſet, ſanguinis nihilominus gurgitem ita coercebat, ut occaſione concitatioris cujuſvis ipſius motus, immoderative aeſtus, effluere nihilum poſſet: licet tunc, ob violentas laeſi vaſis diſtractiones, dolor atque ardor, pari proportione, ſuccederet. Neque hinc *pulſatio* validior fiebat: quia anterius *Aorta* dilatata neutiquam fuerat.

Haec omnia rite perpenſa (cum ſatis oſtendant, cur, ex vehementioribus Corporis animique motibus, *ſymptomata* quaeque ingraveſcerent) aequa ratione eorundem viciſſitudines explicant, quibus diverſimode vexabatur, gravius nempe Hyeme ac Vere, levius Aeſtate & Autumno: Id quod ex diminuta, aut aucta magis perſpiratione, ac proinde varia totius ſanguineae maſſae mole, perquam facile deducitur: ſicuti in prioribus obſervationibus probavimus.

Inordinati ideo quivis ſanguinis motus, quamcunque externam ob cauſam facti, ſuppoſita *Aortae* dicta laeſione, variis hujuſce morbi *Phoenomenis* anſam praebebant, quia calloſi ejuſdem parietes, majorem, quam par erat, reſiſtentiam ſanguini parabant, & obicem: unde in Pulmonaribus Vaſis diu nimis ipſe conſiſtens, atque turgeſcens, ſpirandi difficultatem, & angorem, ſeu Pectoris moleſtam oppreſſionem in ennarratis circumſtantiis ipſi adferebat. Hinc facilius tunc ſpirabat curvato anterius Pectore, quam ſecus: quia laeſa arteria, ſic minus tenſa evadens, ſanguinis gurgiti minus obſtabat.

Cum ex eodem obice, ac praecipue, ob vehementiores morbi inſultus, ac proinde ob violentas affectae Arteriae contractiones, eo minor aliquando ejuſdem capacitas evaderet: major tunc erat ſanguinis velocitas in Abdominis vaſis, multoque major in Arteriis Ventriculum pervadentibus, quae ideo (ut in Hyſtericis & Gravidis paſſim attendimus) ab irruentis crebrius & validius ſanguinis momento nimium diſtentae, atque verberatae, inverſum ejuſdem ventriculi motum efficiebant. Tandem, ob iteratos hoſce ictus, *gaſtricarum* illarum Arteriarum tonus laxior evaſit adeo, ut ſuperante ſanguinis momento dehiſcerent prorſus, atque magna ibidem effuſio ſuccederet, quae mortem attulit.

Crambem utique recoquerem, ſi alia *ſymptomata*, quae toto hujuſce morbi curſu obſervavimus, ſingillatim explicare aggrederer. Neminem enim latere arbitror, quod innumera (eaque varia, pro varietate affectorum Corporum) a perturbato quomodolibet ſanguinis motu derivari poſſunt mala: dum ipſius diatheſis hinc pervertitur, atque aequa proportione labefactantur quomodolibet ſolida: atque utrinque inordinatus magis magiſque in dies redditur humorum omnium curſus. Hinc tabe laborat corpus: evaneſcit naturalis faciei color: vox demiſſa & rauca evadit: proſternuntur vires omnes: ſomnus irrequietus fit: Animus ipſe perturbatur admodum: ac tandem actiones omnes pariformiter laeduntur.

FINIS.